S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN IX

SANCTORALE

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLIV

S. LAURENTII A BRUNDUSIO
ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM
OPERA OMNIA

Vol. I.	*Mariale*	L.	90
» II.	*Lutheranismi Hypotyposis:*		
» »	Pars I. *Hypotyposis Martini Lutheri* .	»	90
» »	» II. *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae* . . .	»	90
» »	» III. *Hypotyposis Polycarpi Laiseri*	»	70
» III.	*Explanatio in Genesim*	»	90
» IV.	*Quadragesimale Primum*	»	80
» V.	*Quadragesimale Secundum* - Pars I. .	»	95
» »	*Quadragesimale Secundum* - » II. .	»	85
» »	*Quadragesimale Secundum* - » III. .	»	90
» VI.	*Quadragesimale Tertium*	»	130
» VII.	*Adventus*	»	115
» VIII.	*Dominicalia*	»	200
» IX.	*Sanctorale*	»	200

NB. - Pro subscriptoribus et Ecclesiasticis pretium minuitur ad 20 %

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



Inc. Klauber Cath.

In Museo Franc. Cap. Assisiensi

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN IX

SANCTORALE

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLIV

FR. DONATUS A WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta serratis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 30 Iulii 1944

(L. S.)

FR. DONATUS A WELLE
Min. Gen.lis Cap.

Attente perlegimus volumen nonum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Sanctorale ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Clodiae, 28 Iulii 1944

† FR. HYACINTHUS AMBROSI O. F. M. Cap.
Episcopus

Utini, die 28 Iulii 1944

FR. MARINUS A VALSTAGNA O. F. M. Cap.
Lect. emeritus

Nihil obstat quominus imprimatur

Patavii, die 1 Augusti 1944

Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Eccl.

Imprimatur

Patavii, die 2 Augusti 1944

† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

PRAEFATIO IN SANCTORALE

Hoc IX Volumen Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio « Sanctorale » inscribitur, complectitur enim sermones de Sanctis. Tribus partibus componitur: prima sermones continet in codice « Sanctorale » proprie dicto collectos; secunda, sermones de Sanctis ex codice « Adventus » excerptos;[1] tertia duabus appendicibus constat: prima aliquas conciones comprehendit italice exaratas et in fasciculum colligatas; secunda sermones de Sanctis qui in codice « Silva Isagogica » reperiuntur.[2]

Codex « Sanctorale », omni dubio procul, autographus est S. Laurentii, praesefert enim omnes authentiae characteres codicum praecedentium. In elencho, in *Mariali* edito, sub n. 13 recensetur.[3] Consueta membrana religatus, magnitudine externa 35 × 25, interna vero descripta 27 × 18, foliis 99 constat, idest pag. 198, quarum quadraginta circiter hinc inde in textu albae relinquuntur. Charta phylacea, subflavi coloris; scriptura generatim parva et densa, aliquando vero grandior et latior. In tegumenti exteriore parte solito sigillo rubei coloris munitur: « IH†S; Archiv: A; Colto: P-5; Busta: –; Fascic: 1 »; in dorso legitur inscriptio: « Sanctorale P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem »; in schedula tandem in codicis ultimo folio agglutinata: « Adm. Rev. Pris Laurentii a Brundusio Concionatoris Capuccini manu propria eiusdem ».

1) Cf. vol. VII, *Adventus*, Praefat., pag. VIII.
2) Cf. ibid.
3) Cf. Praefat. in ed. univ., pag. XII.

FR. DONATUS A WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 30 Iulii 1944

(L. S.)

FR. DONATUS A WELLE
Min. Gen.lis Cap.

Attente perlegimus volumen nonum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Sanctorale ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Clodiae, 28 Iulii 1944

† FR. HYACINTHUS AMBROSI O. F. M. Cap.
Episcopus

Utini, die 28 Iulii 1944

FR. MARINUS A VALSTAGNA O. F. M. Cap.
Lect. emeritus

Nihil obstat quominus imprimatur

Patavii, die 1 Augusti 1944

Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Eccl.

Imprimatur

Patavii, die 2 Augusti 1944

† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

PRAEFATIO IN SANCTORALE

Hoc IX Volumen Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio « Sanctorale » inscribitur, complectitur enim sermones de Sanctis. Tribus partibus componitur: prima sermones continet in codice « Sanctorale » proprie dicto collectos; secunda, sermones de Sanctis ex codice « Adventus » excerptos;[1] tertia duabus appendicibus constat: prima aliquas conciones comprehendit italice exaratas et in fasciculum colligatas; secunda sermones de Sanctis qui in codice « Silva Isagogica » reperiuntur.[2]

Codex « Sanctorale », omni dubio procul, autographus est S. Laurentii, praesefert enim omnes authentiae characteres codicum praecedentium. In elencho, in *Mariali* edito, sub n. 13 recensetur.[3] Consueta membrana religatus, magnitudine externa 35 × 25, interna vero descripta 27 × 18, foliis 99 constat, idest pag. 198, quarum quadraginta circiter hinc inde in textu albae relinquuntur. Charta phylacea, subflavi coloris; scriptura generatim parva et densa, aliquando vero grandior et latior. In tegumenti exteriore parte solito sigillo rubei coloris munitur: « IHS (with † above H); Archiv: A; Colto: P-5; Busta: –; Fascic: 1 »; in dorso legitur inscriptio: « Sanctorale P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem »; in schedula tandem in codicis ultimo folio agglutinata: « Adm. Rev. Pris Laurentii a Brundusio Concionatoris Capuccini manu propria eiusdem ».

1) Cf. vol. VII, *Adventus*, Praefat., pag. VIII.
2) Cf. ibid.
3) Cf. Praefat. in ed. univ., pag. XII.

Collectoris incuria sermones sine ordine collecti inveniuntur in hoc codice; nos iuxta Breviarium Romanum eos disposuimus. Insuper, post festum S. Matthaei Apostoli, homilia inseritur pro Dominica infra Octavam Ascensionis Domini, quam in praecedenti Volumine VIII edidimus. [4]

De codicibus « Adventus » et « Silva Isagogica » iam in VII Voluminis Praefatione locuti sumus, et necesse non est iterum hic verba proferre. [5]

Conciones italicae in elencho Operum Omnium sub n. 17 recensentur. [6] In fasciculo, tegumento chartaceo cooperto, inveniuntur sub titulo: « Conciones Adm. R.di Patris Laurentii a Brundusio Or.nis Capuccinorum miraculis clari ». Magnitudine 31 × 20, foliis 50 constat, idest pag. 100, quarum viginti circiter albae relinquuntur. In margine plures additiones apponuntur eiusdem manus S. Auctoris, plures etiam notae alterius stili alteriusque atramenti. In fine autem aliena manu septem folia exarantur, ubi quaedam de SS. Apostolis Mathia et Matthaeo disseruntur.

Non constat conciones istas a S. R. Congregatione revisas fuisse, codex enim non exhibet consuetum sigillum rubei coloris. [7]

Opera sequentia in supradicto elencho recensita remanent adhuc inedita: Epistolae, sub n. 20; Sermo de B. P. Francisco, italice, n. 19; Adventus, italice, n. 9; Conciones super Evangelia, italice, n. 15.

Epistolae opportuniori loco et tempore publici iuris fient. Sermo de B. P. Francisco, pro! deperditus est. Siquidem anno 1926, cum editio Operum S. Laurentii coepta fuit, authographus iste Venetiis, in reliquiario Ecclesiae S. Thomae servabatur, [8] ubi Patres Editores tunc temporis illum recensuerunt; nunc autem, cum ad transcribendum illuc adiissemus, illum amplius reperire nequivimus, sed ne notitias quidem quis nobis praebere potuit.

Codices « Adventus » et « Conciones super Evangelia », quamvis sub

4) Fol. 20-21. Cf. *Dominicalia*, pag. 436-441.

5) Cf. pag. VII-VIII.

6) Cf. vol. 1. *Mariale*, Praefat. in ed. univ., pag. XI et not. 14.

7) Conciones istae Venetiis habitae fuerunt, pag. enim 561 clare dicitur: « Era appunto, signori, come la vostra Sensa, che fate voi a S. Márco ».

8) Cf. vol. 1, *Mariale*, Praefat. in ed. univ. pag. XI, not. 16.

diversis distantibusque numeris recensiti (9. 15), unum tamen opus continuum constituunt. [9] Sed ab operibus S. Laurentii omnino expungendi sunt. Praeseferunt quidem in dorso consuetam inscriptionem: « Manu propria eiusdem » (S. Laurentii); sigillum quoque rubei coloris, ex quo constat a S. R. Congregatione revisos fuisse; sed examini rigoroso et improbo subiecti ac cum omnibus chirographis eiusdem S. Auctoris comparati, nullo modo inter eius opera certa, vel etiam dubia, adscribi possunt. Criteria tum interna tum externa hoc nobis suadent et iubent.

Etenim stilus et character omnino diversus est. Modus scribendi S. Laurentii densus generatim est, obtruncus et aduncus; singulae voces sine ulla linea finali clauduntur. ut videri potest facsimile quod in hoc volumine, pag. 545 exhibetur; constans et uniformis breviandi modus. In istis autem codicibus scriptura extensa valde et rotunda est; lineares ductus ac circulares flexus singula fere verba ornant et claudunt.

Insuper, concipiendi et loquendi modus consuetus non est S. Laurentii; nam auctor istarum concionum quadam cum vivacitate et libertate declamat, Nostro Auctori insolita.

Praeterea, de Aristotele loquens, philosophum magnificat;[10] notum est autem Stagiriten nulla gratia S. Laurentii floruisse. [11] Deinde, auctor concionum plurimos auctores profanos citat, non tantum antiquos, verum etiam recentiores, [12] frequentia insolita S. Laurentio, qui solos veteres scriptores classicos aliquando profert.

9) Conciones utriusque codicis valde inordinate collectae fuerunt. Nam primus codex, qui improprie « Adventus » inscribitur, continet: Dom. 1 Adventus, Serm. in Festo S. Andreae Ap., in festo Conceptionis B. M. Virginis, Dom. 3 Adventus, Dom. 1 Quadragesimae , Fer. 4. 5. 6 Cinerum; secundus vero continet: Dom. 4. 5 post Epiph., Dom. 4. 5 post Pent., Dom. 6 post Epiph. et Dom. 24 post Pent.

10) Sic in secundo codice, Dom. 4 post Pent. « Il nostro Aristotele, peripatetici, nel principio della sua divina filosofia », etc.

11) Cf. vol. III, *Explanatio in Genesim*, pag. 53-55. 113. 118; vol. IV, *Quadragesimale Primum*, pag. 398; vol. V, *Quadragesimale Secundum*, part. 2, pag. 296. 300; vol. VI, *Quadragesimale Tertium*, pag. 438; vol. VII, *Adventus*, pag. 3-4.

12) Quattuordecim conciones codices isti in universum continent et ultra vicies tales auctores afferuntur: Alciati, Amiano Marcellino, Bartolomeo Anglico, Celio Rodigino, Dante, Francesco Giorgio, Nicolò Macchiavello, Pierio, Scipione Amirate, Surio, Valerio Massimo. Insuper Franciscus Petrarcha improbatur, cuius tamen celeberrimum canticum in laudem B. Virginis S. Laurentius maxima cordis et vocis laetitia iter faciens concinere solebat. In fine Dom. 1 Quadr.: « Che Tassi! che Petrarchi!

Tandem conciones in his codicibus contentae, omnes Lucae in Hetruria habitae fuerunt;[13] atqui nec ex biographis nec ex actis processus Beatificationis constat S. Laurentium tamdiu Lucae commorasse et anno continuo ibidem conciones habuisse.

Quomodo inter ipsius opera codices isti adnumerati fuerint, sententiam nostram aperimus, quam non longe a veritate abesse putamus.

Statim ac vita functus S. Laurentius maxima cum sanctitatis, doctrinae et eloquentiae fama, Patres nostri omnia ipius chirographa in archivio provinciali religiose servanda colligere studuerunt. Circa ea tempora quemdam Provinciae nostrae clarum oratorem conciones istas Lucae habuisse opinamur, quae, cum certa vi oratoria, diserta et eloquenti, praeclara quoque eruditione scripturali et patristica, optimis sententiis doctrinisque theologicis pollerent, dignae existimatae fuerunt ut, auctore defuncto, ineditae in eodem archivio servarentur et prope authographos S. Laurentii collocatae fuerunt. Cum autem, saeculo ab obitu Venerabilis Patris iam delapso, idest anno 1725, instante processu Beatificationis,[14] manuscripta eius Romam mitti oporteret ad S. R. Congregationem pro revisione, incuriosus archivista ea omnia collegit, in volumina iuxta materiam divisit, eadem membrana religavit et sine ullo examine ac critice illos quoque duos codices, quos iuxta reperiit, in numerum autographorum S. Laurentii per errorem computavit, in dorso inscripsit adnotavitque, Romam misit, S. R. Congregatio una cum ceteris manuscriptis revisit approbavitque et canonicum sigillum apposuit, et ita factum est ut tanquam

che Ariosti! che letture amorose! Che hanno a fare con la perfettion nostra o Amadis di Gaula, o Amadis di Grecia, o don Florisello di Nicea? » etc. Praeterea aliquos praedicatores sacros etiam citat. In fine serm. S. Andreae: « Vide Avondagno de S. Francisco, cart. 175 »; in fine Feriae 4 Cinerum: « Vide pulcra quaedam pro hac prima parte in Val., p. 2, n. 385 »; in fine Feriae 6 Cinerum: « Bello e affettuoso Val., p. 2 »; in fine Dom. 4 post Epiph.: « Nota conceptus multos esse desumptos ex Didaco de La Vega idiomate hispano, Dom. 4 post Epiph. »; in fine Dom. 5 post Pent.: « Vide pro hac concione Val. in Dominica Sexagesimae, in principio »

13) In primo codice, Dom. 1 Adventus his verbis incipit:« Credimi certo, Lucca », etc.; post aliqua: « Ah, Lucca, Lucca! » etc.; et iterum postea: « Il male è, Lucca », etc.; Dom. 3 Adventus: « Impara da qua, Lucca », etc. In altero codice, Dom. 4 post Pent.: « E qui è per forza, Lucca», etc.; item Dom. 24 post Pent.: « Tutto questo, Lucca », etc.

14) Cf. vol. I, *Mariale*, Praefat. in ed. univ., pag. X.

vera chirographa S. Laurentii in posterum, nemine unquam dubitante, habiti fuerint, dum, uti diximus, ne inter dubia quidem ipsius opera ullo modo adnumerari possunt.

His argumentis obiter delibatis, quibus haec nostra sententia fulcitur, criticis peritioribus definitivum responsum relinquimus, nostrum enim non est disquirere et indagare quisnam concionum istarum sit verus auctor.[15]

Hoc volumine editioni Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio finem ponimus. Anno 1928 incoepta, anno 1944 explicit. A *Mariale* exorsa, ut ea Virgini Matri commendaretur, « erga quam Auctor tenera pietate affectus erat »,[16] praeconiis in laudem Sanctorum clauditur, quorum virtutes S. Auctor et mirifice imitatus est et eloquenter imitandas proposuit.

Deo Optimo Maximo gratias agimus, qui, non obstantibus turbulentorum temporum vicissitudinibus, ad exitum felicem nos pervenire concessit.

Divo quoque Laurentio Nostro, ad cuius honorem tot annis impense insudavimus, gratias referimus, Ipse enim inter ingravescentes in dies difficultates et cuiusvis generis angustias nobis semper adfuit ne animis nostris unquam deficeremus. Ad illius ampliorem glorificationem unice promovendam calamum sumpsimus; opus nostrum perfunctos iam esse arbitrantes, ad illius pedes calamum defatigatum deponimus.

Exmo ac Revmo D. D. Vigilio F. Dalla Zuanna, qui iam ab anno 1926 consilii princeps fuit huius editionis suscipiendae eamque magno animo aggressus, primis annis indefesse prosecutus est; deinde ad maiora vocatus, in Praedicatorem Apostolicum designatus, in Ministrum Generalem totius Ordinis Nostri electus ac tandem Episcopus Carpensis renunciatus, consilio sapienti, cooperatione sollicita summoque studio incessanter nobis

15) Ita pariter nullo modo inter chirographa S. Laurentii adscribere possumus codicem, in bibliotheca PP. Capuccinorum Conventus Mediolani servatum, continentem Quadragesimale Nostro Auctori tributum, italice exaratum.

16) Introduct. in Primum Volumen, pag. XVII.

astitit, gratulantis animi nostri sensus exprimimus, vota quoque promimus nostra, ut tam diuturni laboris propositum consecutum videat et celebrare congaudeat.

Exmo ac Revmo D. D. Hilarino Felder, Ep. Ger., eiusque socio R. P. Crispino ab Appenzell, Provinciae Capuccinorum Helvetiae alumnis, totius editionis revisoribus, qui quattuordecim annos continuos patientissime ac diligentissime singula volumina perlegerunt consiliisque benignissime nobis adfuerunt, pergrato animo gratias pariter referimus. [17]

Omnes tandem qui nobis subvenerunt et quomodocunque nos adiuverunt, imprimis praeclarissimum Dominum Ios. Bellini, Directorem Officinae Typographicae Seminarii Patavini, qui diligentia sagaci maxime incubuit ut editio Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio digna evaderet et tanti Auctoris et nostri propositi, hic memoratos volumus et lectissimis nostris gratiarum actionibus remuneratos. Omnibus retribuat benignissimus Deus, per quem incepimus et per quem finimus.

Patavii, in Festo S. Laurentii a Brundusio
Compatroni Principalis Provinciae Venetae Capuccinorum 1944

PATRES EDITORES

17) Duobus hisce ultimis annis, ob interruptionem communicationnm cum exteris nationibus, alii duo revisores in eorum locum designati fuerunt, idest Exmus ac Revmus D. D. Hyacinthus Ambrosi, Episc. Clodiensis, et A. R. P. Marinus a Valstagna, ex Defin. et Lector emeritus, Venetae Provinciae nostrae alumnis, quibus item optimas pro meritis grates persolvimus.

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR [1]

AESOPUS * *Fabulae*, apud Leop. Hervieux.

ALCASAR LUDOVICUS *Vestigatio Arcani Sensus in Apocalypsi*, Lugduni sumptibus Ant. Pillehotte 1618.

ANGIOLINI FRANCESCO *Delle Antichità Giudaiche* e *Della Guerra Giudaica di Giuseppe Flavio*, Firenze, Paolo Fumagalli 1842.

ARISTOTELES STAGIRITA Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

ALLARD PAULUS *Storia delle Persecuzioni*, Libreria Ed. Fiorentina.

BARONIUS CAESAR CARD. *Annales Ecclesiastici*, Lucae 1738-1746.

BARRADIUS SEBASTIANUS *Commentarii in Evangelicam Historiam*, Brixiae 1612, apud Io. Bapt. et Ant. Bozzolos.

BELLARMINUS ROBERTUS S. *Controversiae Christianae Fidei*, Venetiis 1721, apud Io. Malachinum.

BERNARDINUS SENENSIS S. *Quadragesimale*, Venetiis, ex aedibus And. Poletti 1745.

Biblia Rabbinica Masoretica, Venetiis 1568, cura Io. de Gara.

Biblia Sacra Universitatis Lovaniensis, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1574.

BLONDUS FLAVIUS *De Roma Triumphante*, Parisiis, apud Simonem Colinaeum 1533.

BONAVENTURA S. * Opera Omnia, Ad Claras Aquas, typographia Collegii S. Bonaventurae 1898.

Breviarium Romanum.

BUCHLERUS IOANNES apud Tob. Lohner.

CABASSUTIUS IOANNES *Iuris Canonici Theoria et Praxis*, Venetiis, apud Christophorum Zane 1728.

CAELIUS LUDOVICUS *Lectionum Antiquarum Libri*, Francofurti et Lipsiae, Daniel Fievetti 1666.

CALEPINUS AMBROSIUS *Septem Linguarum* hoc est *Lexicon Latinum*, Patavii, ex typographia Seminarii 1718.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

CALMET AUGUSTINUS *Commentarium litterale in omnes et singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros*, Venetiis, apud Seb. Colletti 1730 sqq.; *Dictionarium Historicum Sacrae Scripturae*, Lucae 1725, typis Seb. Dom. Cappuri.

CALVINUS IOANNES * Opera Omnia, Amstelodami 1667.

CASALIUS IOANNES BAPTISTA *De Urbis ac Romani olim Imperii Splendore*, Romae, anno Iubilaei 1650, ex typographia Fr. Alb. Tani.

Catechismus Romanus, Patavii, typis Seminarii 1930.

CENTURIATORES MAGDEBURGENSES * *Historiae Ecclesiasticae*, Basileae, apud. Io. Oporinum 1560-1562.

CICERO M. TULLIUS * Opera Omnia, Lugduni, Sybilla a Porta 1588.

Codex Iuris Canonici, typis Polyglottis Vaticanis 1929.

CONIMBRICENSES *Commentarii in Libros Aristotelis*, Venetiis, Iac. Vincentius et Ricciardus Amadiscus 1602.

CORNELIUS a LAPIDE *Commentaria in Sacram Scripturam*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

CRITICI SACRI sive *Annotationes Doctissimorum Virorum in Vetus ac Novum Testamentum*, Amstelodami, Guil. Van der Vater 1698.

DENZINGER - BANNWART *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

DIOGENES LAERTIUS * *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini, 1566.

DIONYSIUS CATO *Carmen de Moribus*, Mediolani, Petr. Mart. de Mantegatiis, 1506.

DURANDUS GULIELMUS a S. PORCIANO * *In Quattuor Libros Sententiarum*, Venetiis, Gaspar Bindonus 1586.

EMPEDOCLES * apud Huetium.

ERASMUS ROTERODAMUS * *Historia Ecclesiastica*, Basileae, apud Io. Opporinum 1560.

FERRARIS LUCIUS *Prompta Bibliotheca*, ed. typis L. Migne, Lutetiae Parisiorum 1852-1857.

FORCELLINI AEGIDIUS *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1940.

FUMAGALLI GIUSEPPE *L' Ape Latina*, Ulrico Hoepli, Milano 1926.

GALENUS * Omnia quae extant, studio Io. Bapt. Rosarii emendata, et in Libros Hippocratis et aliorum Commentarii, Venetiis, apud Vincentium Valgrisium 1562-1563.

GELLIUS AULUS * *Noctes Atticae*, opera Io. Soteris, Coloniae 1533.

GRETSERUS IACOBUS S. I. *De Cruce Christi*, Ingolstadii, ex typographia Adami Sartorii 1600.

HERVIEUX LEOPOLD *Les Fabulistes Latins depuis le siécle d'Auguste*, Paris, Librairie de Firmin - Didot 1894.

HORATIUS FLACCUS * Carmina, Veronae, apud Hier. Discipulum 1585.

HUETIUS PETRUS DANIEL *Alnetanae Quaestiones De Concordia Rationis et Fidei*, Venetiis, Nicolaus Pezzana, 1761.

HURTER H. S. I. *Theologiae Dogmaticae Compendium*, Oeniponte, Libraria Academica Wagneriana 1903.

HYGINUS IULIUS *Fabulae*, per Io. Hervagium 1549.

IOSEPHUS FLAVIUS, * apud Angiolini.
IUVENALIS * *Satyrae*, Patavii, typis Seminarii 1705.
KIMCKI DAVID *Liber Radicum*, apud Critici Sacri.
LAURENTIUS a BRUNDUSIO S. Opera Omnia, Patavii, typis Seminarii 1928 sqq.
LIPSIUS IUSTUS *De Cruce*, Antuerpiae, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti 1637.
LIVIUS TITUS *Historiarum Libri*, Amstelodami, ex officina Plantiniana 1637.
LOHNER TOBIAS S. T. *Bibliotheca Manualis Concionatoria*, Venetiis, typographia Hertziana 1738.
LUCANUS M. ANNAEUS *Pharsalia* sive *De Bello Civili*, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1658.
LUTHERUS MARTINUS * Opera Omnia, ed. latina, Witebergae 1545 sqq.; Iehnae 1600-1612; *Epistolae*, Iehnae 1556.
MAYRONIUS FRANCISCUS * *In Petri Lombardi Sententias Theologicas Commentarii*, Venetiis, Haeredes Octavii Scoti 1520.
MALDONATUS IOANNES *Commentaria in Quattuor Evangelistas*, Venetiis 1597, apud Io. Bapt. et Io. Bern. Sessam.
MANNUCCIUS PAULUS *Adagia*, Venetiis 1591.
MARSILIUS FICINUS FLORENTINUS *De Vita coelitus Comparanda*, Venetiis, in aedibus Aldi et Andr. Soceri 1516.
MERCURIUS TRISMEGISTUS * *Asclepius*, Lugduni, apud Io. Tornaesium 1577; *Pimander*, cum Commento F. Hannibalis Rosselli, Cracoviae, Lazari 1584.
Missale Romanum Pii V Pont. Max. iussu editum, Parisiis, apud Iac. Kerner 1584.
NATALIS COMES *Mythologiae*, Gabriel Carterius, sine loco, 1596.
NESTLE EBERHARD *Novum Testamentum graece et latine*, Stuttgart 1907.
OVIDIUS * Opera, Lipsiae, typographia Caroli Tauchnitii 1828.
PANVINIUS ONUPHRIUS *De Triumphis*, Patavii 1642, ex typographia Frambotti Bibliopolae.
PERIN IOSEPH *Onomasticon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1940.
PIERIUS VALERIANUS *Hieroglyphica* seu *De Mysteriis Aegiptiorum*, Venetiis, apud Io. Ant. et Iac. De Franciscis 1604.
PLATO * Opera Omnia, translatione Marsilii Ficini, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.
PLINIUS SECUNDUS * *Historia Naturalis*, Venetiis apud Hier. Scotum 1571.
PLUTARCHUS CHAERONEUS * *Graecorum Romanorumque Illustrium Vitae*, Venetiis 1538; *Ethica* sive *Moralia*, Basileae, apud Th. Guarinum 1573.
PRATEOLUS MARCOSSIUS GABRIEL *De Vitis, Sectis et Dogmatibus Omnium Haereticorum*, Coloniae, apud Calenium 1569.
REBUFFUS PETRUS *Tractatus Utriusque Iuris*, Venetiis 1584.
REIFFENSTUEL ANACLETUS *Ius Canonicum Universum*, Venetiis 1730, apud Ant. Bortoli.
SALLUSTIUS C. CRISPUS *De Coniuratione Catilinae et De Bello Iugurthino Historiae*, Venetiis, apud haeredes Mariae Bonelli 1573.

SCOTUS Fr. IOANNES DUNS *In Quattuor Libros Sententiarum*, apud Io. Bapt. et Bern. Sessam, Venetiis 1597.

SENECA L. ANNAEUS * Opera, Parisiis, apud Hadrianum Perier 1613.

SUAREZ FRANCISCUS S. I. *De Deo Uno et Trino*, Venetiis, apud Seb. Coleti 1740; *De Poenitentia*, Venetiis, ex typographia Balleoniana 1748.

SUETONIUS C. TRANQUILLUS *Duodecim Caesares*, Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchmans 1751.

SURIUS LAURENTIUS *De Probatis Sanctorum Historiis*, Coloniae Agrippinae, apud Guer. Calenium 1575.

TERENTIUS P. * *Comoediae* Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.

THOMAS AQUINAS S. * Opera Omnia, Ios. Bettinelli, Venetiis 1748.

THOMAS a CELANO *S. Francisci Assisiensis Vita et Miracula*, ad fidem MSS. recensuit P. Eduardus Alenconensis, Romae Desclée, Lefebvre et Soc. 1906.

TOLETUS *Commentarii in Sacrosanctum Ioannis Evangelium*, Coloniae Agrippinae, in officina Birckmannica Arnoldi Mylii 1589.

VALERIUS MAXIMUS *Dictorum Factorumque Libri*, Venetiis 1645.

VARRO TERENTIUS *De Lingua Latina*, Lipsiae, in aedibus Teubner 1910.

VIRGILIUS MARO * Opera, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

WIRT IOANNES et CHERLERUS *Historia Plantarum Universalis*, Ebroduni 1650.

SANCTORALE

PARS PRIMA

DIES SANCTORUM PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM

Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum et in me credite. In domo Patris mei mansiones multae sunt, etc. [1]

I. Ostenditur in hodierno Evangelio via salutis et scala coeli, per quam Beatissimi Apostoli Philippus et Iacobus viam felicitatemque aeternam in coelo consecuti sunt et in hoc mundo etiam perpetuam laudem et immarcescibilem gloriam.

Ostenditur in hodierno Evangelio via salutis.

Saepe in Divinis Litteris duo haec demonstrantur, nempe finis, cuius causa conditus homo est, et medium necessarium ad hunc finem consequendum. Sic ab initio legimus positos Angelos Cherubim *ad custodiendam viam ligni vitae;* [2] sic habemus scalam per quam Angeli in coelum ascendebant, [3] sic desertum per quod Hebraeis patuit iter in terram promissionis, [4] sic tabernaculum per quod pontifex ingrediebatur in sancta sanctorum. [5]

Multae viae salutis indicantur in S. Scriptura,

Via autem ad vitam aeternam consequendam in primis quidem a Deo posita fuit innocentia in primis nostris parentibus. Hinc R e g i u s V a t e s quaerit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* [6] Respondet: *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.* [7] Et alibi: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde.* [8] Hinc: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* [9] hinc in *1* ipso *Psalmo: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* etc. [10] Aliquando via salutis ponitur poenitentia: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [11]

1) Pericope huius diei Io 14, 1-13. Cf. Missale Rom. 2) Gn 3, 24. 3) Cf. ibid. 28, 12. 4) Cf. Ex 16, 1. 5) Cf. Lv 16, 1 sqq. 6) Ps 14, 1. 7) Ibid. vr. 2. 8) Ps 23, 3-4. 9) Ps 118, 1. 10) Vr. 1. 11) Mt 3, 2; 4, 17.

sic per poenitentiam salvi facti sunt Ninivitae; [12] aliquando timor Domini: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis;* [13] *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius;* [14] aliquando divinae legis observatio: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [15] aliquando patientia: *Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam;* [16] *Patientia... vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones.* [17] Paulus epistola *1 Corinthiis*, 12: *Adhuc*, inquit, *excellentiorem viam vobis demonstro*, [18] verba de caritate facturus; ubi Dei quidem virtutes et dona Spiritus Sancti ostendit vias esse salutis; sed via omnium excellentissimam ipsam caritatem, sine qua nulla alia virtus ad salutem consequendam satis est. [19]

sed praecipua fides est;

Saepissime tamen in Divinis Litteris ipsa fides via salutis praedicatur: *Fides tua te salvum fecit;* [20] *Fides tua te salvam fecit;* [21] *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [22] *Beati qui non viderunt et crediderunt;* [23] *Ut credentes vitam habeatis.* [24] Ita in hodierno Evangelio nonnisi de fide agitur: *Creditis in Deum et in me credite; in domo Patris mei mansiones multae sunt.* Magna, inquit, est domus Dei, de qua ille ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* [25] Est domus Dei summi Regis palatium, in quo multae sunt mansiones: pro rege, pro regina, pro filiis, pro aulicis, pro ministris, pro servis inferioris ordinis. Sic inquit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Sicut in palatio Salomonis multas legimus mansiones mirabili ordine dispositas, [26] sic de paradiso loquitur sub metaphora domus regiae, loquitur de illa domo, de qua patriarcha Iacob: *Hic... domus Dei* est *et porta coeli,* [27] et Regius Vates: *Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini.* [28]

Sed via qua ad domum hanc Dei perveniendum est, fides est: *Creditis*, inquit, *in Deum et in me credite*, hoc est: sicut creditis in Deum, ita etiam in me credendum vobis est.

12) Cf. Ion 3, 1 sqq. 13) Ps 111, 1. Vulg.: *Volet.* 14) Ps 127, 1. 15) Mt 19, 17. 16) Ibid. 5, 10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc. 17) Hebr 10, 36. 18) Vr. 31. 19) Cf. ibid. 13, 1 sqq. 20) Lc 17, 19; 18, 42. 21) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 22) Io 3, 15. 23) Ibid. 20, 29. 24) Ibid. vr. 31. 25) Ps 83, 5. 26) Cf. 3 Rg 7, 2-12; 10, 4-5. 27) Gn 28, 17. 28) Ps 26, 4.

Ponitur autem in hoc Evangelio fidei subiectum, obiectum, etiam actus, effectus et opera ac tandem finis et praemium.[29] Subiectum cor est: *Non turbetur cor vestrum; Si credis ex toto corde;*[30] *Corde... creditur ad iustitiam;*[31] *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris;*[32] obiectum Deus est: *Creditis in Deum;* Christus est Deus et homo: *Et in me credite.* Ac multa ponuntur credenda de Christo: *Ego sum via... veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me;*[33] quod sit eiusdem naturae cum Patre: *Si cognovissetis me et Patrem meum utique cognovissetis... Qui videt me, videt et Patrem* meum;[34] quod sit per omnia aequalis Patri: *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?*[35] et iterum: *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?*[36] hoc est quod una utriusque natura et aequalis substantia est? aliaque permulta.

Ideo ponitur in hodierno Evangelio fidei subiectum, obiectum, actus, effectus, opera et praemium.

II. Sed videndum nobis est quidnam sit: *Ego sum via... veritas et vita.* Unum petiit Thomas et Christus tria respondit: *Ego sum via... veritas et vita.* Difficile autem est intelligere quidnam sit Christum viam esse, veritatem esse, vitam esse. Sed viam esse ipse alia metaphora declaravit dicens: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*[37] Petrus vero in *Actis Apostolorum* ad hoc ipsum alludens ait: *Per gratiam Domini* nostri *Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi,*[38] docens, non esse necessariam legis Moysi observationem ad salutem aeternam. Veritas autem dicitur ad excludendas, tanquam verum solidumque corpus, umbras et figuras Veteris Legis quae, ut Paulus ait, erant exemplaria verorum.[39] Sic aliquando Christus veritas appellatur: *Si veritas vos liberaverit,* tunc *vere liberi eritis.*[40] Et quoniam Christus est veritas, non est ipse *homo mendax,*[41] sed in omnibus Deus verax ipsaque veritas et omnis veritatis auctor.

Christus vera via est, veritas et vita,

29) In margine haec adiecta fuerunt: » Advertenda sunt quae de fidei subiecto, obiecto, actu, operatione et fine dicuntur, quoniam in omnibus ab haereticis huius temporis erratum valde est. Sicut enim erraret qui visivam potentiam poneret in auribus et non in oculis, auditum vero in oculis non in auribus, ita etiam quisquis prudentiam poneret in voluntate, iustitiam vero in intellectu; ita si quis fidem poneret in voluntate; sic autem Lutherus ».
30) Act 8, 37. 31) Rom 10, 10. 32) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare,* etc.
33) Io 14, 6. 34) Ibid. vrr. 7-9. 35) Ibid. vr. 10. 36) Ibid. vr. 11.
37) Ibid. 10, 9. 38) 15, 11. 39) Cf. Hebr 8, 5. 40) Io 8, 36. Vulg.: *Si ergo vos filius liberaverit,* etc. 41) Ps 115, 11; Rom 3, 4.

Tandem vita, sicut alibi: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum;*[42] *Ego sum resurrectio et vita,*[43] quia auctor est vitae aeternae.

Sic his verbis ostendit Dominus se et viam esse ad veram vitam et ipsammet veram vitam esse, quia verus homo et verus Deus, verus mediator et verus salvator ac beatificator ex merito humanitatis et ex virtute divinitatis; ostendit se viam esse ad lignum vitae et ipsummet lignum vitae esse in paradiso,[44] conferens vitam aeternam hominibus. Sicut sol in coelo et medium est ad videndum et obiectum visionis, neque enim sine luce solari videre ipsum possumus, sic *nemo novit Patrem, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare,*[45] quoniam lux est divini solis, via est et vita, quoniam *gratiam et gloriam dabit Dominus;*[46] gratia autem via est ad gloriam. Sic ait hic: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Venire autem ad Patrem dicit vitam aeternam et gloriam in coelo consequi, quae quidem in Dei visione, promissione, fruitione dulcissima consistit.

quia verus Deus et verus homo, salvator et beatificator.

III. Verum non tantum subiectum et obiectum fidei Christus Deus et homo ostenditur hic, verum etiam actus fidei. *Creditis... Credite... Non creditis?... Propter opera ipsa credite.*[47] Ad quem actum etiam spectat quod ait: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis,* sive, ut graece est: *Si cognovistis me, et Patrem meum cognovistis, et amodo cognoscitis eum, et vidistis eum.*[48] Cognitionem per fidem comparat visioni, quae certissima habetur cognitio, propter summam fidei certitudinem, quae omnium etiam cuiusvis scientiae certitudinem superat.

Ostenduntur etiam fidei actus.

Ostenduntur etiam opera fidei, sed perfectae: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet.*[49] Quare ostendit Dominus hodie fidem esse filiam et matrem miraculorum: filiam quidem dum ait: *Alioquin propter opera ipsa credite,*[50] nam miraculis Dominus plantavit firmavitque fidem divinitatis suae, ita ut fides sit effectus miraculorum Christi; postea vero matrem, effectricem, operatricem miraculorum ostendit: *Amen,*

opera

42) Io 1, 4. 43) Ibid. 11, 25. 44) Cf. Gn 2, 9. 45) Mt 11, 27. Vulg.: *Neque Patrem quis novit, nisi,* etc. 46) Ps 83, 12. 47) Io 14, 12. 48) Ibid. vr. 7. 49) Ibid. vr. 12. 50) Ibid.

amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, etc., sicut alibi dixit: *Si habueritis fidem quantum granum* est *sinapis, monti huic dicetis:* [51] tollere, et mitte te in mare, *et obediet vobis;* [52] sic Apostoli fide perfecta praediti, in Christi nomine innumera operati sunt miracula. [53]

et praemium.

Tandem ostenditur praemium fidei: *Creditis in Deum et in me credite; in domo Patris mei mansiones multae sunt.* Hoc est quod Petrus ait: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum. [54] Sic: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* [55]

Praemium fidei pro omnibus aequale non est,

IV. Habemus autem hic non aequale omnibus esse fidei praemium, cum dicit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* nam, ut Paulus ait *1 Corinthiis: Alia claritas solis, alia claritas lunae... alia claritas stellarum; stella enim differt a stella in claritate; sic erit in resurrectione.* [56]

sicut alibi ostendit Dominus.

Hoc ipsum ostendit Dominus in parabola seminis, dum ait quod semen in terra bona fecit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum; [57] et in parabola decem minarum, nam eum qui, accepta mina, decem alias lucratus fuit, constituit super decem civitates, eum autem qui quinque lucratus fuerat, constituit super quinque civitates. [58] Sic Paulus ait: *Unusquisque... mercedem accipiet secundum suum laborem;* [59] et: *Qui parce seminat, parce et metet; qui autem seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet;* [60] *Quae enim seminaverit homo, haec et metet.* [61]

Falsa ergo sententia est asserens gloriam Beatorum aequalem esse,

Falsa igitur sententia fuit Ioviniani asserentis aequalem esse gloriam omnium Beatorum in coelo, quam Hieronymus potenter protrivit atque convulsit; [62] renovata tamen haeresis a novatoribus sectariis est, ad stabiliendam suam haeresim de fide sine meritis bonorum operum, ita ut horum sententia nihilo maior sit Apostolorum gloria in coelo quam latronis, cui Dominus paradisum

51) Mt 17, 19. Vulg.: *Sicut granum sinapis... dicetis monti huic.* 52) Lc 17, 6. 53) Cf. Mc 16, 17 sqq. 54) 1 Petr 1, 9. *Vestrarum* lect. cod. 55) Mc 16, 16. 56) 15, 41-42. Vulg.: *A stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* 57) Cf. Mt 13, 8-23; Mc 4, 8-20; Lc 8, 8-15. 58) Cf. Lc 19, 13-19. 59) 1 Cor 3, 8. 60) 2 Cor 9, 6. Vulg.: *Et qui seminat,* etc. 61) Gal 6, 8. 62) *Adversus Iovinianum,* lib. 1, (P. L 23, 214); lib. 2, ibid. col. 312-332.

promisit,[63] quam cuiusvis infantis, qui statim post Baptismum decedit, quoniam ad salutem consequendam sufficit tantum credere, idest fide apprehendere Christi merita.[64] Quomodo ergo Dominus singularem gloriam promisit dicens: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel?*[65]

sicut tenent novatores triplicem fidem statuentes

Sed errant in hoc haeretici, sicut in omnibus quae de fide tradunt. Cum autem ex Divo Paulo, *Ephesiis* 4, una sit fides: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium,*[66] ipsi tres faciunt: unam historicam, qua dogmata creduntur; alteram miraculorum, qua miracula fiunt: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam;*[67] tertiam promissionum, quam iustificantem dicunt: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;*[68] similes facti sunt Gentilibus qui, vero Deo ignorato, sibi multos confinxere deos, et sicut mulier quae, dimisso viro, multorum vult esse communis uxor, ita ut cum multos habeat, nullum habet. Accommodant autem has tres fides veluti fides in lyra: fidem miraculorum potentiae Dei, fidem historicam sapientiae, et fidem promissionum, sive iustificantem, bonitati. Haec autem tertia est, quam ipsi tantopere praedicant praedicantque, ut omnem penitus evertant fidem. Et mirum est quod non fecerint etiam tres deos divinamque potentiam, sapientiam et bonitatem tres substantias sive tres deas, sicut fecerunt tres fides ex his tribus obiectis.[69]

Lutherus et Calvinus reiiciunt definitionem fidei a D. Paulo traditam, et aliam dant.

V. Fidem autem iustificantem definivit Lutherus certam fiduciam divinae bonitatis et gratiae;[70] Calvinus vero certam firmamque cognitionem divinae erga nos benevolentiae.[71] Mirabiles plane theologos, dicam melius logologos, qui nonnisi verbum Dei dicunt et docent, cumque habeamus expressam fidei in verbo Dei definitionem a Paulo,[72] eam tanquam veterem stomachose abiicientes, novam ex suo cerebro definitionem adinvenere. Et merito

63) Cf. Lc 23, 43. 64) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 4, *De Iustificatione*, lib. 2, cp. 1, col. 775-778; lib. 5, cp. 3, col. 951-953. 65) Mt 19, 28. 66) Vrr. 5-6. 67) 1 Cor 13, 2. 68) Mc 16, 16. 69) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 4. *De Iustificatione*, lib. 1, cp. 4, col. 704-705. 70) Cf. ibid. 71) Cf. ibid. 72) Cf. Hebr 11, 1.

quidem, nam alioqui non essent novi magistri in Israel,[73] hoc est haeretici, *loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.*[74]

Et Lutherus quidem transformavit mirabili metamorphosi fidem in spem, Calvinus vero in cognitionem, ponitque Lutherus sedem fidei in corde, hoc est in voluntate hominis, cum nihil aliud sit fides per eum nisi fiducia divinae bonitatis et gratiae. Sed quaeso, domine magister, si fides non est aliud nisi fiducia divinae misericordiae, quidnam erit spes? Neque enim fides et spes idem sunt, cum a Paulo luculentis verbis distinguantur: *Nunc autem manent,* inquit, *fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.*[75] Si spes una eademque virtus est cum fide, non erunt tres virtutes theologicae; quomodo ergo Paulus tres posuit? Cur non attulisti fidei definitionem a Paulo traditam? Nam profecto de fide iustificante Paulus loquitur. Cum enim dixisset: *Iustus autem... ex fide vivit,*[76] subiungit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*[77]

Lutherus fidem cum spe confundit

Sed cum non posset Lutherus ex hac Pauli definitione suam constabilire sententiam, hoc est haeresim, novam confinxit chimaeram, statuens subiectum fidei voluntatem, actum fidei confidentiam, obiectum vero divinam tantum misericordiam; nam fides Lutheri divinam non agnoscit iustitiam. Sed ubinam in Sacris Litteris invenit Lutherus, voluntatem esse fidei subiectum? Fidem appellat *argumentum non apparentium;* argumentum autem, graece elenchus, ad revincendum intellectum adhibetur. Hinc alibi Paulus: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi;*[78] hinc, data fidei definitione, statim subintulit: *Fide intelligimus aptata esse saecula.*[79] An clarius potuisset Paulus fidem in intellectu collocare? Sic alibi: *Videmus nunc per speculum in aenigmate,* opponens cognitionem divinarum rerum, quam in praesentiarum habemus, ei quam habituri sumus in coelo, *tunc autem facie ad faciem.*[80] Visio autem ad oculum spectat, intellectus vero animae oculus est. Hinc idem Paulus *Romanis* 4 agens de fide Abrahae, qua *credidit... Deo et reputatum est ei ad iustitiam:*[81] *Confortatus est,* inquit, *fide,*

et ponit non intellectum sed voluntatem subiectum fidei,

contra apertam Pauli doctrinam;

73) Cf. Io 3, 10. 74) Act 20, 30. 75) 1 Cor 13, 13. 76) Hebr 10, 38.
77) Ibid. 11, 1. 78) 2 Cor 10, 5. Vulg.: *In captivitatem redigentes omnem,* etc.
79) Hebr 11, 3. 80) 1 Cor 13, 12. 81) Vr. 3. Vulg.: *Reputatum est illi.*

dans gloriam Deo, plenissime sciens, quoniam quaecunque promisit, potens est et facere. [82] Quare licet in hodierno Evangelio cor ponatur fidei subiectum, non ponitur cor pro voluntate, sicut ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* [83] Sed cum in Sacris Litteris saepe ponatur cor pro tota anima, uti: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum,* [84] et Petrus: [85] *Qui in abscondito est cordis homo;* [86] saepe quidem sumitur pro voluntate, sed saepe saepius pro mente. Hinc legimus: *Cuncta cogitatio cordis* [87] humani; hinc: *Cogitationes cordis;* [88] hinc sapientes corde; [89] hinc dedisse dicitur Deus Salomoni *cor sapiens et intelligens;* [90] hinc legimus quod artifices tabernaculi divini viri atque mulieres erant *sapientes corde.* [91]

Item errat in statuendo obiecto fidei;

Sicut autem toto aberravit coelo Lutherus in subiecto fidei, ita etiam in obiecto, cum divinam tantum misericordiam et bonitatem statuat fidei obiectum. Non ita Paulus, cum iustificantem fidem definisset, sed ait: *Sine fide... impossibile est placere Deo; accedentem enim ad Deum oportet credere quia est et inquirentibus se remunerator sit.* [93] Hinc agens de fide, qua Abraham iustificatus fuit, obiectum statuit omnipotentem Deum; similiter *Hebraeis* 11 ait: *Fide obtulit Abraham Isaac... arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.* [93] Sic in eodem loco Paulus ostendit eandem fidem iustificantem, quam definiverat substantiam, idest fundamentum sperandarum, non apparentium rerum in hoc mundo, posita nanque fide divinae veritatis in homine, illi innituntur quaecunque credenda aut speranda traduntur in Sacris Litteris, eandem ostendit et historicam esse: *Fide intelligimus aptata esse saecula,* et miraculorum, nam Sancti *per fidem vicerunt regna,* etc., [94] fide, inquit transisse Hebraeos mare Rubrum, fide muros Iericho corruisse, fide mulieres accepisse filios de resurrectione [95] et alia, quoniam perfecta fides miracula operatur. Sic hodie: *Qui credit in me, opera,* etc. Sic in hodierno Evangelio eadem fides ostenditur iustificans: *Creditis in Deum et in me credite; in domo Patris mei* ...

82) Ibid. vrr. 20-21. Vulg.: *Quia quaecunque promisit,* etc. 83) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 84) Ps 83, 3. 85) Ms.: *Paulus,* loco: *Petrus.* 86) 1 Petr 3, 4. Vulg.: *Qui absconditus est,* etc. 87) Gn 6, 5. 88) Ps 32, 11. 89) Cf. Prv 16, 21. 90) 3 Rg 3, 12. 91) Ex 36, 8. Vulg.: *Corde sapientes.* 92) Hebr 11, 6. Vulg.: *Credere enim oportet accedentem,* etc. 93) Ibid. vrr. 17-19. 94) Ibid. vr. 33. 95) Cf. ibid. vrr. 29-35.

mansiones multae sunt... Cum abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis; [96] fides etiam dogmatica: *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?* ac tandem miraculorum fides: *Qui credit in me, opera quae ego facio,* etc. Quare una est eadem fides quam hic Dominus tradit et Paulus *ad Hebraeos* definit.

Figmentum est quod Lutherus ait fiduciam esse; nam Dominus mulieri, quam a fluxu sanguinis curaverat propter fidem ipsius ait: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit;* [97] et paralytico, quem propter meritum fidei curare voluit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* [98] et Paulus *Ephesiis* 3: *In quo habemus fiduciam et confidentiam per fidem;* [99] ubi Paulus docet fidem causam esse fiduciae et confidentiae in Deum. Et *1 Timotheo* 3: *Qui... bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent et multam fiduciam in fide, quae est in Christo.* [100]

confundit etiam fidem cum fiducia quae ex fide oritur.

Deinde actus fidei non ponitur confidere, sed credere: *Creditis in Deum et in me credite; Non credis quia ego in Patre?* [101] *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?... Propter opera ipsa credite; Qui credit in me.* Ac ita semper actus fidei credere est, sicut obiectum fidei Deus ponitur et Christus: *Creditis in Deum... in me credite.* Cum Thomas confessus fuisset Christi divinitatem dicens: *Dominus meus et Deus meus,* tunc Dominus ait: *Beati qui non viderunt et crediderunt;* [102] tunc Evangelista: *Haec...scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est Christus Filius Dei.* [103] Sic Nathanael fidem suam expressit: *Magister, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel;* [104] sic Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* [105] sic Martha: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi.* [106] Hanc requirit hodie ab Apostolis: *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?* Nunquam in Sacris Litteris ponitur fidei obiectum ipsa specialis Dei misericordia, ut Lutherus somniavit, deliravit. Cum eunuchus Baptismum a Philippo petiisset, ait ille: *Si credis ex toto corde, licet;*

Actus fidei non est confidere sed credere, obiectum autem Deus et Christus est,

96) Io 14, 3. Vulg.: *Et si abiero... iterum venio, et accipiam vos... ut ubi sum ego,* etc.
97) Mt 9, 22. 98) Ibid. vr. 2. 99) Vr. 12. Vulg.: *Et accessum in confidentia per fidem.* 100) Vr. 13. 101) Io 14, 10. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non creditis.* 102) Io 20, 28-29. 103) Ibid. vr. 31. Vulg.: *Quia Iesus,* etc.
104) Ibid. 1, 49. Vulg.: *Rabbi, tu es,* etc. 105) Mt 16, 16. 106) Io 11, 27.

Deus unus et trinus, Christus verus Deus et homo.

cui eunuchus: *Credo Filium Dei esse... Christum,*[107] ac sic baptizatus fuit. In symbolo fidei, quod ab initio Ecclesia Catholica ab ipsis Apostolis accepit, non ponitur obiectum fidei specialis Dei misericordia, sed Deus Unus et Trinus, creator omnium, Christus Filius Dei, homo factus ex Virgine, natus, passus, mortuus, sepultus, suscitatus, qui ascendit in coelum et sedet ad dexteram Patris, unde venturus est ad iudicandum, cum aliis pietatis fideique nostrae articulis.[108] Figmentum igitur est, monstrum est, deliramentum est, quod Lutherus docet.

Sic errat etiam Calvinus statuens fidem esse notitiam divinae erga nos benevolentiae,

VI. Calvinus autem, licet verbis differat, re tamen idipsum docet. Nec tamen verum est quod ait in sua fidei definitione, fidem esse notitiam divinae erga nos benevolentiae. Ubi enim ipse hanc definitionem in verbo Dei invenit? Arguam ex principiis ipsorum propriis: fides et doctrina, quae in verbo Dei non reperitur expressa, vera non est; haec fides lutherana et calviniana in verbo Dei non reperitur expressa; ergo non est vera.

aliud enim est credere, aliud credita scire aut cognoscere.

Paulo prudentius, verbotenus tamen, Calvinus fidem definisse visus est dum eam notitiam appellat; quare in intellectu collocat; sed tamen vera non dicit nec docet. Aliud enim est credere, aliud credita scire aut cognoscere. Credimus, non novimus incomprehensibilia et ineffabilia mysteria Trinitatis, incarnationis, resurrectionis mortuorum. Nam si fides notitia esset mysteriorum fidei, vix optimus quisque philosophiae sacrae reconditaeque theosophiae professor fidem haberet. Et tamen, cum in Ecclesia semper maxima pars credentium turba fuerit sacrae theologiae ignorantium sub utroque Testamento, cum non haberent notitiam divinorum mysteriorum simplices fideles, fidem tamen veram habuerunt, per quam salvati sunt et salvantur. Et saepe maiorem notitiam Divinae Naturae et proprietatum eius habet naturalis philosophus, physicus, mataphysicus ex lectione Platonis aut Aristotelis, quamvis ethnicus sit et infidelis, quam simplex christianus; et tamen fidem ille non habet, hic autem habet.

Aliud fides est, aliud scientia et notitia. Fides assensus est firmus certusque divinarum rerum divinitus revelatarum propter

107) Act 8, 37. 108) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 6.

divinam auctoritatem, [109] nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* [110] Sic obiectum, in quod semper collimat fides, verbum Dei est. Id credendum de Deo, de Christo, quod divinitus nobis revelatum est, quod verbum Dei, sive scriptum sive non scriptum, credendum docet; nam symbolum fidei verbum Dei est, et tamen scriptum et exaratum in Sacris Litteris non est.

Obiectum fidei id est quod nobis revelatum est per verbum Dei sive scriptum sive non scriptum,

Obiectum tamen fidei ipse etiam Calvinus statuit divinam erga nos benevolentiam. Sed ubi, quaeso, hoc scriptum est? Ego fidei obiectum Deum semper et Christum lego; specialem hanc Dei benevolentiam non lego, nisi uti etiam Dei potentiam, iustitiam et quaecunque in Deo credenda sunt. Ubi, quaeso, dicit Divina Scriptura quod, qui credit remissa sibi esse peccata, hac fide iustificatus et salvus est? habet vitam aeternam? Bene legimus saepe quod, qui credit in Christum, habet vitam aeternam; nunquam autem coarctatam legimus fidem ad remissionem peccatorum.

divina autem benevolentia nullibi legitur specialiter revelata.

Deinde, quod advertendum summopere est, licet in Divinis Litteris habeamus universales propositiones: *Omnis qui credit in ipsum... habet vitam aeternam;* [111] non tamen hinc oritur salutis certitudo in credentibus; nam intelligendae sunt universales propositiones cum grano salis; [112] omnis qui bene credit. Nam est etiam generalis propositio de oratione: *Omnis... qui petit, accipit,* [113] sicut etiam in hodierno Evangelio dicitur: *Ad Patrem vado, et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* [114] Absoluta videtur et universalis propositio, et tamen Iacobus apostolus ait: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;* [115] *Postulet... in fide nihil haesitans.* [116] Sicut ergo ex universali illa propositione: *Omnis... qui petit, accipit,* non sequitur necessario: ego peto, ergo accipiam; nam non accipit nisi qui bene petit; ita ex illa universali: *Omnis, qui credit* in Christum, *habet vitam aeternam,* non sequitur: ego credo in Christum, ergo habeo vitam aeternam; sed videndum an bene credas; nam non omnis qui existimat se bene credere, revera bene credit. Quis enim haereticus non arbitratur se bene credere? Et

In S. Scriptura propositiones universales accipiendae sunt maxima cum discretione.

109) Ex definitione communiter data fidei. 110) Rom 10, 17. 111) Io 3, 16. Vulg.: *Habeat vitam aeternam.* 112) Modus proverbialis nunc quoque usitatissimus. Cf. G. Fumagalli *L' Ape Latina*, n. 41. 427, pag. 5. 51. 113) Mt 7, 8. 114) Io 14, 12-13. 115) 4, 3. 116) Ibid. 1, 6.

tamen omnis haereticus est proprio iudicio damnatus.[117] Sic universalis illa est: Omnis qui credit iustificatur, articulo 13,[118] non sequitur: ego credo, ergo iustificatus sum; sicut non sequitur: omnis qui habet animam rationalem est capax omnis disciplinae, vera quidem propositio est; nam anima rationalis capax est omnis disciplinae, scientiae et virtutis; infans habet animam rationalem, ergo capax est omnis disciplinae? Cum habuerit perfectum rationis usum, tunc capax erit, nisi aliquid impediat.

Hae autem novatorum doctrinae figmenta sunt satanae ad perdendas animas.

Quare toto coelo aberrant novatores. Sed confinxit figmentum hoc satanas in eorum cordibus ad perdendas animas, dum hac doctrina tolluntur orationes, ieiunia, eleemosynae, opera bona et quaecunque tandem Deus ad salutem consequendam instituit media. Miror quod non etiam Baptismum de medio tulerint; nam si sufficit fides, quid opus est Baptismo? Miror etiam quod non expunxerint ex oratione dominica particulam illam: *Dimitte nobis debita nostra;*[119] nam si fides est certo certius credere per fidem remissa sibi esse peccata, profecto sacrilegium erit dubitare de remissione peccatorum, sicut de Christi passione. Ludere igitur erit cum Deo ab eo cum publicano petere remissionem peccatorum et dicere: *Deus, propitius esto mihi peccatori,*[120] itemque: *Dimitte nobis debita nostra.*

Errant etiam novatores circa operationes fidei,

VII. Sicut autem erratum ab haereticis est in subiecto, obiecto et actu fidei, ita etiam in operationibus ipsius: *Qui credit in me, opera quae ego facio,* etc. Nam cum probatum sit eandem omnino esse fidem iustificantem, historicam et miraculorum, si novatores, ut nugantur, eandem haberent puram sinceramque cum Apostolis fidem, eadem etiam operarentur miracula, sicut in Ecclesia Catholica semper fuere viri perfecti in fide, qui innumera operati sunt miracula. Nec fugam caperent dicentes aliam esse fidem iustificantem a fide miraculorum, nec appellarent miracula Sanctorum opera satanae, sicut olim Pharisaei blasphemantes dicebant de miraculis Christi.[121] Ait autem Dominus: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit... Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur.*[122]

calumniantur enim miracula quibus Deus fidem veram confirmat,

117) Cf. Tit 3, 11. 118) *Confessionis Augustanae,* art. 4-6, I. L. t. 4, f. 162. Cf. etiam S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 1, pag. 233. 244. 119) Mt 6, 12. 120) Lc 18, 13. 121) Cf. Mt 12, 24; Mc 3, 22; Lc 11, 15. 122) Mc 16, 16-18.

Non enim Deus solum Moysen, qui ad plantandam fidem missus fuit, voluit operari miracula, verum etiam alios Prophetas, qui ad reformandam religionem idololatria labefactatam, voluit multa miracula praestare. Nam iisdem mediis opus est ad collapsam domum reparandam, quibus opus fuit ad eam fabricandam. Si ad plantandam fidem Christi opus fuit tot miraculis Christi et Apostolorum, ad eam reformandam reparandamque iisdem opus esset.

cum ipsi vera miracula ostendere nequeant;

Dicunt autem se missos, novatores sectarii, ad reformandam Ecclesiam religionemque christianam. Ubi sunt igitur miracula apostolicae fidei? Arbor a fructibus cognoscitur.[123] Si ipsi veram habent apostolicam fidem, ostendant opera et fructus huius fidei: *Qui credit in me, opera,* etc.

errant etiam in statuendo praemio et fine fidei.

Erratum etiam ab eis est in praemio et fine fidei: *Reportantes finem fidei vestrae;*[124] *In domo Patris mei mansiones multae sunt,*[125] multi gradus gloriae, honoris, sicut in aula regis, sicut in ecclesiastica hierarchia, maxime vero in Romana Curia; sicut etiam in Angelis ipsis, in coelesti hierarchia multi sunt gradus et ordines Angelorum. At novi hi magistri in Israel corpus triumphantis Ecclesiae totum faciunt carnem, totum caput, manus, aut pedes,[126] turpissimum monstrum.

Duplex est praemium verae fidei: in futuro saeculo consortium gloriae Christi,

Verum in hodierno Evangelio duo habemus verae fidei praemia: alterum quidem in coelo, in futuro saeculo; alterum in terra, in hoc praesenti saeculo; illud est: *In domo Patris mei mansiones multae sunt; Vado parare vobis locum; et cum abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam et recipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis:*[127] praemium est participatio et consortium gloriae Christi in paradiso; alterum vero est: *Ad Patrem vado, et quodcunque petieritis... in nomine meo, hoc faciam:*[128] orationum exauditio veluti praemium est verae fidei in Ecclesia Catholica, sicut ab initio fuit. Dum teneretur Petrus ab Herode in carcere, *oratio... fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo;*[129] exaudivit autem Do-

123) Cf. Mt 12, 33; Lc 6, 44. 124) 1 Petr 1, 9. 125) Io 14, 2. 126) Ms.: *Pes*
127) Ibid. vrr. 2-3. Vulg.: *Et si abiero... iterum venio et accipiam... ubi sum ego,* etc.
128) Ibid. vrr. 12-13. 129) Act 12, 5. Vulg.: *Sine intermissione ab Ecclesia,* etc.

minus preces Ecclesiae; misit Angelum suum et divino miraculo liberavit Petrum. [130]

In praesenti exauditio orationum.

Exauditio orationum signum est verae fidei, quoniam Moyses exaudiebatur a Deo, agnoscebatur verus nuncius et propheta Dei. Sic Elias sua oratione impetrans a Deo vitam mortuo filio viduae, agnitus ab ea fuit propheta; [131] sic oratione impetrans ignem de coelo, ostendit suam veram esse religionem et fidem, non prophetarum Baal. [132]

Novatores autem sectarii cum sanctae orationis virtutem ignorent, studium eius omnino negligunt et contemnunt: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Sic Petrus oratione sua mortuam Tabitham suscitavit; [133] sic cum orarent Apostoli, motus fuit locus ubi orabant et omnes repleti fuerunt Spiritu Sancto; [134] sic orationibus suis viri sancti ad Christi gloriam innumera operati sunt miracula.

Cum actu fidei coniungit Dominus cognitionem, quia fides in mente sedem habet.

Quoniam fides in mente sedem habet, propterea Dominus hodie cum actu fidei coniungit cognitionem: *Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me. Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum... Non credis quia ego in Patre et Pater in me est?* [135] Ostendit tamen aliud esse credere et aliud cognoscere; nam: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognoscitis eum, et vidistis eum*, quoniam *qui videt me, videt et Patrem* meum, [136] quoniam una est utriusque natura et substantia. Quoniam vero non poterant hoc Apostoli adhuc cognoscere, fidem exigit: *Creditis in Deum et in me credite... Non creditis quia*, etc.? Divus Petrus in *Actis*, cum miraculo curasset claudum ab utero matris, dixit fidem Christi operatam fuisse miraculum illud: *In fide nominis eius hunc, quem vos videtis et nostis, confirmavit nomen eius, et fides, quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* [137]

130) Cf. ibid. vrr. 7-11. 131) Cf. 3 Rg 17, 2 sqq. 132) Cf. ibid. 18, 21-40. 133) Cf. Act 9, 36-41. 134) Cf. ibid. 4, 31. 135) Cf. supra, pag. 9, not. 101. 136) Io 14, 7-9. Vulg.: *Et amodo cognoscetis*, etc. *Cognoscitis* lect. cod. 137) 3, 16. Vulg.: *Vos vidistis*, etc.

DIES INVENTIONIS SANCTAE CRUCIS

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum. [1]

I. Comparat seipsum Dominus serpenti, quem Moyses in deserto exaltavit; crucem suam stipiti et ligno alto, supra quod exaltatus serpens ille fuit; effectum passionis suae effectui quem divino miraculo serpens ille operatus fuit. Legimus autem *Numeris* 21 quod, cum Dominus ad puniendum populi peccatum immisisset ignitos serpentes, qui populum morsibus et veneno instar infernalis pestis vexabant atque perdebant, cumque populus, vexatione dante intellectum, [2] poenitens facti ad Moysen recurrisset pro orationis suffragio, orante Moyse pro salute populi, dixit Deus: *Fac serpentem aeneum et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem aeneum et posuit eum pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur;* [3] ubi hebraice est: *Fac tibi seraph et pone eum super vexillum*, idest hastam vexillarem, ut sit instar vexilli, aedito loco positus. Fecit itaque Moyses serpentem aeneum fuitque, si quem serpens momorderat, aspiciebat in serpentem aeneum et vivebat. עֲשֵׂה לְךָ שָׂרָף: [4] *Fac tibi seraph*, quo nomine igniti Angeli apud Isaiam appellantur, [5] quia flammam ignis referebant. Ita hoc loco eandem ob causam serpens ignitus dicitur, sive ardens, quoniam instar ignis splendebat. Existimo autem allusum esse ad mysterium.

Comparat seipsum Dominus serpenti a Moyse in deserto exaltato.

1) Pericope huius diei Io 3, 1-15. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Is 28, 19.
2) Vrr. 8-9. 4) Ms.: *Hasseh lecha sceraph* 5) Cf. 6, 2-6.

II. Tria vero de serpente hoc indicantur: primum est inventum divinae artis et sapientiae pro antidoto et remedio contra venena ignitorum serpentium; secundum est virtus et efficacia salutaris huius remedii, nam omnes cuiuscunque sexus, aetatis, conditionis et status, sine ullo discrimine confestim sanabat; tertium est modus sumendi hoc remedium; non enim per os sumebatur, neque instar emplastri per contactum, ut topicum remedium adhibebatur, sed per oculos sumebatur, solo aspectu: *Qui percussus aspexerit . . . vivet.*

Tria de hoc serpente indicantur,

Quoad primum, fuit illud quidem mirabile divinae sapientiae inventum magnumque miraculum, quo vix reperitur maius in omnibus miraculis Veteris Testamenti. Siquidem serpens exaltatus non solum fugavit innumerabiles serpentes, ita ut amplius non comparerent nec cuiquam de populo nocerent, verum etiam sanavit innumeros venenatos et a faucibus mortis eripuit; erat enim irremediabile ac supra modum mortiferum venenum. Magnum fuit artis medicae inventum theriaca contra venenum; sed hoc divinum fuit, quod omnes et statim et perfecte sanavit et ad instar aquae copiosissimae accensum ignem fere in momento extinxit. Fuit supernaturale remedium, quod natura sua nullam habebat ad restinguendam vim veneni virtutem, imo potius ad augendam, ut aiunt Hebraei. [6]

quae ostendunt divinae sapientiae inventum mirabile et magnum miraculum;

Sed, ut ad mysterium transeamus, hac exaltati serpentis historia [7] ostendit Dominus fuisse expressam quandam passionis suae imaginem. Licet autem aliae multae sint in Divinis Litteris figurae passionis Christi, ut mors Abelis, [7a] sacrificium Abrahami, [8] agnus paschalis, [9] sacrificium expiationis [10] aliaque permulta, haec tamen omnium expressissima est, maxime vero quoad tria, nempe quoad personam Christi patientis, quoad modum passionis et quoad finem passionis ipsius.

mystice autem exprimunt imaginem passionis Christi,

Quoad personam, in serpente aeneo considerantur materia, forma et color: materia, aes; forma, serpentis figura; color, igneus, nam ignem referebat. Aes metallum est solidum, validum, potens;

et primo quidem personam Christi

6) David Kimchi in Libro *Radicum*, apud *Criticos Sacros*, Nm 21, 9. 7) Ms.: *Hanc... historiam.* 7a) Cf. Gn 4, 8. 8) Cf. ibid. 22, 1-10. 9) Cf. Ex 12, 3-13. 10) Cf. Lv 16, 1 sqq.

serpens symbolum prudentiae: *Estote... prudentes sicut serpentes;* [11] ignis imago divinae caritatis: *Deus noster ignis consumens est,* [12] sic Spiritus Sanctus in igneis flammis descendit. [13] Christus praeditus fuit divina potentia, sapientia, caritate, hinc appellatur Dei virtus et sapientia, [14] itemque *bonus pastor* qui *animam suam dat pro ovibus suis.* [15] Talis revera Christus erat in oculis Dei; non item in oculis mundi. Serpens videbatur noxium et venenatum animal, sed non erat; serpens erat sine veneno et cum potentia extinguendi omne venenum: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati,* [16] *in similitudinem hominum factus;* [17] antiquum serpentem referre videbatur, qui Dei aequalitatem appetiit, [18] Deus fieri voluit: *Propterea persequebantur* eum *Iudaei,* quia *patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Dei.* [19]

eiusque virtutem ad extinguendum omne peccatum,

Exprimitur autem hac figura non tantum Christi persona cum virtute divina ad extinguendum omne peccatum: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [20] *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* [21] verum etiam exprimitur eius conceptio, vita et mors. Serpens ille ex divina ordinatione fuit in igne conflatus, ignis virtute formatus, cum figura quidem veri serpentis, sed absque veneno serpentum; ita Christus ex divina dispositione conceptus formatusque fuit in utero Virginis, verus homo similis aliis hominibus, sed absque peccato. Exprimitur vita Christi innocens, semper immunis ab omni peccato, sicut serpens ille semper fuit absque veneno. Tandem Christi mors in exaltatione serpentis; hinc fere semper Christus mortem suam exaltationem appellavit. [22] Sic innocens Christus et absque ullo peccato proponitur in conceptione, in vita, in morte: *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius.* [23]

eius conceptionem immaculatam,

vitam sanctissimam et mortem innocentem,

Exprimitur hac figura finis, virtus et efficacia passionis Christi. Fugavit vicitque mirabiliter serpens exaltatus omnes serpentes ignitos et omnia eorum mortifera venena sanavitque omnes a serpentibus morsos et sauciatos magno miraculo. Sic ait: *Ut omnis,*

finem et efficaciam passionis Christi

11) Mt 10, 16. 12) Hebr 12, 29. 13) Cf. Act 2, 2-4. 14) Cf. 1 Cor 1, 24.
15) Io 10, 11. 16) Rom 8, 3. Vulg.: *Deus Filium suum mittens,* etc. 17) Phil 2, 7.
18) Cf. Is 14, 12-15. 19) Io 5, 16-18. Vulg.: *Se faciens Deo.* 20) Mt 1, 21.
21) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.
22) Cf. ibid. 12, 32. 34; 8, 28. 23) 1 Petr 2, 22.

qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam; [24] sic: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* [25] sic Paulus ait: *Finis... legis Christus ad iustitiam omni credenti.* [26]

eiusque necessitatem ad salutem.

Ostenditur necessitas huius remedii ad salutem; nam sine illo unico remedio nemo Hebraeorum salvari potuit a vi ignitorum serpentium. Sic Petrus ait: *Neque enim aliud est nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* [27] nisi in nomine isto; sicut etiam arca unicum fuit remedium salutis ab aquis diluvii. [28] Hoc ipsum Dominus in hodierno Evangelio dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* [29] Per Spiritum autem spiritum fidei vel maxime intelligit, de quo Paulus *2 Corinthiis,* 4: *Habentes... eundem spiritum fidei.* [30] Propterea Christus cum haec dixisset, subiunxit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem,* etc., coniungens mysterium passionis suae cum sacramento Baptismi, nam Baptismus a passione Christi habet habuitque semper ab initio suae institutionis virtutem omnem et efficaciam.

Merita Christi infiniti valoris sunt, Christus enim Deus et homo est

III. Hanc autem vim salutarem habet Christus, quia verus Deus et verus homo, propterea utranque personae suae naturam declarans hodie ait: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* [31] Sic enim loquitur Christus propter communicationem idiomatum; [32] neque enim Christus secundum naturam humanam, secundum quam *Filius hominis* dicitur, aut ascenderat aut descenderat de coelo, sed quia Verbum in coelo semper est fuitque semper, cum esset una eademque persona cum Verbo, dicitur descendisse de coelo, ascendisse in coelum, fuisse in coelo. *Nemo ascendit,* praeteritum tempus est; loquitur autem de hominibus, non de Angelis. Licet autem Elias raptus dicatur in coelum, [33] non tamen revera ascendit in coelum Beatorum, ubi Deus facie ad faciem videtur. [34] Hinc ait: *Deum nemo vidit unquam; Filius hominis, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* [35]

24) Io 3, 15. 25) Mc 16, 16. 26) Rom 10, 4. 27) Act 4, 12. Vulg.: *Nec enim aliud nomen est,* etc. 28) Cf. Gn 7, 17 sqq. 29) Io 3, 5. 30) Vr. 13. 31) Io 3, 13. 32) De hoc cf. H. Hurter *Theologiae Dogmaticae Compendium,* t. 2, tract. 7, cp. 5, pag. 458-459. 33) Cf. 4 Rg 2, 11. 34) Cf. 1 Cor 13, 12. 35) Io 1, 18. Vulg.: *Unigenitus Filius, qui est,* etc.

Dicitur autem Filius hominis exaltatus, quoniam Christus, licet verus Filius Dei sit, non tamen passus est secundum divinam, sed secundum humanam naturam, nec meruit nobis salutem ut Deus, sed ut homo, licet ex divina in eo caritate meritum passionis summum sit et infinitum. Sicut autem differt umbra a corpore, ita serpens ille a Christo. Contulit serpens ille salutem, sed corpoream et temporariam; multis, sed ex uno tantum populo; Christus autem confert salutem, sed integram corporis et animae aeternamque in coelo: *Ut omnis qui credit in ipsum... habeat vitam aeternam,* hoc autem toti mundo aspicienti in eum, hoc est credenti: Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* [36] Serpens ille nihil passus fuit, nam insensibile et inanime metallum erat; at Christus revera multa passus fuit, quoniam revera homo erat, vita sensuque praeditus, hinc *Filius hominis* appellatur. Serpens ille non propria virtute, sed ex divina tantum institutione salutem conferebat; Christus autem ex propria virtute et auctoritate dat vitam aeternam. Serpens ille aegrotos quidem sanavit, sed mortuos non suscitavit; Christus autem divinam virtutem habet secundum utranque hominis substantiam et sanandi infirmos et mortuos suscitandi. Serpens ille nullam penitus proportionem aut convenientiam habere videbatur ad effectum illum operandum, imo potius ad oppositum, incredibile videbatur, et tamen ita revera evenit; ita incredibile videbatur quod Christus, homo crucifixus tanquam vilissimus homo de plebe et malefactor, posset homini salutem et vitam aeternam dare, quod solus Deus potest. Stultum autem videbatur eum verum Dei Filium verumque Deum omnipotentem credere, et tamen talem se esse in ipsa etiam cruce ostendit. Eduxit Dominus de petra durissima et aridissima copiosissimas aquas, flumina aquarum. [37]

et secundum naturam humanam nobis meruit salutem,

Sicut autem in serpente illo non solum ostenditur antidotum efficaciaque ipsius, verum etiam modus sumendi illud, ita etiam hic ostenditur non solum passio Christi et virtus divina passionis eius, verum etiam modus passionis ipsius et modus participandi ex virtute ipsius optatam salutem. Modus sumendi illud remedium

dummodo vera fide in eum credamus.

36) Ibid. 4, 42. Vulg.: *Quia hic est,* etc.

37) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11.

fuit aspicere in serpentem exaltatum super hastam vexillarem; modus consequendi salutem est credere in Christum crucifixum. Modus passionis Christi expressus fuit in exaltatione serpentis, quoniam Christus moriturus erat in cruce exaltatus: *Sicut Moyses exaltavit serpentem... ita exaltari oportet Filium hominis; Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum;* [38] *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum... oportet exaltari Filium hominis.* [39]

Ostenditur in hodierno Evangelio mysterium et magnitudo Christi crucifixi,

IV. Habemus in hodierno Evangelio mysterium crucis et crucifixi, magnitudinem Christi crucifixi et crucis. Magnitudinem Christi expressit prius Nicodemus dicens: *Rabbi, scimus quoniam a Deo venisti magister; nemo enim potest facere signa quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* [40] Alludit autem ad Moysen, qui propterea multa signa fecit, quoniam a Deo missus fuerat et erat Deus cum eo. [41] Quibus verbis conceptum animi sui explicavit fidemque quam ex miraculis Christi conceperat, nempe eum prophetam esse a Deo missum et forte etiam ipsum Messiam. Hac autem praefatione usus videtur, ut sciret a Christo qua re opus sibi esset quidve agendum ut regni eius particeps esset utque regnum coelorum ingrederetur, quamvis hoc non exprimat Evangelista, sed ex responsione intelligendum relinquat, sicut 1 capite fecit exponens legationem Iudaeorum ad Ioannem, *ut interrogarent eum: Tu quis es?* Cum enim non posuisset interrogationem: Christus es tu? sicut: *Elias es tu?... propheta es tu?* ex responsione intelligenda reliquit: *Confessus est, quia non sum ego Christus;* [42] ita hic: *Respondit,* inquit, *Iesus et dixit ei:... Nisi quis renatus fuerit denuo,* idest secundo, *non potest introire in regnum Dei.* [43] Quod cum non intelligeret Nicodemus, dignatus fuit Dominus declarare: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Cum *Magister* appellatus sit a Nicodemo, ostendit magnitudinem sapientiae suae, ita ut, licet Nicodemus magister esset in Israel, Christi doctrinam capere non posset: *Quomodo,* inquit, *possunt*

38) Io 8, 28. 39) Ibid. 12, 32-34. Vulg.: *Si exaltatus,* etc. 40) Ibid. 3, 2. Vulg.: *Scimus quia... haec signa facere quae,* etc. 41) Cf. Ex 3, 1-4, 1-17. 42) Io 1, 19-21. 43) Ibid. 3, 3. Vulg.: *Non potest videre regnum Dei.*

haec fieri ? Cui Dominus: *Tu es magister in Israel et haec ignoras ?... Quod scimus loquimur et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis,* idest facilia intellectu, *et non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia credetis,*[44] idest multo altiora multoque sublimiora mysteria? Nam, inquit, solus ego possum coelestia divinaque arcana reserare. Siquidem nemo hominum ascendit unquam antehac in coelum, ubi Deus est, idest nemo hominum fuit unquam in coelum. Hoc autem significat per ascensionem, quoniam cum omnis homo natus in terra sit, nemo hominum potest in coelo esse, nisi eo ascenderit; hinc ait: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis,* qui item verus Dei Filius est, *qui est in coelo* et per assumptam humanitatem dicitur descendisse de coelo. Sicut autem dicitur Christus per communicationem idiomatum verus Deus, creator mundi, rector universi, Dominus Angelorum, rex gloriae paradisi, ita dicitur hic descendisse de coelo et esse in coelo. Quare ita ostenditur divina Christi magnitudo hodie, prius quidem verbis Nicodemi, postea vero verbis ipsius Christi ac tandem figura et hieroglyphico serpentis exaltati et explicatione ipsius: *Ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed,* etc.

mysterium et magnitudo crucis.

Verum, ostenditur etiam mysterium et magnitudo crucis, nam crux altitudo appellatur et crucifixio exaltatio: *Sicut exaltavit Moyses serpentem... ita exaltari oportet Filium hominis.* Paulus ait quod Christus *humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis.*[45] Quare passionem mortemque crucis summam dicit humilitatem, ut revera erat in oculis hominum; Christus autem non humilitatem dicit, sed exaltationem, quoniam revera talis erat in oculis Dei, nam in morte violenta ex causa ipsius iudicandum est de honore aut ignominia ipsius.

Impie ergo haeretici cultum crucis Christi adversantur.

V. Non igitur iis oculis Christus crucem aspiciebat quibus nunc mundus et quibus nunc etiam haeretici, qui detestandam dicunt veris christianis, sicut filiis vere piis patibulum in quo pater suspensus fuit, ita ut crucem nonnisi loco infamis furcae habeant nulloque

44) Ibid. vrr. 9-12. 45) Phil 2, 8.

honore dignam ducant docentque superstitionem esse et genus quoddam magicae artis uti signo crucis.[46] Impius ergo in Christum Paulus, qui nonnisi in cruce Christi gloriabatur: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo?*[47] Impius dum dixit haereticos inimicos esse crucis Christi: *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt?*[48] Hinc alibi dicebat se a Christo missum ad evangelizandum, sed *non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus... stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus.*[49]

nam crux ista vera Christi exaltatio fuit,

Non itaque his oculis Christus crucem aspexit; hinc crucem suam exaltationem dixit, similem exaltationi serpentis in deserto, per quam populus salvatus fuit. Non fuit exaltatio illa ignominiosa, sed honorabilis; hinc per multa saecula usque ad tempora Ezechiae regis serpens ille a populo maximo in honore fuit, ita ut tandem idololatria infecti Hebraei illi divinos honores tribuerent;[50] quam ob rem rex pientissimus illum confregit et in pulverem redactum proiecit in torrentem Cedron.[51] Ita crux Christo visa fuit honorabilis, propterea eam elegit, propterea in die iudicii crux in coelo divino splendore fulgebit: *Tunc parebit signum Filii hominis,*[52] idest crux, ut omnes Sancti Patres in unum exponunt.

nos autem eam honoramus tanquam instrumentum salutis nostrae.

Honoramus crucem tanquam instrumentum salutis nostrae; fuit enim crux in manu Christi baculus quo Iacob pertransivit Iordanem,[53] virga Dei in manu Moysi contra Pharaonem et regnum Aegypti pro salute Hebraeorum,[54] virga qua David armatus incessit ad pugnandum contra Goliam.[55] Honoramus crucem quoniam ipsa facta est nobis lignum vitae contra lignum mortis, quoniam facta est nobis arca salutis sicut arca Noe,[56] sicut arca testamenti quae veluti divinitate plena populum Dei ab hostium potentia

46) Cf. Io. Calvinus *Admonitio de Reliquiis*, t. 8, pag. 203-208; S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 2, lib. 2, cp. 26, pag. 411-412; Centuriatores Magdeburgenses *Hist. Eccles.*, *centuria* 8, cp. 9, col. 545. 47) Gal 6, 14. 48) Phil 3, 18-19. Vulg.: *In confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* 49) 1 Cor 1, 17-18. 50) Ms.: *Tribuent.* 51) Cf. 4 Rg 18, 4. 52) Mt 24, 30. 53) Cf. Gn 32, 10. 54) Cf. Ex 4, 17. 55) Cf. 1 Rg 17, 40. 56) Cf. Gn 7, 1 sqq.

salvabat in bellis.[57] Veneramur crucem tanquam altare ligneum quod Moyses ex divina ordinatione construxit ad sacrificia et holocausta pro populi sanctificatione;[58] veneramur tanquam instrumentum benedictionis nostrae, nam Iacob brachiis in crucis modum compositis benedixit filiis Ioseph eosque in suos adoptavit;[59] veneramur crucem divina Christi praesentia consecratam, nam si locus Dei praesentia consecratus ex divina sententia Moysi adeo venerabilis fuit, ut nonnisi nudis pedibus ad eum accedendum sibi esset,[60] et Iosue locus Angeli praesentia honestatus,[61] quanto magis crux nedum verissima Christi veri Dei et[62] veri hominis[62a] praesentia, verum etiam sanguine consecrata!

Crux vexillum est gloriae et triumphi, sicut fuit Constantino imperatori.

VI. Consueverant olim Romanorum milites, mox ut imperatoris labarum vexillumque in exercitu erigebatur, adorare illud; hinc Constantinus Magnus, factus christianus et ex animo pientissimus Christi cultor, labarum suum signo crucis decoravit, ut milites sui exercitus crucem Christi in labaro adorarent, ut Eusebius libro 9 *Historiae*[63] et libro 1 *De Vita Constantini* testatur,[63a] et, eodem auctore libro 2 *Vitae* ipsius, imperator semper in proeliis labarum cruce insignitum ad eam partem quae magis laborabat deferri iubebat, et mox victoria veluti divinitus tradita sequebatur,[64] nam acceperat divinam revelationem ostensa sibi coelitus cruce fulgenti dictumque sibi erat: « In hoc signo vinces », libro 1 *De Vita Constantini*.[65] Hinc, devicto Maxentio, Romam reversus, in celeberrimo loco crucem erexit cum hac inscriptione: « Hoc salutare signum », et rursum in manu dextera statuae suae crucem apponi iussit cum his litteris: « Hoc uno verae fortitudinis signo urbem vestram liberavi ».[66]

Impie novatores probatissima documenta et miracula inventionis S. Crucis negant.

Helena, pientissimi huius imperatoris pientissima mater, ardentissimo studio flagrans inveniendi Sanctam Crucem, Ierosolymam petiit divinitus admonita, ut Eusebius refert in *Chronicon*,[67] cuius inventionis meminit etiam in libro 3 *Vitae Constantini*.[68]

57) Cf. Ios 6, 1 sqq. 58) Cf. Ex 27, 1-7; 38, 1-7. 59) Cf. Gn 48, 9-19. 60) Cf. Ex 3, 5. 61) Cf. Ios 5, 16. 62) Ms.: *Ut* loco: *Et*. 62a) *Nedum* repetitur. 63) Cp. 9, (P. G. 20, 819-822). 63a) Cp. 29, ibid. col. 943. 64) Cp. 6-7, ibid. col. 986-987; cp. 12-14, ibid. col. 990-994. 65) Cp. 28, ibid. col. 943. 66) *Hist. Eccles.*, lib. 9, cp. 9, ibid. col. 823. 67) T. 4, fol. 83b. Basileae 1542. 68) Cp. 42, (P. G. 20, 1102).

Cuius quidem celeberrimae historiae non solum Eusebius, Ruffinus,[69] Socrates,[70] Theodoretus,[71] Sozomenus,[72] Nicephorus[73] et alii gravissimi historici meminerunt,[74] verum etiam Ambrosius,[75] Hieronymus,[76] Chrysostomus[77] et his omnibus antiquior Cyrillus Ierosolymitanus in epistola *ad Constantium Augustum.*[78] Quare mira est Centuriatorum impudentia qui tam celebrem historiam in dubium revocare conantur, eo quod Ambrosius illis primus sit qui inventionis huius meminerit in *Oratione ad Theodosium,* quam Erasmus non probat,[79] quasi Erasmus divinum esset oraculum, cum tamen censura haec Erasmi non reperiatur; itemque quia inventionis huius non meminit Eusebius libro 3 *De Vita Costantini.* Sed meminit alibi. Quid opus erat repetere rem maxime toto orbe terrarum notissimam et celeberrimam? Sed quoniam inventio haec multis divinis miraculis illustrata honorataque fuit, ne admittant Deum honorasse[80] patibulum turpissimae passionis et mortis Filii sui, quod ipsis scilicet amantioribus Christi propterea detestandum videtur, voluissent hanc non extare historiam verissimam totoque orbe celeberrimam.

Si detestanda crux est propter ignominiam passionis et mortis Christi, quomodo eam Deus miraculis honoravit? Quid ergo? Amantissimus pater honorabit infame furcae patibulum, ubi magna cum ignominia dilectissimus filius suspensus et mortuus fuit? Ah! non hisce oculis Deus crucem aspicit, non secundum carnem iudicat Deus. Secundum carnem crux locus fuit ignominiae Christi, sed secundum spiritum locus fuit gloriae et virtutis Christi, victoriae et triumphi Christi de satana, de peccato, de morte, de inferno, de ipso etiam mundo; cruce enim Christus etiam mundum sibi subiecit. Tandem fuit crux Christo et omnibus credentibus in eum scala coeli

Crux Christo non ignominiae sed gloriae locus fuit.

69) *Hist. Eccles.*, lib. 1, cp. 8, (P. L. 21, 476-477). 70) *Hist. Eccles.*, lib. 1, cp. 17, (P. G. 67, 118-119) 71) *Hist. Eccles.*, lib. 1, cp. 17, ibid. 82, 958-959. 72) *Hist. Eccles.*, lib. 2, cp. 1, ibid. 67, 930-934. 73) *Hist. Eccles.*, lib. 8, cp. 29, ibid. 146, 110-111.
74) Cedrenus *Historiae Compendium*, ibid. 121, 542; Zonaras *Annales*, lib. 13, ibid. 134, 1103-1106; Sulpitius Severus *Hist. Sacra*, lib. 2, cp. 34, (P. L. 20, 148). 75) Oratio *De obitu Theodosii*, (P. L. 16, 1400-1402). 76) *Martyrologium* (spuria), ibid. 30, 455.
77) *In Ioannem*, hom. 85, (P. G. 59, 461). 78) Ibid. 33, 1167-1174. 79) *Hist. Eccles.*, *centuria* 4, cp. 13, col. 1438-1439. 80) In codice desinit, hic f. 5; errore autem collectoris nunc, omisso f. 6, transeundum est ad f. 7.

et porta paradisi: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;* [81] sic.: *Ut omnis, qui credit in ipsum... habeat vitam aeternam.* [82]

altare sacrificii a se voluntarie electum,

Sic non fuit crux Christo instrumentum mortis coacte, ex necessitate, sicut homini qui invitus suspenditur; sed crucem et mortem crucis ipse sibi elegit: *Oblatus est quia ipse voluit.* [83] Ipse sibi hoc altare elegit atque construxit ad offerendum Deo sacrificium corporis sui per Spiritum Sanctum, ad emundandas conscientias nostras, ut *ad Hebraeos* dicitur, [84] ut pacificaret per sanguinem crucis suae omnia, ut etiam sibi ipsi causa esset maxime exaltationis: [85] *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum;* [86] *Propter quod et Deus exaltavit illum;* [87] *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* [88] Elegit tanquam aptissimum instrumentum ad pugnandum contra satanam ac de eo triumphandum; hinc Paulus *Colossensibus* ait: *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis... tulit de medio affigens illud cruci... expolians principatus et potestates traduxit palam confidenter triumphans illos.* [89]

instrumentum aptissimum ad pugnandum contra satanam,

Ubi illud notandum est quod ponitur a Paulo Christus tanquam currus triumphalis principis ob partam victoriam triumphantis, ubi in summa parte sedet princeps victor et triumphans, in ima vero principes devicti ac superati, qui ostentantur ad pompam triumphi. Quod autem dicitur: *Triumphans illos in semetipso,* graece est: ἐν αὐτῷ, *in ipso,* quod referri potest ad crucem, de qua paulo ante dixerat αὐτὸ τῷ σταυρῷ, [90] sicut Origenes homilia 8 *in Iosue* adnotavit. [91] Sicut etiam antiquitus reges in curru pugnare solebant, unde rex Israel, mutato habitu, in curru abiit in proelium, [92] ita Christus pugnaturus contra satanam et exercitum eius regnumque infernale, currum crucis ascendit.

vere currus triumphalis quo exercitum infernalem profligavit.

VII. Elegit autem Christus mortem crucis quoad historiam quidem, quoniam contra daemones pugnaturus erat, sicut serpens

81) Lc 24, 26. 82) Io 3, 15-16. 83) Is 53, 7. 84) Cf. 9, 14. 85) Cf. Col 1, 20. 86) Io 12, 32. 87) Phil 2, 9. 88) Io 12, 24-25. 89) 2, 14-15. Vulg.: *Traduxit confidenter palam triumphans illos.* 90) Ms.: *En auto... En to stauzouro.* 91) P. G. 12, 865 92) Cf. 3 Rg 22, 30.

Quoad historiam Christus crucem elegit ut probaret divinitatem suam,

aeneus exaltatus contra serpentes ignitos: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus;* [93] locus autem daemonum aer caliginosus est usque in diem iudicii; [94] et praeterea, quoniam resurrectio Christi potissimum futurum erat argumentum probandae divinitatis ipsius, sicut ipsemet ait: *Solvite templum hoc;* [95] *Signum Ionae prophetae,* etc. [96] Nisi manifestissima et omnino indubitatissima fuisset ipsius mors, non potuisset ex resurrectione ipsius validum sumi argumentum; dixissent enim non fuisse revera mortuum; hinc voluit mori in cruce in conspectu totius populi, ita ut de vera morte nullus relinqueretur dubitandi locus.

ut ostenderet gravitatem peccati,

Praeterea, cum mors sit poena peccati: *Stipendium... peccati mors;* [97] *In quacunque... die comederis... morte morieris,* [98] ex magnitudine autem et gravitate poenae a iusto iudice ob delictum inflictae ostenditur gravitas facinoris et delicti; ita Dominus ad ostendendam gravitatem peccati mortem pati voluit durissimam, acerbissimam, turpissimam gravissimamque; ad ostendendam etiam magnitudinem caritatis suae erga nos, nam *maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [99] Qui pro amico multa patitur sua sponte, necesse est ut multum amet.

et ut se verum mediatorem exhiberet inter Deum et homines;

Adhuc, mori voluit medius inter coelum et terram, ut ostenderet se tunc vel maxime sequestrem et mediatorem fuisse inter Deum in coelo et homines in terra. Paulus *ad Galatas* scribens, aliam etiam causam reddit dicens: *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* [100] Lex contra omne peccatum fulminabat divinam maledictionem; cum autem totus mundus sub peccato esset, totus erat maledictioni obnoxius; suscepit Christus supra se maledictionem, ut nos omnes liberaret.

Quoad mysterium etiam crucis mortem elegit, « ut, sicut canit Ecclesia, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in

93) Eph 6, 12. 94) Cf. Iud vr. 6. 95) Io 2, 19. 96) Mt 12, 39; 16, 4; Lc 1, 29. 97) Rom 6, 23 Vulg.: *Stipendia,* etc. 98) Gn 2, 17. Vulg.: *In quocunque,* etc. 99) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo,* etc. Affert ex Breviario Rom. Comm. Ap., antiph. 2 ad *Laudes.* 100) 3, 13.

ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur », [101] ut medicina morbo responderet, sicut contra serpentes serpens positus fuit. Serpens Moysi serpentes devoravit Aegypti ; [102] contra venenum viperae ex ipsa vipera sumitur praesentissimum remedium. Lignum fuit causa mortis, lignum positum fuit causa vitae; in ligno peccavit homo factus transgressor divini mandati, [103] in ligno satisfecit Christus *factus obediens usque ad mortem... crucis.* [104]

quoad mysterium vero, ut in ligno vinceretur qui in ligno vincebat.

Habet crux figuram corporis humani extensis brachiis, sicut Moyses brachia extensa tenebat dum oraret pro salute populi, pugnante Iosue contra Amalec. [105] Amator hominum pro hominibus moriturus crucis mortem elegit, in qua erat figura hominis pro cuius salute mori voluit. Ad crucem referunt Sancti Doctores, [106] vel potius ad figuram crucis, quod Paulus ait: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo... longitudo... sublimitas et profundum.* [107] Erecta nanque cruce, pars eius erat in terra fixa, pars usque ad lignum transversum, pars ipsum transversum, quod brachia crucis efficiebat, et pars supra transversum, sicut in homine caput est supra pectus et brachia. In hac autem suprema parte erat titulus crucis. Hae autem quattuor partes designabant crucis effectus: infernum clausum daemonemque victum pars inferior, coelum apertum Deumque placatum pars superior, mundum ab ortu ad occasum redemptum lignum transversum, scalam coeli factam lignum sursum erectum. Designabat etiam pars inferior profundam Christi sapientiam, pars superior Christi gloriam, pars dextera Christi potentiam, pars sinistra patientiam. Designat christiani hominis perfectionem: pars inferior fidem, superior spem, transversum caritatem erga amicos et inimicos, lignum sursum erectum oblongumque perseverantem iustitiam.

Ipsa figura crucis multa innuit mysteria,

designat enim crucis effectus, perfectiones Christi, virtutes hominis christiani,

Elegit etiam Christus mortem crucis ut ostenderet quod instar aquilae alis expansis volabat in coelum. [108]

101) Missale Rom., Praefatio De Cruce. 102) Cf. Ex 7, 12. 103) Cf. Gn 3, 1 sqq. 104) Phil 2, 8. 105) Cf. Ex 17, 11-12. 106) Cf. S. Irenaeus *Adversus Haereses*, cp. 17, (P. G. 7, 1171); S. Gregorius Nyssenus *De Resurrectione*, orat. 1, ibid. 46, 622-623; S. Hieronymus *Comment. in Epist. ad Ephesios*, lib. 2, (P. L. 26, 491); S. Augustinus Epist. 55, cp. 14, ibid. 33, 216; *De Doctrina Christiana*, lib. 2, cp. 41, ibid. 34, 64. Hervaeus *Comment. in Epist. ad Ephesios*, ibid. 181, 1238. 107) Eph 3, 18. 108) Cf. Prv 31, 14.

Ecclesiae prosperam fortunam.

Praeterea, quoniam Sancta Ecclesia in Divinis Litteris navis appellatur; non potest autem navis absque malo et artemone sive antenna in modum crucis utique navigare per nostrum mare ad optatum portum; sic crux ei data est, sed una cum velo, sine quo nihil prodest malus. Christus crucifixus velum est quod aura Spiritus Sancti plenum navim per maria veluti natare facit et iter agere usque ad optatissimum portum salutis aeternae.

Ideo semper ab Ecclesia summo in pretio Sancta Crux habita fuit

VIII. Crux itaque Christi tanquam divinum salutis nostrae [remedium] semper in Ecclesia Catholica summo in honore, summo in pretio habita est, ita ut vel minimam ligni crucis particulam quisquis habere posset instar inaestimabilis thesauri pretiosissimum peculium servaret. Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi* 10 et 13 ait ex particulis ligni crucis Ierosolymae inventi totum fere repletum fuisse mundum.[109] Chrysostomus homilia: *Quod Christus sit Deus*, scribit eos qui potuerant potiri particula crucis, eam auro includere ac servare eaque maxime ornari se et custodiri merito credere.[110] Gregorius Nyssenus in *Vita Macrinae Sororis* ait eam gestare solitam ad collum crucem argenteam, cui inserta erat particula verae crucis.[111] Divus Paulinus *Natali 10 Sancti Felicis* ait se, ostensa crucis particula, restinxisse maximum ignis incendium, quod nulla arte extingui poterat.[112] Gregorius Papa libro 7, Epistola 126 *ad Recharedum* regem Visigothorum misit crucis particulam tanquam munus eximium.[113] Constantinus Magnus, referente Socrate libro 1, capite 13, in statua sua, quam Constantinopoli collocavit, particulam crucis inclusit existimans per eam crucis particulam totam urbem custodiendam.[114]

et summo honore venerata.

Signum etiam crucis semper maxime venerandum fuit, cuius saepe meminit Tertullianus in *Apologetico*,[115] in *Scorpiaco*[116] et *De Corona Militis*.[117] Athanasius quaestione 16 *ad Antiochum* reddit causam cur christiani imaginem crucis colerent et venerarentur.[118] Chrysostomus in supplicationibus cruces argen-

109) P. G. 33, 686-687. 775-778. 110) Ibid. 48, 826. 111) Ibid. 46, 990. 112) *Poema 28 De S. Felice* (P. L. 61, 665-666). 113) Iuxta Migne lib. 9, epist. 122, ibid. 77, 1055. 114) *Hist. Eccles.*, iuxta Migne cp. 17, (P. G. 67, 119). 115) Cp. 16, (P. L. 1, 365-366). 116) Cp. 1, ibid. 2, 122. 117) Cp. 3, ibid. col. 80. 118) Iuxta Migne quaest. 39, (P. G. 28, 622).

teas cum ardentibus facibus praeferri iubebat, ut Socrates libro 6, capite 8,[119] et Sozomenus libro 8, capite 8, referunt;[120] ipse vero homilia: *Quod Christus sit Deus*, ait suo tempore crucis figuram pingi solitam omnibus in locis, in urbibus, in domibus, in cubiculis, etc.[121] Cyrillus libro 6 *in Iulianum* respondet Iuliano repraehendenti christianos quod lignum Crucis adorarent eiusque figuram ante domos suas depingerent.[122] Gregorius libro 7, Epistola 5, de crucis veneratione loquitur.[123] Leo Papa sermone 8 *de Passione* ait de Christo: « Triumphi sui portabat trophaeum et invictissimae patientiae signum salutis omnibus populis adorandum inferebat ».[124] Divus Augustinus libro *De Catechizandis Rudibus*, capite 20, ait quod sanguis agni paschalis in postibus domorum signum crucis designabat in frontibus christianorum.[125] Cyprianus libro *Adversus Demetrianum*[126] et Hieronymus *in Ezechielem*, capite 9,[127] asserunt signum *thau*, quo signari iussit Deus eos qui salvandi erant, signum crucis in frontibus fidelium depictum significare.[128] Signum Dei in frontibus fidelium ab Angelis depictum, *Apocalypsi* 7,[129] signum crucis fuisse docent Oecumenius,[130] Beda,[131] Anselmus,[132] Rupertus[133] et alii.[134] Dionysius Areopagita libro *de Ecclesiastica Hierarchia* asserit in omnibus Sacramentis adhiberi signum crucis.[135] Iustinus Martyr quaestione 118 ait dextera potius quam sinistra signum crucis exprimimus cum alicui benedicimus.[136] Tertullianus libro *de Corona Militis*: «Ad omnem, inquit, progressum frontem crucis signaculo terimus ».[137]

IX. Sancti Dei signo tantum crucis multa operati sunt miracula, ut scribit Athanasius in *Vita Antonii*,[138] Hieronymus

119) *Hist. Eccles.*, ibid. 67, 690. 120) *Hist. Eccles.*, ibid. col. 1538. 121) Ibid. 48, 826. 122) Ibid. 76, 798-802. 123) Iuxta Migne lib. 9, epist. 6, (P. L. 77, 944). 124) Iuxta Migne serm. 59, cp. 4, ibid. 54, 339-340. 125) Ibid. 40, 335. 126) Ibid. 4, 560-561. 127) Lib. 3, ibid. 25, 88. 128) Cf. vr. 4. 129) Cf. vr. 3. 130) *Comment. in Apocalypsim* (P G: 106, 278). Olim Oecumenio tribuebatur, est autem Andreae Caesariensis. 131) *Explanatio Apocalypsis*, lib. 1, (P. L. 93, 149-150). 132) *Enarrat. in Apocalypsim*, ibid. 162, 1526. 133) *Comment. in Apocalypsim*, lib. 4, ibid. 169, 960. 134) Cf. Arethas Caesar. *Comment. in Apocalypsim*, cp. 18, (P. G. 106, 603); Alcuinus *Comment. in Apocalypsim*, lib. 4, (P. L. 100, 1129); Strabus *Glossa Ordinaria*, ibid. 114, 723; Haymo *Exposit. in Apocalypsim*, lib. 2, ibid. 117, 1035; S. Bruno *Exposit. in Apocalypsim*, lib. 2, ibid. 165, 640. 135) Cp. 4-6, (P. G. 3, 471-551). 136) Ibid. 6, 1367. 137) Cp. 3, (P. L. 2, 80). 138) P. G. 26, 863 sqq.

Sancti Dei signo tantum crucis multa operati sunt miracula,

in *Vita Pauli* primi eremitae [139] et in *Vita Hilarionis,* [140] Gregorius Nyssenus in *Vita Gregorii Thaumaturgi,* [141] Gregorius libro 3 *Dialogorum*, capite 7, [142] Augustinus libro 22 *De Civitate Dei*, capite 8, [143] Sulpitius in *Vita Sancti Martini.* [144] Sic divino hoc salutiferae crucis signo viri sanctissimi Benedictus, [145] Bernardus, [146] Dominicus, [146*] Franciscus [147] et alii multa sunt operati miracula, maxime vero in fugandis daemonibus et morbis pellendis rebusque sanctificandis et consecrandis; nam in his tribus quam maxime crucis virtus elucet et semper eluxit. Signum nanque crucis daemones fugat; sciens enim daemon cruce Christi se victum, superatum atque contritum, timet signum crucis sicut canis baculum, quo aliquando male percussus est. Sicut autem oratio solet impetrare a Deo caritatem atque salutem, ita etiam signum crucis, est enim quaedam invocatio meritorum Christi; sicut enim non semper lingua loquimur, sed aliquando etiam nutibus et manibus, ita non semper lingua oramus, sed saepe saepius corde et animo. Ita plane cum ex animo nos ipsos vel alios signo crucis munimus, virtutem Christi contra daemones morbosque imploramus. Sic cedunt signo cruci daemones, ad eius aspectum ex divina Christi crucifixi virtute contremiscentes.

maxime in fugandis daemonibus,

Cedunt etiam morbi, quoniam signum est fidei per quam divinitus miracula fiunt a veris Christifidelibus per Divini Nominis invocationem. Signum autem crucis invocatio est, non voce sed gestu expressa.

in morbis pellendis

Per signum etiam crucis tanquam per implicitam Divini Nominis virtutisque invocationem obtinetur a Deo benedictio salutaris omnibus iis rebus quae signo salutiferae crucis signantur muniunturque, tum quia fugantur daemones ut nocere non possint, tum

rebusque sanctificandis;

139) P. L. 23, 22-23. 140) Ibid. col. 31-40. 141) P. G. 46, 915 sqq. 142) P. L. 77, 229-232. 143) Ibid. 41, 760-771. 144) Ibid. 20, 159-176. 145) Cf. *Vita S. Benedicti*, cp. 13, ibid. 66, 136; cp. 9, ibid. col. 141. 146) Cf. *Vita Prima S. Bernardi*, part. 1, lib. 6, cp. 2-4, ibid. 185, 376-385. 146*) Cf. Laur. Surius *De Probatis Sanctorum Historiis*, t. 4, lib. 2, cp. 4, pag. 511; cp. 9, pag. 513; cp. 14, pag. 517; lib. 3, cp. 6, pag. 521; cp. 8, pag. 524; cp. 11, pag. 526. 147) Cf. S. Bonaventura *Legenda S. Francisci*, t. 8, cp. 5, pag. 518-519; cp. 8, pag. 528-529; cp. 11, pag. 536-538; cp. 12, pag. 540-541; *Legenda Minor*, pag. 573-574; F. Thomas a Celano *Legenda Prima B. Francisci*, cp. 21, pag. 61; cp. 23, pag. 68; cp. 25, pag. 69; *Legenda Secunda*, cp. 12, pag. 201; cp. 125, pag. 294-296; *De Miraculis B. Francisci*, cp. 3, pag. 352. 354; cp. 4, pag. 355. 359-360.

etiam per sanctos Angelos, qui pro summa Christi reverentia crucem venerantur, divinae benedictionis gratia rebus cruce signatis imprimitur.

Saepe nobis adhibendum hoc signum est in salutem corporis et animae. Signanda frons, signandum os, signandum pectus et cor, maxime contra daemonum tentamenta. Adhibendum signum hoc mensis et cibis, adhibendum cubiculis et lectis, semper et omni tempore, maxime vero in periculis vel animae vel corporis, sive internis sive externis; hoc enim signo muniti, securi esse poterimus.

Ideo semper in salutem animae et corporis hoc signum adhibendum nobis est.

X. Sicut autem serpens exaltatus non proderat nisi aspicientibus, ita nec Christus nisi credentibus: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [148] nec tamen sequitur: solus aspectus serpentis tunc salutem conferebat, ergo et nunc sola fides; sicut nec sequitur: serpens ille ad salutem praestendam nihil passus est, ergo nec Christus; non fudit ille sanguinem, nihil operatus fuit, ergo nec Christus; non odio Hebraeorum, sed divino tantum mandato exaltatus fuit, ergo ita etiam Christus.

Christus salutem non confert nisi credentibus;

Quod autem sola fides non sufficiat, manifestum est; nam hic ponitur etiam necessitas Baptismi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto;* [149] post pauca vero, cum dixisset: *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei,* statim subiunxit: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* [150] En requirit etiam dilectionem et caritatem, bona etiam opera. Si fides tantum requirebatur, ad quid Baptismus? Et tamen alibi etiam Christus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* [151] et Paulus: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti salvos nos fecit,* [152] alludens plane ad hunc locum.

at fides sine caritate, bonis operibus et Baptismo non sufficit.

Hinc elucet Calvini deliramentum; ait enim non agi hic de Baptismo, quia agitur de renovatione vitae. Sed haec non potest esse sine Baptismo, qui est, teste Paulo, *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Ait etiam novus hic evangelista,

Refutantur deliramenta Calvini qui asserit hic non agi de Baptismo.

148) Io 3, 15-16. 149) Ibid. vr. 5. 150) Ibid. vrr. 18-19. 151) Mc 16, 16.
152) Tit 3, 5. Vulg.: *Salvos nos fecit per lavacrum,* etc.

sed antichristi, per aquam hic non intelligi naturalem aquam, sed ipsum Spiritum Sanctum,[153] sicut alibi: *Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto et igni.*[154] Bene! Unde ergo constat ex Sacris Litteris aqua? Nullibi enim Christus, nisi hic nominavit aquam; alibi passionem suam et martyrium baptismum appellavit;[155] et Paulus ait multos pro mortuis baptizari,[156] hoc est pro fide resurrectionis mortuorum martyria sustinere; Ioannes dixit Christum in igne baptizaturum, sicut ipse in aqua baptizabat. Unde ergo probatur ex Christi institutione Baptismus in aqua? Ipse baptizatus fuit in aqua,[157] sed fuit etiam baptizatus in sanguine, nec tamen tunc Baptismum instituit aut praecepit. Et si non agit hic Christus de Baptismo, ad quid aquam interposuit? Sufficiebat dicere: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto*, idest novam et spiritualem vitam instituerit, *non potest introire in regnum Dei.* Quid hic agit aqua? Quid aquae cum nativitate? cum generatione? Num homo piscis est ut in aqua nascatur? Rem dixit Christus Nicodemo novam, inauditam, quam capere non poterat, licet magister in Israel esset.[158] Sed spiritualis vita per gratiam Spiritus Sancti et spiritualis renovatio non est res nova, nec usus fuisset Christus vocabulo regenerationis, sed lavationis; ad hoc enim adhibetur aqua, non ad renascendum: *Asperges me*, Domine, *et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor... Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis;*[159] *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini.*[160] Profecto haec nova non erant homini in Sacris Litteris versato et erudito. Quomodo ergo tam obscure locutus Nicodemo visus est Christus, ut quae diceret intelligere non posset: *Quomodo possunt haec fieri?*[161] Baptismi sacramentum res nova erat et inaudita, quod per ipsum homo filius Dei renasceretur. Ponitur autem aqua symbolum Spiritus Sancti sicut et ignis; neque enim dicitur quod Spiritus Sanctus sit ignis, sed quoniam in igne dandus erat, sicut in die Pentecostes paruit,[162] et paulo ante Dominus dixerat: *Baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos*

His verbis Christus vere Baptismum significavit

et aquam indicavit symbolum Spiritus Sancti,

153) *Comment. in Epist. ad Titum*, t. 7, pag. 506. 154) Mt 3, 11; Lc 3, 16. 155) Cf. Mc 10, 38-39; Lc 12, 50. 156) Cf. 1 Cor 15, 29. 157) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 9; Lc 3, 21. 158) Cf. Io 3, 10. 159) Ps 50, 9-12. 160) Ez 36, 25. 161) Io 3, 9. 162) Cf. Act 2, 3-4.

dies, sicut Ioannes baptizavit aqua.[163] Ignis autem qui descendit super Apostolos, non erat Spiritus Sanctus, sed symbolum Spiritus Sancti, sicut columba, in cuius specie Spiritus Sanctus super Christum descendit,[164] non erat Spiritus Sanctus, sed symbolum eius; flatus item quem Christus in Apostolos insufflavit.[165] Ita in Baptismi sacramento aqua symbolum est Spiritus Sancti.

sic statuens duplex principium regenerationis, sicut duplex est principium generationis.

Cum autem agat hic Dominus de spirituali hominis regeneratione, ponit duo ipsius principia. Nam duo sunt etiam naturalis generationis principia: pater et mater; aqua ponitur loco matris, Spiritus Sanctus loco patris. Similis nanque haec spiritualis nativitas est nativitati Christi ex Virgine et Spiritu Sancto, qui vicem patris in ea generatione gessit. Sancta Ecclesia, virgo perpetua, mater nostra est; pater Spiritus ipse Sanctus; aqua Baptismi est veluti semen huius generationis. Sicut autem homo anima et corpore constat, illa invisibili, hoc materiali, ita ponuntur in hac nova nativitate aqua corporea et Spiritus invisibilis. Instituit autem Christus Sacramentum regenerationis in aqua, quoniam, ut philosophi docent, humidum generationis materia est ac veluti mater;[166] aqua autem maxime humida est. Sicut autem ad naturalem generationem supra modum necessarium est humidum et calidum, pluvia et sol, ita ad spiritualem hanc generationem aqua et Spiritus Sanctus, propterea ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest*, etc.; quibus verbis ostendit Baptismum omnino necessarium esse ad vitam aeternam consequendam.

Stulte ergo et impie negant Calvinistae Baptismi necessitatem.

Boni autem Calvinistae negant Baptismi necessitatem, quoniam duos sibi sunt fabricati errores: alterum, quod infantes fidelium sanctificantur in utero; alterum, quod Baptismus non habet vim remittendi delendique peccata.[167] Sic falsos habemus prophetas, qui semper dicebant: Verbum Domini, verbum Domini, cum Dominus non sit locutus,[168] sed somnia et figmenta capitis sui pro verbo Dei promant. Ex quo enim Dei verbo probant novi hi magistri in Israel sanctificari in utero filios fidelium priusquam nascantur?

163) Act 1, 5. 164) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 32. 165) Cf. Io 20, 22. 166) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 119, a. 1; 2ª 2ªᵉ, q. 147, a. 8; Conimbricenses *De Generatione et Corruptione*, cp. 8. 167) Cf. Io. Calvinus *Institutiones*, lib. 4, cp. 16, § 24-25; S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, *De Sacramento Baptismi*, t. 3, lib. 1, cp. 4, pag. 115. 168) Cf. Ier 14, 14; Ez 22, 28.

Quoniam, inquiunt, scriptum est *Genesi* 17: Ero *Deus tuus et* Deus *seminis tui.* [169] Bene! Quid inde? Ergo filii fidelium sanctificantur in utero? Quomodo sequitur? Si *radix sancta, et rami,* ait Paulus. [170] Bene! Sanctus fuit Noe, ergo et Cham? Sanctus Abraham, ergo et Ismael? Sanctus Isaac, ergo et Esau? Sanctus Samuel, ergo et filii qui non ambulaverunt iuxta vias eius? [171] Sanctus Heli, ergo et Ophni et Phinees *filii Belial?* [172] Sanctus David, ergo et Absalom? Quid insanius? Paulus *1 Corinthiis* 7 ait: *Sanctificatur coniux infidelis per coniugem fidelem; alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* [173] Bene! Quid inde? Ergo filii sanctificantur in utero? Docet Paulus rite contractum matrimonium legitimum esse, etiam cum disparitate religionis, cum alter coniugum fidelis, alter infidelis esset; alioquin filii ex matrimonio tali nati essent illegitimi et spurii, censerentur immundi et infames, civili ignominia notati. At non tales sunt, non tales habentur; mundi sunt et liberi ab hac nota ignominiae. Alioquin num docere voluit Apostolus per solam cohabitationem infidelem coniugem absque conversione ad fidem sanctificari? Sed relinquamus iam ineptas haereticorum nugas et insanias.

Ad consequendum fructum crucis et passionis Christi fide opus est, sed fide viva, bonis operibus sanctisque virtutibus ornata. Sit nobis semper sancta crux sicut speculum ante oculos nostros propositum et cogitemus eam esse viam salutis arctam et portam angustam. [174] Si Deus unicum Filium suum nonnisi per crucem intrare voluit in regnum suum, quid de nobis erit?

169) Vr. 7 170) Rom 11, 16. 171) Cf. 1 Rg 8, 2-5. 172) Ibid. 2, 12.
173) Vr. 14. Vulg.: *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem,* etc.
174) Cf. Mt 7, 13-14; Lc 13, 24.

DIES NATIVITATIS SANCTI IOANNIS BAPTISTAE

I. Aurora, quae lucis ac tenebrarum nexus et ligamen est, noctis terminus et diei principium, solem praecurrit veluti praedicens eius in nostrum hoc hemisphaerium adventum; sic solem iustitiae [1] Christum praecurrit sua conceptione, nativitate et praedicatione Ioannes, consurgens aurora et stella matutina, quae soli omnium proxima, est illius noctis terminus dieique principium, de qua Apostolus ait: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit;* [2] finis legis: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem;* [3] initium Evangelii: *Ex ipso regnum Dei evangelizatur;* [4] primus regni coelorum praedicator: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [5] Christi dignissimus praeco: *Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine;* [6] qui prius fuit sanctus quam natus, hinc eius nativitatem solemnissima festivitate celebrat Sancta Mater Ecclesia. [7]

Celebratur hodie dies natalis S. Ioannis B., qui prius sanctus quam natus fuit.

1) Cf. Mal 4, 2. 2) Rom 13, 12. 3) Lc 16, 16. 4) Ibid. Vulg.: *Ex eo,* etc. 5) Mt 3, 2. 6) Io 1, 7. 7) In margine ponitur hoc aliud exordium: « Celebrat, et merito, Sancta Ecclesia, solemni festivitate, magna cum populorum alacritate et totius christiani orbis gaudio dies natalis Sancti Ioannis Baptistae, nam inquit Angelus: *In nativitate eius multi gaudebunt.* Natus est enim hodie homo coelestis potius quam terrenus, et divinus quam mundanus, natus est Ioannes, novus homo, coeleste oraculum, miraculum mundi; natus est Dei apostolus et legatus, Christi praecursor, propheta, praedicator et martyr, Spiritus Sancti vox, tuba et templum totius Trinitatis, arca et domicilium, angelus paradisi, socius Angelorum, coryphaeus Sanctorum, patriarcha Ecclesiae, princeps Prophetarum, eremitarum dux, poenitentiae praeco, lucerna mundi, schola virtutum, magisterium sanctitatis, norma iustitiae, forma disciplinae, speculum castitatis, virginitatis exemplum, thesaurus et archivium omnium coelestium gratiarum virtutumque Spiritus Sancti ».

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati eius quia magnificavit Dominus, etc. [8]

Ioannes magno miraculo natus, magnum attulit omnibus gaudium sua nativitate.

II. Peperit sterelis et vetula Sara ex divino miraculo, nonagenaria ipsa ex centenario Abrahamo, sanctum Isaac, filium diu desideratum, a Deo promissum et expectatum; [9] sic hodie Elisabeth, senex et sterilis, magno miraculo magnum parit filium: *Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa,* [10] sicut magnificavit cum sterili Anna dans ei sanctissimum filium Samuelem prophetam, diu desideratum summisque precibus a Deo postulatum; [11] hinc enim dictus est *Samuel,* quia postulatus a Deo, quasi speciale et magnum donum Dei. Sic puer iste hodie natus, dictus *Ioannes,* Dei gratia, יְהוֹחָנָה, a nomine יְהוָֹה, [12] quod est Deus, et חָנָה, quod est gratia; merito gratia Dei, *quia magnificavit Deus misericordiam suam cum illa. Erit enim magnus coram Domino,* dixit Archangelus Gabriel apparens Zachariae: *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis nomen eius Ioannem, erit enim gaudium tibi et exultatio et multi in nativitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino... et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* [13] Cum Deus seni Abrahamo ex vetula et sterili Sara filium promisit, laetitia nimia perfusus sanctus senex risit, [14] hinc, iubente Deo, natum filium appellavit *Isaac,* quod est risus et gaudium; [15] sic Ioannem parentibus gaudium et exultatio fuit, quibus vicini et cognati congratulabantur, *quia magnificavit Dominus misericordiam suam* cum eis.

Magna res est homo,

Magnum utique beneficium confert Deus homini cum dat ei filium, quoniam magna res homo est; hinc quamvis cum parit mulier tristitiam habeat ob pressuram nimiam externosque dolores, cum tamen pepererit, *iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est* ei *homo in mundum.* [16] Est homo parvus mundus,

8) Pericope huius diei Lc 1, 57-68. Cf. Missale Rom. 9) Cf. Gn 17, 17; 18, 10-12; 21, 1-5. 10) Lc 1, 58. 11) Cf. 1 Rg 1, 5 sqq. 12) Ms.: יהוה et infra חנה. 13) Lc 1, 13-15. 14) Cf. Gn 17, 17. 15) Cf. ibid. 21, 1-6. 16) Io 16, 21.

est universi compendium, horizon coeli et terrae, confinium temporis et aeternitatis, angelus in carne, miraculum mundi, simulacrum Dei, dominus universi, alter Deus in terra:[16a] *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*[17] In oculis insani huius mundi parva res videtur homo, at non sic in oculis Dei; hinc Sanctissimus Iob mirabatur dicens: *Quid est homo, quia magnificas eum* et *apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum;*[18] Sic et Regius Vates: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[19] Contemplatus fuerat prius Regius Vates Deum, qui mundus est ter maximus, dicens: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!*[20] deinde mundum hunc magnum: *Quoniam videbo*, contemplabor *coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti;*[21] et tandem contemplatur hominem, qui respectu mundi huius magni nullius videtur magnitudinis; hinc miratur quod Deus tanti faciat hominem, sicut alibi: *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.*[22]

Summam quidem admirationem adferret hominibus si rex magnus et potentissimus imperator iret ad visitandum pauperem quendam virum eumque magnis muneribus cumularet; nunc autem Deus reputat hominem, recordatur eius, visitat, magnificat, gloria et honore coronat et super omnia opera manuum suarum constituit. Sic mundi miraculum est homo.[23] Sed hodie novum miraculum mundo apparuit, hinc ait sacrosanctum hodiernum Evangelium, quod *mirati sunt universi... dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.*[24] O magnum miraculum! *Mirati sunt universi!* Magnum miraculum fuit Ioannes, nam ait:

sed Ioannes novum est et magnum miraculum,

16a) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a, q. 77, a. 2; Lud. Caelius. *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 18, col. 83. 17) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc. 18) 7, 17-18.
19) Ps 8, 5-8. Vulg.: *Quoniam visitas eum.* 20) Ibid. vr. 2. 21) Ibid. vr. 4.
22) Ps 143, 3-4. 23) Sic vocatur homo a Mercurio Trismegisto *Asclepius*, cp. 3, pag. 482. 24) Lc 1, 63-66.

et ideo recte dicitur magnus coram Domino.

Erit... magnus coram Domino. Magnum videtur lumen lunae in nocte, sed non in die coram sole; magnum dicimus lacum, sed non coram mari; magnam terram, sed non coram coelo; magnum mundum, sed non coram Deo, nam respectu Dei veluti nihil est. Ioannes tamen *magnus coram Domino* dicitur: *Erit enim magnus coram Domino*, magnus coram infinito Deo, magnus coram summo universi monarcha. *Mirati sunt universi* magnitudinem huius miraculi, hinc *homo* per excellentiam dictus est Ioannes: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes,*[25] homo singularis, Dei singularis imago, singulare miraculum universi in natura, in gratia, in gloria. Totus enim miraculum Ioannes est: in conceptione, in nativitate, in vita, in morte, sicut et Christus, qui ab Isaia *mirabilis*, imo *miraculum* dictus est;[26] fuit enim Ioannes Christo simillimus sicut luna soli; sicut Christus a Prophetis praedictus, ab Angelo nunciatus, supra naturam conceptus, in utero sanctificatus, magno cum miraculo natus, tota vita immaculatus et tandem innocenter occisus.[27]

Deus mirabilis ostenditur in Ioannis praedestinatione,

III. In omnibus quidem Sanctis suis mirabilis Deus est,[28] sed in Ioanne supra modum mirabilis in huius praedestinatione, in vocatione, in iustificatione, in glorificatione, nam: *Quos* Deus *praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui... hos et vocavit; quos autem vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit.*[29] Praedestinatus fuit ab aeterno Ioannes ex infinita caritate Dei filius ipsiusmet Dei, heres regni coelestis, Christi frater simillimus, legatus Dei, praecursor Christi, lucerna mundi, maximus Vatum, Sanctorum omnium, post Christum et Deiparam Virginem, coryphaeus. Diligit Deus caritate perpetua Sanctos omnes et ab aeterno, cum seipsum coepit diligere, eodem amore Sanctos omnes dilexit; sed Ioannem super omnes Sanctos.

vocatione et sanctificatione.

Mirabilis item Ioannis vocatio, qui dicere cum Isaia potest: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae*[30] *recordatus est nominis mei.*[31] Degens adhuc in utero matris Ioannes mente et animo ad Deum vocatus tractusque divinitus est; ubi etiam sancti-

25) Io 1, 6. 26) Cf. 9, 6. 27) Cf. Mt 14, 3-10; Mc 6, 17-18; Lc 3, 19-20. 28) Cf. Ps 67, 36. 29) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imagini Filii sui... et quos vocavit... glorificavit.* 30) Ms.: *Mei.* 31) 49, 1.

ficatus fuit sicut et Ieremias cui dixit Deus: *Antequam te formarem in utero, novi te et prius quam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te.* [32] Ioannes autem in utero non solum sanctificatus, sed etiam Spiritu Sancto plenus fuit: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* requievit enim super eum *spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replevit eum spiritus timoris Domini.* [33] Hinc in matris utero Christum, qui ad eum visitandum sanctificandumque advenerat, cognovit et adoravit, summo Spiritus Sancti gaudio repletus: *Prae gaudio infans in utero meo.* [34] Sic semper Ioannes Spiritu Sancto plenus sanctissime vixit angelicam potius vitam quam humanam, in coelis enim erat conversatio eius [35] et cum Angelis Dei, tantaque sanctitate vitae fulgebat in terra, ut ab universo populo Christus crederetur. Hinc vita ipsius encomiis celebrata est ab Evangelistis, a Prophetis, ab Angelis, a Christo et ab ipsomet Deo. [36]

IV. Ioannis enim vitam omnes Evangelistae describunt, praecipue vero Lucas; nam Matthaeus [37] et Mar-

32) Ier 1, 5. Vulg.: *Priusquam te formarem... antequam exires,* etc. 33) Is 11, 2-3. 34) Lc 1, 41. Vulg.: *In gaudio,* etc. 35) Cf. Phil 3, 20. 36) In margine haec adiecta fuerunt: « Cum, iam defuncto Moyse, facto Iosue duce populi Dei, transiturus esset populus per Iordanem a deserto in terram promissionis, iussit Deus ut quattuor sacerdotes acciperent arcam Domini et opulum antecederent consisterentque in medio Iordanis, donec universus populus transiret. Erant autem a duobus lateribus arcae duo cherubim aurei. Sed quid est arca foederis Domini, nisi Evangelium Christi? Foedus et pactum, hebraice *berith,* saepissime lex Domini dicitur. Est igitur arca foederis arca divinae legis, nam ad divinam legem asservandam arca illa facta fuit; arca igitur Evangelium est divinam continens legem, quattuor sacerdotes quattuor sunt Evangelistae et Evangelii Christi praedicatores. Sed quidnam duo cherubim? Duorum tantum hominum, qui in Divinis Litteris Angeli dicti sunt, historia in Evangelio describitur: Christi et Ioannis. Angelus dictus est Christus, Angelus et Ioannes a Malachia. Sicut autem describit Evangelium Christi conceptionem, nativitatem, vitam et mortem, ita et Ioannis. Magnum necesse est esse astrum quod, praesente sole, in meridie cernitur. Sunt Evangelistae quattuor illa animalia plena oculis, habentia alas senas, quae semper coram Domino clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens;* semper divinam praedicant Christi sanctitatem. Sed haec quoque nativitatem praedicant Ioannis. Patriarcharum vitas laudesque unus descripsit Moyses; vitam autem Ioannis quattuor Evangelistae, qui a Deo destinati fuerunt chronistae virtutum Christi. Sicut etiam in aedificio templi Domini duae precipuae columnae *Iachin* et *Bohaz* a fundamentis describuntur, una a dextris et altera a sinistris maris aenei in vestibulo templi, quod Baptismi praefigurabat sacramentum; sic in Evangelio Christi et Ioannis ab ipsa conceptione describitur historia. Christus est Iachin, Ioannes Bohaz. Omne autem ornamentum illarum columnarum in superiore parte erat; hominis autem suprema pars mens est ».
37) Cf. 3, 1 sqq.

Ex Evangelistis Lucas solus historiam enarrat conceptionis et nativitatis Ioannis.

c u s [38] praedicationem tantum Ioannis in deserto cum mirabili poenitentia baptismumque et tandem martyrium eius describunt; I o a n n e s vero tantum quod homo fuerit missus a Deo, ut testimonium perhiberet de Christo et quomodo Christum testificatus fuerit demonstrat. [39] Sed L u c a s veluti plenam historiam de Ioannis vita describit: [40] primo quidem quod ab Angelo Gabriele annunciatus sit Zachariae patri sacerdoti oranti in templo; secundo quod divino miraculo conceptus natusque sit ex parentibus sterilibus et senio confectis, ubi simul Ioannis magnitudinem demonstrat ex parentum genere et virtute: ex genere quidem nobilissimo et virtute maxima, nam pater eius sacerdos erat de filiis Aaron, inter principes, mater vero ipsa quoque de filiabus Aaron per patrem, per matrem vero de domo erat et familia David, [41] hinc cognata erat Virginis gloriosae. Sic clari erant ex generis nobilitate Ioannis parentes. Multo autem clariores vitae sanctitate: *Erant* enim *ambo iusti ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela;* [42] quare ambo prophetico spiritu repleti fuerunt: mater quidem ante pueri nativitatem, in visitatione Sanctissimae Virginis, [43] pater vero post nativitatem, in die circumcisionis. Describit mirabilem nominis impositionem, ad quod imponendum nedum solutum est vinculum linguae parentis, sed etiam divinitus collatum est ei copiosum Spiritus Sancti munus, ita ut loqueretur benedicens Deum et Spiritu Sancto afflatus prophetaret. [44]

Illius vitam mirabilem describit, praedicationem et martyrium.

Describit vitam mirabilem et supra humanas vires: *Puer autem crescebat et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.* [45] A pueritia fuit in deserto Ioannes, ducens anachoriticam vitam, factus anachoritarum princeps et antistes, indutus pilis camelorum, comedens locustas et mel silvestre, [46] et sic in finem usque perseveravit. Describit praedicationem eius, quod, cum ad trigesimum annum pervenisset, *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium... Et venit in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae in remissionem pec-*

38) Cf. 1, 1-9. 39) Cf. 1, 6-36. 40) Cf. 1, 5-25. 41) Cf. S. Laurentius a Br. vol. 7, *Adventus*, pag. 249, not. 41. 42) Lc 1, 6. Vulg.: *Ante Deum.* 43) Cf. ibid. vrr. 40-45. 44) Cf. ibid. vrr. 62 sqq. 45) Ibid. vr. 80. 46) Cf. Mt 3, 4; Mc 1, 6.

catorum: [47] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [48] Praedicabat Ioannes gloriam paradisi et poenas inferni, praedicabat poenitentiam salutarem, praedicabat vitia et virtutes, praedicabat Christum mundi Salvatorem, baptizabat peccatores in signum poenitentiae, baptizavit et Christum, super quem vidit aperiri coelum, descendere Spiritum Sanctum in columbae specie Patrisque vocem audivit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [49] Tandem describit Ioannis martyrium, quod cum argueret Herodem regem de omnibus malis quae faciebat impius rex, positum veritatis et iustitiae integerrimum sanctissimumque praeconem in vinculis, impiissime iniustissimeque occidit.

Ioannes laudatur ab Evangelistis;

V. Has igitur laudes tribuunt Evangelistae Ioanni: quod fuerit singularissimus homo missus a Deo, summi Dei nuncius atque legatus; quod sit ab Angelo nunciatus, miraculo conceptus, in utero sanctificatus et Spiritu Sancto plenus; quod sit a sanctis parentibus natus, in vita semper immaculatus, speculum poenitentiae, princeps eremitarum, princeps prophetarum, princeps praedicatorum, princeps virginum, princeps Martyrum Novi Testamenti, princeps Sanctorum omnium, post Christum et Sanctissimam Virginem; vir castissimus corpore menteque sanctissimus, humillimus, pauperrimus spiritu, ab omnibus deliciis et voluptatibus semotis-

47) Lc 3, 2-3. 48) Mt 3, 2. 49) Ibid. vr. 17. In margine haec adiecta fuerunt: « *Initium Evangelii Iesu Christi... sicut scriptum est in Prophetis: Ecce ego mitto*, etc. *Vox clamantis in deserto*, etc.; *Fuit Ioannes baptizans et praedicans*, etc.

Cum natus fuit Noe, pater eius, Spiritu Sancto afflatus, prophetavit dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus.* Sic cum natus fuit Ioannes, veluti alter Noe, *vir iustus atque perfectus*, qui praedicando poenitentiam fabricavit arcam salutis, Zacharias pater, Spiritu Sancto plenus, prophetavit dicens: *Tu, puer, propheta*, etc. Vocat eum Dei prophetam et Christi praecursorem populique Dei doctorem: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius*, quae quidem salus consistit in remissione peccatorum: *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* His igitur laudibus Ioannes illustratur a patre; sed non minoribus ab aliis Prophetis, qui Spiritu Sancto afflati, multis ante saeculis de eo prophetaverunt ob insignem viri magnitudinem. Siquidem corpus, quod in magna videtur distantia, magnum necesse est esse; stellae in coelo, magnae cum sint, minimae videntur, et sol astrorum omnium maximus, valde parvus spectatur ob magnam distantiam. Ioannes autem in maxima distantia positus visus est a Prophetis. Hoc igitur argumentum est eius magnitudinis: *Erit enim magnus coram Domino.* Unde nullum aliorum Sanctorum invenimus a Prophetis praevisum, praedictum, ut [Ioannem]. Erant Prophetae astrologi contemplantes coelum divinae praedestinationis ibique duo magna luminaria viderunt: Christum et Ioannem ».

simus; vir iustissimus, prudentissimus, fortissimus, temperatissimus; summae fidei, summae spei, summae in Deum et proximum caritatis.

a Prophetis: ab Isaia, qui eum vocem appellat,

Laudatur etiam Ioannes a Prophetis. Isaias enim de eo vaticinatus est dicens: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius;* [50] omnes enim Evangelistae de ipso Ioanne locum hunc interpretantur, [51] et ipsemet Ioannes interrogatus: *Tu quis es?* dixit: *Ego vox clamantis in deserto.* [52] Vox Dei clamantis fuit Ioannes; sicut enim homo voce declarat et manifestat animi sui conceptum cordisque secretum, ita Deus per Ioannem Verbum suum mundo manifestavit. Vox illa Ioannes, de qua Regius Vates ait: *Vox Domini super aquas, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia; vox Domini confrigens cedros, vox Domini concutiens desertum, vox Domini intercidens flammam ignis, vox Domini praeparans cervos.* [53] De Ioanne enim loqui videtur totus ille *Psalmus;* nam, baptizante et praedicante Ioanne in Iordane, *Deus maiestatis intonuit,* dicens de Christo baptizato a Ioanne: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*

fuit enim vere vox Domini praedicatione iustitiae;

Omnis propheta fuit vox Dei, nam per illos Deus locutus est ad populum suum; sed Ioannes per excellentiam *vox,* quoniam ipse maximus Prophetarum, qui Christum praesentem praedicavit digitoque ostendit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [54] Totus vox erat Ioannes, quia non tantum verbis, sed etiam ac multo magis vita, virtutibus operibusque praedicavit universaque eius vita perpetua fuit vox et praedicatio Dei ad populum: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* [55] Et per alios quidem Prophetas locutus est Deus, per Ioannem vero alta voce locutus, fortiter clamans tanquam ad longe positos, sive dormientes aut surdastros. *Vox*

50) 40, 3. Vulg.: *Semitas Dei nostri.* 51) Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4. 52) Io 1, 23. 53) Ps 28 (hebr. 29), 3-5. In margine haec adiecta fuerunt: « *Vox Domini super aquas multas.* Aquae multae populi multi: concurrebat universa Iudaea et Galilaea ad audiendum Ioannem, quoniam erat *vox Domini in virtute* Spiritus Sancti, vox plena virtute divina et *vox in magnificentia.* Praedicabat enim magna divinitatis mysteria; *vox Domini in virtute,* quoniam Domini est; maior virtutis est vox Domini quam servi, sapientis quam stulti, viri probi optimique quam improbi; sed Deus infinitae maiestatis. *Vox Domini in virtute* erat ad convertendos peccatores ad poenitentiam, sed *in magnificentia,* promittendo regnum coelorum: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* ». 54) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 55) Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4.

clamantis, sive *clamans in deserto*, tanquam praeco regem praeveniens; vox clamans, summus praedicator, cuius praedicatio subiungitur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis exaltetur et omnis mons et collis humilietur et sint prava in directa et aspera in vias planas*, quia *revelabitur gloria Domini;* [56] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Sic Ioannes singularissimus fuit iustitiae praedicator, hinc dictus est *vox*.

a Malachia, qui eum Angelum testamenti vocat viam Domini paraturum,

M a l a c h i a s vero Ioannem Angelum Domini appellavit dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum* sanctum *suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* [57] Angelus Ioannes hic est, ut ipse Christus interpretatus clarissime fuit, dicens: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.* [58] Angelus Ioannes, non natura, sed gratia et virtute, nam natura verus homo fuit, siquidem: *Fuit homo missus a Deo;* homo natura, sed virtute vitaque angelus, vitam enim angelicam duxit in terra, angelus mente et affectu, angelus contemplatione divinitatis et amore, angelus dignitate et officio. Sicut autem in sancta sanctorum duo erant cherubim, [59] et super templum Deus Isaiae inter duos Seraphim visus fuit, [60] ita in hoc vaticinio duos Angelos videmus: *Ecce ego mitto Angelum meum... et statim veniet... Angelus testamenti, quem vos vultis.* Angelus, cherub, seraph Christus homo, gratia singularis personae excellentissimus; ita et Ioannes Christo simillimus, hinc ait: *Ecce ego mitto Angelum meum*, quasi unicus Dei angelus esset Ioannes; et utique inter homines solus Ioannes angelus semper immaculatus, semper sanctus, semper Spiritu Sancto plenus.

ut omnes in Christum crederent;

Consonat autem vaticinium M a l a c h i a e cum vaticinio I s a i a e : *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini; Ecce ego*

56) Is 40, 4-5. Vulg.: *Exaltabitur... humiliabitur, et erunt prava*, etc. 57) 3, 1.
58) Mt 11, 10. In margine haec adiecta fuerunt: « Saepe legimus apparuisse Angelos in humana forma, qui tamen natura vere Angeli non homines erant; Ioannes autem natura vere homo, sed gratia et virtute Angelus, quod multo gloriosius ipsi est quam si natura Angelus fuisset. Controversum est an Angelus suapte natura sit nobilior homine, nam ait: *Minuisti eum paulo minus a Deo.* Sed quamvis homo Angelo inferior esset sicut argentum auro, argentum tamen copiose deauratum et summa cum arte elaboratum simplici auro multo pretiosius habetur; sic Deus argenteam animam Ioannis deauravit gratia sua virtutibusque omnibus elaboravit, ut in coelo Ioannes Angelis sublimior factus sit. O singulare privilegium humanae naturae, cui a Deo datum est ut possit supra Angelorum dignitatem ascendere ! 59) Cf. Ex 25, 18-19. 60) Cf. Is 6, 1-2.

mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam. Via autem Domini Christi fides est, hinc ipse ait: *Ego sum via . . . nemo venit ad Patrem nisi per me.* [61] Ioannes autem *venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per ipsum.* [62] Ut omnes crederent in Christum, Verbum caro factum, Deum humanatum, hominem deificatum; ut omnes homines captivarent intellectum ad credendum fide firmissima, quod infinitis partibus omnem humanae mentis captum existimationemque excedit, ut homo ceteris quibusvis hominibus similis et homo pauper et abiectus, qui nudius tertius natus fuit, crederetur unicus verusque Deus Optimus Maximus, infinitae et aeternae gloriae et maiestatis, angelica vix lingua persuadere potuisset hominibus; ideo angelum hunc misit Deus: *Ecce ego mitto Angelum meum,* hominem angelica mente, angelica sapientia, angelica eloquentia, angelica virtute et sanctitate praeditum, ut sic *omnes crederent per ipsum.*

Ioannes enim ad ostendendum Deum hominem factum missus fuit,

Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Quomodo autem ante Christum praeparavit viam Ioannes, pater ipsius Spiritu Sancto afflatus declaravit dicens: *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius; ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* [63] Sic praeparavit Christo viam Ioannes, auferens offendicula fideique difficultates. Viam duo sunt quae difficilem valde ac prope impermeabilem reddunt: montes altissimi et profundissimae valles; sic fidem Christi duo hominibus difficillimam incredibilemque reddebant: altitudo Dei et humilitas humanae naturae; Deus enim altissimum coelum est, homo autem infima terra. Ioanni hic mons altissimus humiliandus erat et exaltanda vallis haec profundissima: *Omnis mons et collis humiliabitur et omnis vallis exaltabitur.* [64] Deus est *omnis mons,* omnis *collis,* omnis altitudo et sublimitas, cuius est infinita gloria et aeterna maiestas; homo autem *omnis vallis,* omnis humilitas, omnis miseria atque calamitas. Ioanni persuadendum erat hominibus quod altitudo Dei descenderit ad humilitatem humanam et humana humilitas ascenderit ad alti-

61) Io 14, 6. 62) Ibid. 1, 7. Vulg.: *Per illum.* 63) Lc 1, 76-77. 64) Ibid. 3, 5. Vulg.: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur.*

tudinem divinam: *Omnis vallis exaltabitur et omnis mons et collis humiliabitur.*

Explanare autem humiliareque altissimos montes et exaltare profundissimas valles res est supra humanas vires, quod nec potentissimi reges praestare possunt. Hoc autem praestiturus erat Ioannes et hoc quidem absque miraculis, quae supernaturalium rerum efficaces demonstrationes et rationes potentissimae sunt, nam *Ioannes... signum fecit nullum.* [65] Hoc est miraculum super omne miraculum, sine miraculis persuadere hominibus id quod vix innumeris cum miraculis maximisque signis mundo persuaderi potuit. Sed angelica Ioannis vita et praedicatio id praestare potuit: *Ecce ego mitto Angelum meum.*

hanc autem fidem hominibus persuasit sine miraculis;

Idem etiam Vates Ioannem Eliam vocavit: *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam... et convertet corda patrum in filios;* [66] hunc enim Eliam Christus Ioannem esse interpretatus fuit. [67]

De Ioanne etiam Regius Vates vaticinatus fuit dicens: *Iustitia ante eum ambulabit et ponet in via gressus suos.* [68] Loquitur enim ibi Regius Vates de mysterio incarnationis: *Veritas de terra orta est et iustitia de coelo prospexit; etenim Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum,* sive, ut habet Veritas Hebraica: *Veritas de terra germinabit et iustitia de coelo prospecta est; Dominus dabit bonum et terra nostra dabit proventum suum;* [69] ubi clarissime Regius Vates aperit divinae incarnationis Christique nativitatis mysterium; et tunc sequitur: *Iustitia ante eum ambulabit et ponet in via gressus ipsius,* ubi Ioannes ob sanctitatem et iustitiam omnibus numeris absolutam, non iustus, sed *iustitia* dicitur, sicut sol ob summam lucis copiam lux mundi appellatur. Alibi etiam Regius Vates de Ioanne vaticinatus est dicens: *Paravi lucernam Christo meo,* [70] ubi simul cum incarnationis mysterio coniungit Ioannis vaticinium: *Ibi producam,* sive *germinare faciam cornu David,* idest Christum; *paravi lucernam Christo meo,* nam Ioannes a Christo lucerna dictus est: *Ille erat lucerna ardens et lucens.* [71]

laudatur a Davide, qui eum dicit iustitiam et lucernam.

...

65) Io 10,41. 66) Mal 4, 5 sq. Vulg.: *Ego mittam... cor patrum ad filios.*
67) Cf. Mt 11, 14. 68) Ps 84 (hebr. 85), 14. 69) Ibid. vrr. 12-13.
70) Ps 131, 17. Vulg.: *Illuc producam,* etc. 71) Io 5, 35.

Laudatur etiam ab Angelo Gabriele,

VI. Laudatur etiam Ioannes ab Angelo Gabriele, qui princeps est paradisi et Christi praenuncius fuit a Deo ad Beatam Virginem missus. [72] O Ioannis infinita dignitas, cuius conceptus ab eodem principe Angelorum praenunciatus fuit, a quo et Christi conceptio Verbique divini incarnatio! Isaac nativitas ab Angelo praedicta fuit Abrahamo, [73] et nativitas Samsonis similiter ab Angelo praedicta fuit parentibus; [74] sed nativitas Ioannis praedicta ab Angelorum principe. Sicut autem Angelus, qui praedixit Samsonis nativitatem parentibus, praedixit etiam seriem gerendae vitae virtutemque pueri nascituri: *Erit... nazaraeus Dei ab infantia et ab utero matris suae, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum,* [75] sic Gabriel praedicens Ioannis nativitatem, vitam etiam ipsius praedixit, ait enim: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate eius gaudebunt; erit enim magnus coram Domino... Vinum et siceram non bibet et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse praecedet ante ipsum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum parare Domino plebem perfectam.* [76]

qui ex multis illius magnitudinem futuram praenunciat,

Has laudes Angelus tribuit Ioanni, quod futurus erat magnus coram Domino; quod nazaraeus Domini, Deo totaliter dedicatus; quod semper Spiritu Sancto plenus; quod poenitentiae praedicator, quod Christi praecursor, quod maximus Prophetarum, quod magister futurus erat perfectionis: *Erit,* inquit, *magnus coram Domino.* Hoc angelici de Ioanne encomii caput est: *Erit... magnus coram Domino:* magnus in conceptione, magnus in nativitate, magnus in educatione, magnus in vita, magnus in scientia, magnus in doctrina, magnus in virtute, magnus in operatione.

sed praecipue a) ab eius vitae innocentia

Magnitudinem autem hanc Angelus in sex capita distinguit, tribuens Ioanni veluti sex alas seraphicas: *Vinum et siceram non bibet:* mira poenitentia et ab omnibus carnalibus deliciis abstinentia, unde Christus de eo dixit: *Venit... Ioannes non manducans*

72) Cf. Lc 1, 26-37. 73) Cf. Gn 18, 9-14. 74) Cf Idc 13, 3. 75) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Et ex matris utero.* 76) Lc 1, 13-17. Vulg.: *Praecedet ante illum.*

neque bibens; [77] *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae:* plenitudo gratiae, virtutum donorumque omnium Spiritus Sancti; praedicatio poenitentiae: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum,* efficax enim praedicatio est facta in virtute et ex plenitudine Spiritus Sancti; quod Christum praedicatione et baptismo anteiturus erat: *Praecedet ante illum in spiritu;* quod alter futurus erat Elias: *In spiritu et virtute Eliae;* quod tandem ut perfectionis magister paraturus erat Domino plebem virtutibus perfectam instructamque ad suscipiendam ex alto Christi fidem. *Erit... magnus coram Domino,* cuius comparatione, ut Sapiens ait, sicut staterae momentum est coram eo orbis terrarum et sicut gutta roris antelucani. [78] *Magnus coram Domino.* Coram hominibus in mundo magnus est qui multis divitiis abundat, qui bysso et purpura induitur, qui epulatur quotidie splendide, [79] qui magnis donatus est honoribus et dignitatibus, qui hominum principes sunt mundoque dominantur. Sed *quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum;* [80] Ioannes autem *magnus* dicitur *coram Deo.* Erit quis magnus in aliquo castro vel parva civitate, sed non in civitate regia, in regali curia, magnus apud regem summumque imperatorem. Deus autem summus imperator et monarcha est universi; apud hunc Ioannes *magnus* dicitur: *Erit... magnus coram Domino,* qui post Christum unigenitum Filium Dei eiusque Sanctissimam Virginem Mariam, quae coeli Regina est, apud Deum primum tenet locum. *Erit... magnus coram Domino:* magnus divitiis coelestibus, magnus honoribus, magnus dignitatibus, magnus deliciis, magnus gratia, magnus gloria. *Qui... fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum;* [81] Ioannes autem et fecit et docuit, et prius fecit, postea docuit, pluraque fecit quam docuit. Si enim poenitentiam praedicavit et docuit, ipse ab ineunte aetate in asperrimo deserto asperrimam vitam duxit. *Vinum,* inquit, *et siceram non bibet:* haec lex nazaraeorum est, hi enim Deo consecrati et dedicati omnibus diebus consecrationis suae ab omni quod de vite egreditur abstinebant. [82] Sic nazaraeus fuit Samson, nazaraeus Samuel, nazaraeus

77) Mt 11, 18. Vulg.: *Neque manducans, etc.* 78) Cf. Sap 11, 23. 79) Cf. Lc 16, 19. 80) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Quod hominibus altum est... ante Deum.* 81) Mt 5, 19. 82) Cf. Nm 6, 3.

dictus est Ioseph;[82a] sic et Ioannes: *Vinum et siceram non bibet,* non carni sed spiritui operam dabit. Sic a pueritia desertum elegit, ubi nullae sunt carnis deliciae, nullae voluptates, nulla ibi concupiscentia carnis, nulla concupiscentia oculorum, nulla superbia vitae;[83] in carne vivet, sed non secundum carnem. Sic ab omni fuit vitio alienus. Hoc primum caput est laudum Ioannis, summa vitae innocentia, absque ulla macula vitiorum, quoniam de Sodomorum vinea [84] nihil penitus tanquam nazaraeus Domini degustavit.

nullo penitus vitio maculata,

A nazaraeis Dominus quattuor praecipue requirebat, ut legimus *Numeris* 6: perpetuam abstinentiam ab omni quod nascitur ex vite, perpetuam custodiam a tactu immundorum et maxime mortuorum, perpetuum nutrimentum comae capillorum et sanctitas perpetua, idest summa mundities et candor vitae morumque; neque enim licebat ad proprias uxores accedere, sed uni soli Deo operam dare; nec pro morte quorumvis carorum, etiam parentum ipsorum, poterant luctui indulgere, sed intrinsecus extrinsecusque totos Deo dicatos esse oportebat. [85] Sic fuit semper Ioannes optimus nazaraeus, non ad tempus, ut legales, sed perpetuus, ut Samson fortissimus contra Philisthaeos, [86] ille enim Ioannis figura typusque extitit mirabili conceptione ab Angelo nunciata et supernaturali fortitudine contra hostes Dei. Evitavit Ioannes tanquam optimus nazaraeus non solum peccata, sed etiam omnes peccatorum vel minimas occasiones, hinc puerulus in desertum abiit ne vel oculis, vel auribus, vel lingua peccare posset, his enim nos facillime peccamus, sed semper comam capitis sui nutrivit, omnes mentis suae cogitatus diligentissime custodivit in Deumque direxit; haec enim coma tandem Deo in holocaustum offerenda erat. Primum igitur laudum Ioannis caput est perpetua innocentia summaque abstinentia ab omnibus vitiis et concupiscentiis carnis et mundi, ut in sancta anima ipsius nulla penitus esset vitii aut cuiusvis peccati macula.

b) a plenitudine omnium virtutum Spiritus Sancti,

Secundum vero caput est: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae,* sicut Ieremias in materno adhuc utero existens sanctificatus fuit, [87] Ieremias enim Ioannis typus fuit. Prima autem Ioannis laus ab Angelo est nullo vitio eum infectum, secunda vero

82a) Cf. Gn 49, 26. 83) Cf. 1 Io 2, 16. 84) Cf. Dt 32, 32. 85) Cf. vrr. 2-8.
86) Cf. Idc 14, 1-16, 1 sqq. 87) Cf. Ier 1, 5.

omni virtute praeditum. Quid enim Spiritus Sancti plenitudo designat, nisi plenitudinem gratiae, plenitudinem virtutum omnium, omnium donorum Spiritus Sancti et beatitudinum evangelicarum? Sic enim Spiritu Sancto pleni fuerunt omnes Prophetae Dei et sancti Apostoli Christi. Hic Spiritus Ioannem sanctificavit, quoniam *Sanctus* est;[88] hic Ioannem docuit omnem veritatem, quoniam *Spiritus veritatis* est;[89] hic Ioannem in deserto manna coelestis consolationis pascebat, quoniam *Spiritus Paraclitus* est.[90] Quod si semper Ioannes Spiritu Sancto plenus fuit, nullum unquam in eo locum habuit spiritus nequam, *princeps mundi huius:*[91] *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.*

c) a praedicatione qua multos ad Deum convertet.

Tertia laus: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum patrum ipsorum.* Hoc semper Prophetarum et Apostolorum Dei studium fuit, homines ad Deum convertere, sicut Moyses convertit Hebraeos[92] et Ionas Ninivitas.[93] Divinum plane opus et humanis viribus longe impar est animas ad Deum convertere, hinc Prophetae et Apostoli Divino Spiritu repleti fuerunt. Non convertitur homo ad Deum, nisi diabolo, mundo et carne superatis; diabolum autem vincere magna res est. Vicit tamen Ioannes, hinc multos ad Deum convertit poenitentiam praedicando factis et verbis veniebantque ad eum audiendum populi et *baptizabantur ab eo... confitentes peccata sua.*[94] Peccatorem autem convertere, inquit Divus Augustinus super illud Ioannis: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet,*[94a] maius opus est quam coelum et terram creare; maius enim opus redemptio quam creatio mundi est.[95] Ioannes tamen multos, imo innumeros peccatores ad Deum convertit praedicando, orando, ieiunando, asperrimam vitam in vastissimo deserto ducendo: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.*

Quarta Ioannis laus ab Angelo est: *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae:* quod Ioannes Christi veri Dei praecursor et praenuncius sit, tanquam alter Elias plenus Spiritu Sancto et

88) Cf. Io 14, 26; 20, 22. 89) Cf. ibid. 90) Cf. ibid. 14, 16. 26; 15, 26; 16, 7. 91) Ibid. 12, 31; 14, 30; 16, 11. 92) Cf. Ex 4, 31. 93) Cf. Ion 3, 1 sqq. 94) Mt 3, 6. 94a) 14, 12. 95) *In Ioannem*, tract. 72, (P. L. 35, 1823-1824).

d) a mirabili spiritu et zelo ad persecutiones patiendum propter iustitiam,

divina virtute iustitiae et honoris divini zelantissimus.[96] Sicut autem Elias Prophetarum eximius est, qui igneo curru raptus est in coelum,[97] quo dignus non erat mundus,[97a] sic Ioannes. Siquidem Elias figura et typus extitit Ioannis: *Praecedet ante illum*, sicut aurora solem, sicut praeco regem praecedit, *in spiritu et virtute;* coniuncta sunt spiritus et virtus, sicut sol et lux, ignis et calor: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi;*[98] *Donec accipiatis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.*[99] Ubi Spiritus Sanctus est, ibi divina virtus ad mirabiliter supra virtutem naturae operandum, quae viribus humanis impossibilia videntur. Dicitur autem Ioannes Christum praecessurus, non in spiritu Moysi, qui vir mitissimus fuit,[100] sed in spiritu Eliae, qui fuit vir rigidissimus ac severissimus in arguendis hominum peccatis, etiam principum;[101] sic Ioannes Eliae simillimus fuit vitae austeritate et correptionis libertate; in deserto habitavit ille ministerio corvi mirabiliter pastus,[102] in deserto iste divinitus potius quam humanitus enutritus; arguit ille impium Achab, iste impium Herodem;[103] persecutionem passus fuit ille ab impia Iezabele,[104] iste ab Herodiade.[105] Sic mirabili spiritu praeditus fuit ad agendum et ad patiendum persecutiones propter iustitiam.[106]

e) a coelesti magisterio quo verbis et factis coelestem prudentiam docuit,

Quinta laus: *Ut convertat corda patrum in filios et incredulos*, sive inobedientes, *ad prudentiam iustorum*, hoc est ut Iudaeos sanctis Patriarchis virtutibus quam similes efficiat eisque amabiles reddat, qui ob flagitiosam vitam sanctissimis illis patribus odibiles facti erant. Sic venit Ioannes tanquam coelestis magister *ad dandam scientiam salutis*,[107] ut converteret peccatores *ad prudentiam iustorum.* Venit Ioannes ad docendam prudentiam, non qualemcunque, sed *prudentiam iustorum*, nam: *Prudentia carnis mors est.*[108] Venit ergo ad docendum prudentiam spiritus, quae terrenis coelestia praefert, mundanis divina, carnalibus spiritualia, temporalibus sempiterna, spiritum carni, animam corpori. Anima enim coelestis natura est, corpus autem terrena; spiritus angelica divinaque sub-

96) Cf. 3 Rg 19, 10-14. 97) Cf. 4 Rg 2, 11. 97a) Cf. Hebr 11, 38.
98) Lc 1, 35. 99) Act 1, 8. Vulg.: *Sed accipietis*, etc. 100) Cf. Nm 12, 3.
101) Cf. 3 Rg 18, 16-18; 21, 17 sqq.; 4 Rg 1, 15-16. 102) Cf. 3 Rg 17, 2-4.
103) Cf. Mt 14, 3-4; Mc 6, 17-18; Lc 3, 19. 104) Cf. 3 Rg 19, 1-3. 105) Cf. Mt 14, 6; Mc 6, 21-22. 106) Cf. Mt 5, 10. 107) Lc 1, 77. 108) Rom 8, 6.

stantia, caro autem brutalis et animalis. Et prudentia quidem carnis bonum dicit malum et malum bonum, ponens lucem in tenebras et tenebras in lucem, dulce in amarum et amarum in dulce.[109] Hinc ex falsa rerum aestimatione et iudiciorum corruptela humanae vitae perturbatio oritur. Prudentia carnis tota circa divitias, honores et voluptates mundi huius versatur; prudentia autem spiritus fallacia haec mundi bona ex alto contemnenda ostendit, sed divina toto pectore appetenda. Hanc divinam prudentiam Ioannes factis verbisque docuit, manibus et lingua; hinc multi coelestem Ioannis disciplinam susceperunt, quoniam mundus ad instar simiae est, cuius ingenium in eo situm est, ut faciat quaecunque fieri ab homine viderit; homines enim factis, exemplis virtutum magis moventur quam verbis.

Sexta tandem laus Ioannis ab Angelo est: *Parare Domino plebem perfectam.* Sicut enim Dominus daturus legem Hebraeis de coelo, prius misit de montis Horeb supercilio sanctum Moysen ut populum ad suscipiendam legem praepararet et sanctificaret,[110] sic idem Deus venturus ad dandam evangelicam legem mundo, praemisit Ioannem ad praeparandum populum virtutibusque instruendum ad divinam hanc Evangelii legem digne suscipiendam. Ad hoc venit Ioannes, ad praeparanda perfecte hominum corda, ad suscipiendam Christi fidem, ut per eius praedicationem omnes in Christum crederent. Venit ad purgandum populum a vitiis et peccatis, ad illuminandum eorum corda ut verum Messiam agnoscerent, ad perficiendum eorum animos perfecto desiderio aeternae salutis perfectaque in Deum caritate. Sic venit *parare Domino plebem perfectam,* sic venit *ante Dominum parare vias eius.* Viae autem Domini sunt cognitio et amor: cognitio veri et amor boni in intellectu illuminato et purgato cordis affectu.

f) et tandem a divina missione, ut mundus a vitiis purgatus verum Messiam exciperet.

Laudatur autem Ioannes ab Angelo sex hisce capitibus et sex veluti seraphicis cherubicisque alis decoratur, ad designandam in Ioanne virtutum omnium omnibus numeris absolutam perfectionem, siquidem senarius numerus primus est perfectorum,[111] hinc magnus absolute dictus est: *Erit... magnus coram Domino.* Non dicitur

Hae Angeli laudes designant in Ioanne omnium virtutum absolutam perfectionem.

109) Cf. Is 5, 20. 110) Cf. Ex 19, 8 sqq. 111) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 74, a. 1.

magnus sicut Moyses coram populo,[112] non magnus sicut Iob inter Orientales,[113] non magnus sicut Samson in fortitudine,[114] sicut Salomon in sapientia,[115] sicut David in sanctitate; sed *magnus* in omni perfectione *coram Domino.* Magnus, imo maximus, imo ter maximus; doctor, virgo et martyr; magnus natura, Christi consanguineus; magnus gratia, Christi praecursor; magnus gloria, princeps paradisi.

Laudatur a Christo nobilissimo encomio.

VII. Christus etiam praeco fuit laudum Ioannis. Laudavit Deus mundi lucem,[116] Christus autem Ioannis virtutem. Multos invenimus a Christo laudatos, quoniam summopere placet Christo virtus: laudavit Nathanaelem dicens: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est;*[117] laudavit centurionem: *Non inveni tantam fidem in Israel;*[118] laudavit chananaeam: *O mulier, magna est fides tua;*[119] laudavit Magdalenam: *Fides tua te salvam fecit,*[120] *Maria optimam partem elegit,*[121] *Bonum opus operata est in me;*[122] laudavit Petrum: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est;*[123] sed super omnes Ioannem et honoravit et laudavit Christus. Honoravit quidem, quoniam eum in matris utero visitavit et Spiritu Sancto replevit et ab eo postmodum baptizari voluit, ubi regenerationis Sacramentum instituit; laudavit deinde mirum in modum dignissimo encomio coram innumerabili turba dicens: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui praeparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista; qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo. A diebus autem Ioannis Baptistae usque nunc, regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt; et si*

112) Cf. Ex 11, 3. 113) Cf. Iob 1, 3. 114) Cf. Idc 13, 5. 115) Cf. 3 Rg 3, 12; 2 Par 1, 12. 116) Cf. Gn 1, 4. 117) Io 1, 47. 118) Mt 8, 10. 119) Ibid. 15, 28. 120) Lc 7, 50. 121) Ibid. 10, 42. 122) Mt 26, 10. Vulg.: *Opus... bonum,* etc. 123) Ibid. 16, 17.

vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.[124] Alibi etiam ad Ioannis commendationem Christus dixit Iudaeis: *Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati ... Ille erat lucerna ardens et lucens.*[125]

O laudes, o laudes! Optimam necesse est esse picturam quam pictor optimus maxime laudat. Alexander Magnus felicem putavit Achillem, eo quod ab Homero summis laudibus celebraretur;[126] Ioannes autem a Christo summis laudibus exornatur.

Sed quis pro merito has laudes valeat explicare? Laudatur de mentis animique constanti et immobili firmitate, de carnis mortificatione et vitae asperitate, de virtutum omnium summa excellentia, de angelica puritate et sanctitate, de meritorum magnitudine supra omnes natos mulierum, quo solus Christus est inter viros maior. Alibi dixit Dominus de ipso: *Venit ... Ioannes in via iustitiae et non credidistis ei.*[127] Iustitiam hic dicit Christus perfectam divinae legis observantiam virtutumque omnium supellectilem, sicut Ioanni ipse dixit volens baptizari ab eo: *Sic ... decet nos implere omnem iustitiam.*[128] Iustitia autem haec duas habet partes: *Declina a malo et fac bonum,*[129] sicut duo sunt genera praeceptorum in divina lege; haec enim iubent ut bona fiant, illa mala inhibent ne fiant. Iustitia igitur haec omnia abhorret vitia atque peccata, sicut lux tenebras, et omnes complectitur virtutes, sicut lux colores. Christus autem quoad utrunque ostendit perfectissimam fuisse Ioannis iustitiam: quoad primum dicens eum non esse arundinem vento agitatam, nec hominem mollibus vestitum; et quoad secundum dicens eum esse plus quam prophetam esseque angelum Dei, super omnes filios hominum in sanctitatis et iustitiae excellentia. Quoad primum, omne vitium oritur vel a levitate mentis, cum vacua est et destituta spiritu Dei, unde nec vere cognoscit, nec diligit ex toto corde Deum, ideo enim levis est arundo, quoniam vacua est; vel oritur ex nimio carnis affectu proprioque amore, hinc enim luxuria, hinc avaritia, hinc superbia trahit originem. Sensualis amor carnalisque affectus veluti radix est omnium malorum, ut ait Apostolus.[130] Sed Ioannes, inquit Christus, non est vacua levisque arundo, nam ex

de perfecta iustitia,

qua ab omni vitio immunis fuit,

124) Ibid. 11, 7-14. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior,* etc. 125) Io 5, 33-35. 126) Cf. Cicero *Pro Archia*, orat. 26, t. 2, col. 547. 127) Mt 21, 32. 128) Ibid. 3, 15. 129) Ps 36, 27. 130) Cf. 1 Tim 6, 10.

utero matris plenus fuit Spiritu Sancto, ut esset *magnus coram Domino.* Spiritus autem Sanctus mentem implet clara certaque cognitione veritatis, ut non circumferatur homo omni vento doctrinae,[131] et sancto amore summae bonitatis, sic enim *optimum... est gratia stabilire cor.*[132] Si igitur in Ioanne plenitudo gratiae Spiritus Sancti fuit in mente, nulla igitur vanitas, nulla levitas, nullum vitium, quoniam vitium privatio est et veluti vacuum in natura. Sic non fuit arundo agitata vento, nec homo mollibus vestitus, *qui enim mollibus vestiuntur in domibus regum sunt,* qui carnales voluptates sequuntur, nec nisi mundanam felicitatem quaerunt, quae in deliciis carnis, honoribus mundi et terrenis divitiis videtur consistere. Ioannes autem non regales domos, sed horridum desertum asperrimaeque poenitentiae locum ab ineunte aetate sibi elegit, ut in summa asperitate, humilitate et paupertate duceret vitam. Cum igitur homo mente et carne constet, si nullum in Ioannis mente aut carne vitium fuit, ab omni vitiorum labe immunem eum fateri necesse est.

et omni virtute praeditus, hinc eum dicit plus quam prophetam

Sicut autem ab omni vitio liber et immunis fuit, sic omni fuit virtute praeditus et ornatus, hinc Christus eum *prophetam* dicit *et plus quam prophetam.* Homines Deo cari omnique virtute praediti, quos sanctos dicere consuevimus, antiquitus Prophetae dicebantur; sic enim Abraham propheta dictus est,[133] sic omnes Patriarchae: *Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari.*[134] Sic caecus natus a Christo illuminatus Christum dixit esse prophetam,[135] idest virum sanctum, nam inquit: *Peccatores Deus non exaudit; sed si quis cultor Dei est et voluntatem eius facit, hunc exaudit.*[136] Sic Christus ob insignia miracula a turbis propheta magnus praedicabatur et habebatur.[137] Sic Ioannes ob singularem vitae sanctitatem. Christus igitur Ioannem dicit *prophetam* et *plus quam prophetam,* idest sanctum et plus quam sanctum, idest Sanctis omnibus qui unquam fuerunt multo sanctiorem, qui semper coelestem angelicamque vitam duxit carne circumdatus in terra.

et Angelum,

Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum. Angelus Ioannes, quia hominibus merito sanctitatis maior. Sicut

131) Cf. Eph 4, 14. 132) Hebr 13, 9. 133) Cf. Gn 20, 7. 134) Ps 104, 15.
135) Cf. Io 9, 17. 136) Ibid. vr. 31. Vulg.: *Non audit... Dei cultor,* etc.
137) Cf. Mt 14, 5; 21, 46; Mc 8, 28; Lc 7, 16; 9, 8. 19; Io 6, 14; 7, 40.

enim unica illa stella, quae post alias omnes in coelo in aurora apparet, omnium soli proxima, omnium splendidissima et pulcherrima est, noctis enim est terminus et diei initium, sic Ioannes maximus est Sanctorum omnium qui illum praecesserunt, quoniam terminus legis Ioannes praefixus: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem*, ideo Ioannes dicitur *lucerna ardens et lucens: ardens* caritate et *lucens* divina claritate; illa lucerna, inquit Divus Cyrillus, quae in templo Domini perpetuo ardebat ante divinum propitiatorium extra velum;[138] *lucerna ardens et lucens* caritate divini amoris et claritate divinae cognitionis.[139] Ioannes fuit maximus Prophetarum donisque omnibus Spiritus Sancti, nam lucerna illa septem luminibus semper splendebat.[140]

fuit enim Ioannes maximus Sanctorum omnium et Prophetarum,

Fuit etiam triplici genere prophetiae donatus, Spiritu enim Sancto afflatus cognovit praeteritam Christi incarnationem, cognovit praesentem Christi personam et futuram Christi gloriam: *Illum oportet crescere, me autem minui.*[141] Omnis autem doctrina Ioannis fuit non humanitus acquisita, sed divinitus infusa, hinc dicitur *lucerna*, cui aliunde lumen infunditur: *lucerna ardens* in se et *lucens* aliis per praedicationem et demonstrationem veritatis; *lucerna*, quia praedicabat iis qui in tenebris et umbra mortis sedebant; sic Zacharias pater ait: *Illuminare his qui in tenebris et... umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*[142] *Lucerna ardens* intus et

triplici prophetiae genere donatus et omni sanctitate exornatus.

138) *De Adoratione in Spiritu et Veritate*, lib. 10, (P. G. 68, 679). 139) In margine haec adiecta fuerunt: « Lucerna Ioannes dicitur *ardens et lucens; ardens* in voluntate ardore divinae caritatis *et lucens* in intellectu lumine divinae cognitionis. Non potest lucerna ardere et lucere, nisi plena sit oleo; sic non potest quis vere Deum diligere et cognoscere, nisi plenus sit Spiritu Sancto. Ioannes autem ideo *lucerna ardens et lucens*, quia plenus Spiritu Sancto *ex utero matris suae*. Ad haec duo designanda Ioannes dictus est *Angelus Domini* et plus quam propheta: Angelus quoad ardorem, nam Angeli ignei dicuntur, propheta vero quoad hanc lucem; propheta enim dicitur qui divinitus illustratus est coelestique sapientia plenus. Ioannes igitur *lucerna ardens et lucens*, Angelus et propheta summus. Qui autem non fuerit *lucerna ardens et lucens*, Ioanni similis, salvari minime poterit. Omnis homo lucerna est, vas aptum ut oleo gratiae Spiritus Sancti impleatur, quia nos *ad imaginem et similitudinem Dei* conditi sumus, Dei utique capaces per cognitionem et amorem sumus. Qui Deum fide cognoscit et vera caritate diligit, hic *lucerna* est *ardens et lucens*. Sine fide autem et caritate impossibile est hominem salvari, nam: *Iustus in sua fide vivit; Sine fide... impossibile est placere Deo;* fides enim est substantia sperandarum rerum; *si... autem caritatem non habuero, nihil sum... nihil mihi prodest.* Quinque virgines prudentes, quia lucernas ardentes et lucentes habuerunt, intraverunt cum sponso ad nuptias; fatuae autem a nuptiis exclusae fuerunt, quia non habuerunt lucernas ardentes et lucentes, nec oleum in vasis suis ».

140) Cf. Ex 27, 20; 37, 23. 141) Io 3, 30. 142) Lc 1, 79.

lucens foris; *ardens* intus ardore Spiritus Sancti et *lucens* foris virtutibus et doctrina. Potest aliquis esse lucerna ardens, sed non lucens; potest quis esse sanctus, sed non doctus praedicator et magister; potest etiam quis esse lucerna lucens, sed non ardens; praedicator doctus, sed non sanctus, qui docet et non facit. Sed Ioannes *lucerna* fuit *ardens* simul *et lucens;* erat propheta sanctissimus dignissimusque cui omnes crederent, quoniam in spiritu et virtute ipse est Elias qui venturus est ante Dominum, sicut dixit Malachias;[143] Elias ille potentissimus, ad quem Eliseus clamabat: *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius,* sive *equites eius,*[144] idest qui universo Israeli ad defensionem salutemque ipsius contra omnes hostes tanquam exercitus erat potentissimus et insuperabilis. Fides enim omnipotens virtus est, imperat omnibus creaturis et obediunt ei: *Omnia possibilia sunt credenti;*[145] *Omnia possum in eo qui me confortat.*[146] Haec enim est quae in Sanctis omnibus, qui unquam miraculorum gloria floruerunt, miracula omnia operabatur; hac vel maxime Elias praeditus fuit, hinc a Christo Ioannes *Elias* dictus est. Sic Dominus omnibus quibus potuit laudibus exornavit Ioannem.

Deus etiam multis honoribus, supra omnes Sanctos Ioannem decoravit,

VIII. Deus etiam multis honoribus super omnes Sanctos decoravit Ioannem. Primo quidem in aeterna praedestinatione; eum enim non solum ad gratiam et gloriam ab aeterno praedestinavit, sed ad summum gradum gratiae et gloriae, ut vere esset *magnus coram Domino.* Hunc Christo unigenito Filio suo simillimum esse voluit super omnes sanctos, ut esset alterum luminare maius in coelo.[147] Christus homo ex stirpe regia, Ioannes homo ex regali simul et sacerdotali; Christus semper sanctus, Ioannes semper ex utero matris suae Spiritu Sancto plenus; Christus a Prophetis praevisus et praedictus, similiter Ioannes; Christus nunciatus ab Angelo, Ioannes ab eodem et sacratiori in loco, nam patri nunciatus fuit in templo et hora incensi, hora orationis, ab Angelo stante a dextris altaris incensi,[148] Christus miraculo conceptus, Ioannes supra naturam; Christus conceptus in aequinotio vernali, Ioannes in autumnali;

143) Cf. 3, 1. 144) 4 Rg 2, 12. 145) Mc 9, 22. 146) Phil 4, 13.
147) Cf. Gn 1, 16. 148) Cf. Lc 1, 9-11.

eum enim Christo simillimum effecit,

Christus natus in solstitio hiemali, Ioannes in solstitio aestivali;[149] Christus natus Spiritu Sancto plenus, similiter Ioannes; Christus propheta, Ioannes propheta; Christus praedicator, Ioannes praedicator; Christus virgo, similiter Ioannes; Christus martyr, martyr et Ioannes. Sic Deus Ioannem Christo unigenito Filio suo simillimum fecit. Christo divinitus impositum fuit nomen praedictum ab Angelo Matri,[150] similiter et Ioanni a Deo;[151] missus Christus a Deo, et Ioannes: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes;*[152] sanctificavit Deus Christum: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum,*[153] sanctificavit et Ioannem; glorificavit Christum, glorificavit et Ioannem in coelo; sanctificavit Deus, qui sicut totius auctor naturae est, ita et totius gratiae, omnes Sanctos sanctificatosque glorificavit, sed praecipue Ioannem.

excelsa sanctitate exornavit,

Dicitur Deus apud Isaiam a Seraphim ter Sanctus, non solum ob mysterium Trinitatis, sed etiam quia sanctus essentia est, sanctus virtute, sanctus operatione; cupit omnes homines sanctos esse omnesque volentes sanctificat. Sicut sol lucidus est natura, virtute et operatione, sic Deus, sanctus cum sit ipse, potest et vult alios sanctificare, ut ignis calefacere. Sed praecipue, voluit sanctificare Ioannem. Titulus et epitheton sanctitatis omnibus electis Dei competit, hinc templum Domini, quod figura erat Ecclesiae, *sanctuarium*[154] et *domus sancta*[155] dicebatur; non tamen omnes electi aequaliter sancti sunt, sed sicut in coelo stella differt a stella in claritate aliaque *est claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum,*[156] sic in Ecclesia; hinc infima pars divini sanctuarii dicebatur *atrium*, media dicebatur *sanctum* et suprema *sanctum sanctorum.*[157] Praefigurata item Ecclesia est in scala Iacob,[158] ob diversos gradus sanctitatis; Ioannes autem in scala hac summum tenuit gradum: plus quam propheta; *Inter natos mulierum non surrexit maior*, adeo ut, si omnibus Dei electis epitheton istud convenit, Ioanni vel maxime

149) In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut ex capitibus quattuor temporum anni duo data sunt conceptioni et nativitati Ioannis, sicut duo etiam Christo, sic et ex initiis quattuor Evangeliorum Matthaeus incoepit a temporali Christi generatione, Ioannes ab aeterna; sed Lucas incoepit a Ioannis conceptione, Marcus a praedicatione et baptismo ».

150) Cf. Lc 1, 31. 151) Cf. ibid. vr. 13. 152) Io 1, 6. 153) Ibid. 10, 36. 154) Cf. Ex 25, 8; 26, 33; Lv 6, 30; 10, 18; Nm 3, 28-50; 4, 12-20 et in pluribus aliis locis. 155) Cf. Ps 28, 2; 92, 5. 9. 156) 1 Cor 15, 41. 157) Cf. Ex 26, 1-27, 9 sqq. 158) Cf. Gn 28, 12.

omnium conveniat, quoniam specialissimo gratiae dono sanctificatus a Deo est et in materno utero Spiritu Sancto repletus. Est autem sanctitas divinae gratiae et virtutum omnium cum theologicarum tum cardinalium et moralium excellens perfectio. Requirit enim sanctitas virtutes, non qualescunque, sed perfectas, virtutes non tantum animi purgati, sed heroicas, exemplares, divinis simillimas; illos enim sanctos dicimus qui divina quadam virtute donati, Deo facti sunt simillimi ex plenitudine Spiritus Sancti. Ioannes autem semper Spiritu Sancto plenus fuit, igitur omnibus virtutibus in perfectissimo gradu; semper igitur sanctus. In Divinis Scripturis sanctitas dicitur munditia et immaculata puritas ab omni sorde peccati, hinc sanctitati opponitur immunditia: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem;* [159] *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt;* [160] *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit;* [161] sed: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* [162] Hinc Graecis sanctitas ἁγιότης [163] dicitur, et sanctus ἅγιος, quasi sine terra, siquidem a terra sordes omnes ortum ducunt; sic ab inordinato affectu terrenarum rerum oritur omnis animi immunditia. Ioannes autem alienissimus fuit ab omni affectu mundanarum rerum; ubi autem nullae sunt vitiorum et peccatorum sordes, ibi necesse est omnes reperiri virtutes, sicut ubi tenebrae non sunt, ibi necesse est lucem esse. Sic in anima sancta omnium est virtutum ornamentum, unde hebraice sanctus dicitur קָדוֹשׁ: יָדַעְתִּי כִּי אִישׁ אֱלֹהִים קָדוֹשׁ הוּא, inquit sunamitis de Eliseo; [164] קָדוֹשׁ, קָדוֹשׁ, קָדוֹשׁ, [165] dicunt Seraphim apud Isaiam canentes trisagium; קָדוֹשׁ [166] autem idem est ac paratum esse, unde: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo,* [167] inquit Divus Ioannes declarans Ecclesiae sanctitatem.

Quoniam vero sanctitatis essentia caritas est, hinc chaldaice

159) 1 Thess 4, 7. 160) 1 Cor 7, 14. 161) Hebr 12, 14. Vulg.: *Videbit Deum.* 162) Mt 5, 8. 163) Ms.: Αγιοτης et: Αγιος. 164) 4 Rg 4, 9. Ms.: קדוש, *Iadahthi chi isc Elohim kadosc hu.* 165) 6, 3. Ms.: *Kadosc, kadosc, kadosc.* 166) Ms.: *Kadosc.* 167) Apc 21, 2. Vulg.: *Vidi sanctam civitatem*, etc.

Immensa caritate et gratia.

sanctus dicitur חָסִיד, *hasid*,[168] quod est pium et misericordem esse; et quoniam tunc vere quis sanctus est homo, cum iam in eius pectore virtutes omnes firmas posuere radices, hinc Latinis dicitur sanctus, quasi sancitus, confirmatus in gratia et virtutibus. Sed nonnisi gratia Spiritus Sancti est quae animam vere sanctificat; Ioannes autem tanquam Spiritu Sancto plenus sic appellatus est; nomen enim istud divinam gratiam significat, nomen quod non humanitus impositum, sed divinitus inditum illi est: *Vocabis*, inquit Angelus, *nomen eius Ioannes; erit enim magnus coram Domino et Spiritu Sancto replebitur*. Sic mirabiliter nomen ei hodie istud imponitur: *Vocabitur Ioannes*, inquit mater; *Ioannes est nomen eius*, inquit pater; *et mirati sunt universi*,[169] quoniam magno cum miraculo impositum divinum istud nomen ei est, ad exprimendam virtutem gratiamque ipsius. Vocavit Deus primum hominem *Adam*,[170] quoniam de terra illum formavit; primam mulierem *Evam*, quoniam mater futura erat cunctorum viventium;[171] Abraham sic a Deo appellatus est, quoniam futurus erat pater multarum gentium;[172] Ioannes autem ob gratiae plenitudinem sic appellatus est.

Ob cuius plenitudinem ei nomen Ioannis imposuit.

Nomen hoc triplici ratione Ioanni convenit.

IX. Est autem Ioannis nomen, uti diximus,[173] compositum ex nomine tetragrammaton יְהֹוָה: et verbo חָנַן,[174] quod significat misericordiam, gratiam et supplicem deprecationem. Potest igitur Ioannis nomen interpretari divina deprecatio: *Exaudita est deprecatio tua;* potest interpretari divina misericordia: *Quia magnificavit misericordiam suam cum illa;* et potest interpretari divina gratia: *Spiritu Sancto replebitur ... ex utero matris suae;* quare omnes has interpretationes admittit. Ex triplici autem hac interpretatione triplicem habemus causam laetitiae, unde praedixit Angelus: *In nativitate eius multi gaudebunt.*

Divina deprecatio: Samuel appellatus fuit postulatio divina, quoniam summis precibus sancta mater illum

168) Ms.: חסיך. 169) Lc 1, 60. 63. 170) Cf. Gn 2, 19. 171) Cf. ibid. 3, 20. 172) Cf. ibid. 17, 5. 173) Cf. supra, pag. 36. 174) Ms.: יהוה et: חנן.

interpretari enim potest a) divina deprecatio,

a Deo obtinuit.[175] Ostendit hoc nomen quod ab omnipotenti Deo supplex deprecatio omnem obtinet gratiam, quamvis supra naturam sit quod petimus. Nativitas Ioannis duplici de causa fuit supra omnes naturae vires: quoniam parentes et steriles ambo erant et senes;[176] nec id solum, sed quod etiam talem obtinet gratiam, ut merita supplicum excedat et vota.[177] Sic Deus nobis factus est deprecabilis dum ei incensum offerimus, ut Angelus *stans a dextris altaris incensi* dicat: *Exaudita est deprecatio tua.* Si princeps diem aliquem constitueret quo omnes gratias petitas supplicantibus concederet, esset utique dies ille omnibus festivissimus. Haec igitur prima est causa laetitiae.

b) divina misericordia,

Altera vero divina misericordia, Deus miserebitur, gratiosus erit; deposita omni ira atque vindicta contra peccatores, nonnisi salutem peccatorum quaeret ut omnium misereatur, omnium peccata dimittat; celebrabit diem expiationis ad dimittenda omnia peccata;[178] non eiiciet hominem a paradiso,[179] sed ad paradisum revocabit; non mittet diluvium ad[180] perdendos peccatores, sed peccata;[181] non mittet ignem ad comburendos carnales,[182] sed vitia carnis. Deus miserebitur, gratiosus erit. Quid iucundius audire potest peccator quam Deum sibi fore propitium? Hac de causa natus est Ioannes, ut ostendat Deum misericordiae et infinitae clementiae totiusque consolationis, Christum Dominum nostrum. Sic Ioannes poenitentiam praedicavit dicens appropinquasse iam regnum coelorum,[183] aperuisse Deum thesauros misericordiae suae. Haec summa laetitiae causa est, Deum esse placatum gratiamque et misericordiam suam omnibus volentibus abundantissime exhibere.

c) divina gratia.

Tertia vero est quoniam Ioannes totus divina gratia est, gratia praedestinationis, gratia vocationis ad esse naturae et supernaturalis gratiae, gratia iustificationis et sanctificationis, gratia magnificationis et tandem gratia glorificationis. Effecit Deus Ioannem veluti thesaurum gratiarum suarum coelestiumque donorum. Totus Deo carus gratissimusque Ioannes et maximae erga homines caritatis

175) Cf. 1 Rg 1, 12-20. 176) Cf. Lc 1, 7. 177) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 181). 178) Cf. Lv 16, 1 sqq. 179) Cf. Gn 3, 23. 180) Ms.: *Non*, loco: *Ad*. 181) Cf. Gn 7, 1 sqq. 182) Cf. ibid. 19, 24-25. 183) Cf. Mt 3, 2.

et pietatis. Nihil negat Deus Ioanni, nec Ioannes hominibus invocantibus eum. Et profecto magna gratia, magnum mundo beneficium est quilibet vir sanctus. Hi enim veluti basis et fundamentum sunt mundi: צַדִּיק יְסוֹד עוֹלָם.[184] Quid mundus, si non fuisset Noe?[185] Quid si non fuisset Ioseph tempore famis septennalis?[186] Quid gens hebraea, si non fuisset Moyses?[187] Quid Ninive, si non fuisset Ionas?[188] Quid Ierosolymae tempore Sennacherib, si non fuisset Ezechias pius rex et Isaias sanctus propheta?[189] Si Deus decem iustos in universa Pentapoli reperisset, de coelo super eam ignem minime pluisset.[190] Si igitur conservat hunc mundum Deus, propter iustos utique conservat; quare iusti sunt veluti columnae huius mundi sustentantes eum ne ruat: *Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas eius.*[191] Cum autem Ioannes Sanctorum maximus sit, maxima utique mundi columna; unde vere dici potest quod magnificavit Dominus hodie misericordiam suam cum mundo, mittens hodie Ioannem in mundum, propter aeternam utique mundi salutem: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.*[192] Fides causa salutis est: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;*[193] Ioannes autem ad persuadendam hominibus Christi fidem missus est, ut per ipsius praedicationem omnes in Christum crederent eumque tanquam verum Deum et hominem crederent colerentque.

Vere angelus fuit Ioannes innocentia, poenitentia, gratia et gloria.

X. *Fuit homo missus a Deo*, apostolus Dei, angelus Dei, missus enim idem est ac apostolus et angelus. Non quidem natura angelus Ioannes, ut voluit O r i g e n e s *in Ioannem*,[194] sed gratia et virtute Spiritus Sancti, homo a Deo gloria et honore coronatus.[195] Est homo veluti quadriforme animal E z e c h i e l i s ob quattuor status: innocentiae, poenitentiae, gratiae et gloriae, unde quattuor nominibus hebraice in Divinis Litteris appellatur: אָדָם,[196] אֱנוֹשׁ,[197]

184) Prv 10, 25. Ms.: *Zadik iesod holam.* 185) Cf. Gn 6, 5 sqq. 186) Cf. Ibid. 41, 14 sqq. 187) Cf. Ex 3, 1 sqq. 188) Cf. Ion 3, 1 sqq. 189) Cf. 4 Rg 19, 1 sqq. 190) Cf. Gn 18, 32. 191) Ps 74, 4. 192) Io 1, 6-7. 193) Ibid. 3, 15.
194) *Comment. in Ioannem*, t. 2, (P. G. 14, 163-166). 195) Cf. Ps 8, 6.
196) Cf. Gn 1, 26-27; 2, 5; Prv 23, 28; Eccle 2, 24; 8, 9. Ms.: *Adam.*
197) Cf. Iob 4, 17; 13, 9; Ps 8, 5; 54 (hebr. 55), 14; 102 (hebr. 103), 15. Ms.: *Enosc.*

גֶּבֶר,[198] et אִישׁ.[199] In Ioanne autem mira eluxit innocentia, vitam in deserto ducens, quam nunquam maculavit aut perdidit sicut Adam in paradiso;[200] mira poenitentia, quam gloria martyrii coronavit; mira gratiae fortitudo tanquam leo fortissimus in virtute Dei fuit, et tandem gloria divina donatus tanquam aquila et ignis in coelum advolavit. *Fuit homo,* non ille qui *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis;*[201] sed homo Deo similis, sicut Angelus Dei; *fuit homo magnus coram Domino.* Magna dignitas est legatum esse Summi Pontificis aut imperatoris; Ioannes autem Dei legatus fuit: *Missus a Deo.* Magna dignitas hominis est cui multae gratiae, multi favores, multa privilegia concessa a summo principe, imperatore vel Pontifice Maximo sunt; iste autem homo ob divinarum donorumque coelestium copiam Ioannes appellatus est, quod est g r a t i a d i v i n a: *Cui,* inquit, *nomen erat Ioannes.*

et legatione divina,

Magna dignitas hominis est cum a potentissimo rege destinatur ad opera grandia maximique momenti, ad acquirenda a potentissimis hostibus regna atque imperia. Ad haec missus Ioannes a Deo fuit, ad ostendendum Christum regem esse mundi et ad acquirendum regnum mundi Christo de manu diaboli, qui *princeps huius mundi*[202] erat. Unum solum Moysen Deus misit contra Pharaonem potentissimum regem Aegypti ad acquirendum Deo regnum israeliticae gentis;[203] sic Ioannem contra diabolum misit ad destruendum per poenitentiam regnum peccati et fundandum per veram fidem regnum Christi: *Ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Ad peragendum opus illud Moysi Deus dedit virgam virtutis divinae in manu, qua posset divina miracula operari;[204] Ioanni autem virtutem Spiritus Sancti dedit: *Spiritu Sancto replebitur; Manus Domini erat cum illo.*[205]

qua repletus fuit sapientia,

Ut quis dignus sit testis tria vel maxime requiruntur: scientia et certa rei cognitio, de qua testimonium est perhibiturus, quae enim ignorat quis testificari non potest; secundo, ut sit fidelis et verita-

198) Cf. Dt 22, 5; Iob 4, 17; 14, 10; Ps 51 (hebr. 52), 9; 87 (hebr. 88) 5; Is 22, 17; Ier 23, 9. Ms.: *Geber.* 199) Cf. Gn 24, 16; Ex 35, 29; Ps 1, 1; 48 (hebr 49), 3; 111 (hebr. 112), 1; Ier 5, 1. Ms.: *Isc.* 200) Cf. Gn 3, 6 sqq. 201) Ps 48, 13. 21. 202) Io 14, 30; 16, 11. 203) Cf. Ex 3, 10 sqq. 204) Cf. ibid. 4, 17. 205) Lc 1, 66.

tis integer amator, ne vel mentiatur vel decipiat; tertio, ut sit vir auctoritatis et dignus habeatur cui praestetur fides. Ioanni autem dedit Deus magnum divinae sapientiae thesaurum, quem *plus quam prophetam* effecit; dedit summum veritatis et iustitiae zelum et summam apud Iudaeos auctoritatem, adeo ut nedum magnus propheta, sed etiam Messias ipse ab omnibus fere existimaretur,[206] ut sic *omnes crederent per illum*, cui summam fidem praestabant tanquam magno prophetae, sicut Eliae, sicut Moysi, sicut Divinis Scripturis. Erat enim Ioannes tanquam viva scriptura de Christo apertissime loquens, ut si non omnes Scripturas Divinas intelligerent ad cognoscenda Christi mysteria, omnia haec ab ipso Ioanne audirent.

zelo et auctoritate.

Sic Deus omnibus honoribus Ioannem cumulavit, quem voluit esse patriarcham, apostolum, prophetam, martyrem, sacerdotem, doctorem, virginem hominemque Christo simillimum, quem sicut unigenitum Filium suum voluit esse a sanctis Prophetis praenunciatum, ab Angelo eodem a quo Christus denunciatum, miraculo conceptum, in utero sanctificatum, mirabiliter natum, semper immaculatum et tandem post sanctissimam vitam iniusta morte peremptum. Ioannes a sanctis parentibus vitam accepit tanquam a sancta radice sanctus ramus; sed ab iniquis mortem sicut et Christus. Nec sine mysterio virum hunc Deus nasci voluit ex Zacharia et Elisabeth; Zacharias enim Dei memoria et Elisabeth Dei iuramentum interpretatur; hinc oritur gratia et misericordia Dei: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.*[207] *Fuit homo missus a Deo*, quia miraculo conceptus, miraculo sanctificatus, miraculo natus; hinc *missus a Deo*, quia divina opera et supernaturali virtute Ioannes editus est in lucem.

Hinc Deus voluit eum a Prophetis praenunciatum,

miraculo natum, martyrio coronatum.

Sed cur non dicit: quidam homo? Sic enim dicere oportuisset: fuit quidam homo, non simpliciter: *fuit homo.* Num solus Ioannes tunc erat homo? Utique, tunc Ioannes solus erat purus homo, *ad imaginem et similitudinem Dei*[208] factus; ceteri non homines erant,

206) Cf. ibid. 3, 15. 207) Ibid. 1, 72-73. 208) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

sed pecudes respectu Ioannis; homo enim per peccatum tanquam alter Nabuchodonosor in bestiam transmutatur.[209]

Virtutes et sanctitatem Ioannis imitari debemus.

Quod si sic est, vere cum sapiente illo possumus in meridie, in medio frequentissimi populi, accenso lumine, hominem quaerere,[210] qui vere sit homo secundum Deum; mundani enim homines, qui secundum carnem vivunt, in divino vocabulario non homines, sed pecudes dicuntur: *Animalis homo.*[211] Nunc, frater, vide an sis homo, an sis rationale animal, an recte ratione utaris, si praefers bona coelestia terrenis, divina mundanis, spiritualia carnalibus, virtutes vitiis; vide an sis Ioannes divina gratia plenus, divina pietate; vide ne sis brutum animal, quod pretiosissimas margaritas nihili pendit; posuit ante te Deus bonum et malum: vide ad quid manum extendis.[212]

209) Cf. Dn 4, 29-30. 210) Diogenes Cynicus, de quo cf. Diogenes Laertius *De Vitis Philosophorum*, lib. 6, pag. 230. 211) 1 Cor 2, 14. 212) Cf. Eccli 15, 17-18.

DIES SANCTORUM PETRI ET PAULI APOSTOLORUM

Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est, etc. [1]

I. Celebrat, et merito, Sancta Ecclesia hodie magna cum solemnitate festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Hi enim sunt duo magna luminaria coeli, [2] duo oculi corporis Christi, quod est Ecclesia, principes Apostolorum, duces Martyrum, corona Confessorum, magistri Doctorum et Sanctorum omnium coryphaei, quos hodie coelum infinita cum exultatione et honore suscepit, non secus ac olim Roma exercituum duces imperatoresque suscipiebat cum, superatis hostibus ampliatoque romano imperio, victores triumphantesque mille cum palmis, trophaeis et coronis victoriae in patriam revertebantur; [3] hi enim totum fere mundum Christi imperio subiugarunt, victis principibus et potestatibus huius saeculi. Eorum autem gloria nostra etiam est, nam cum ipsi summi sint Sanctae Ecclesiae patriarchae, patres sunt omnium Christi fidelium; ipsi enim nos per Evangelium Christo genuerunt, prima fidei Sanctaeque Ecclesiae fundamenta iacentes. Decet igitur nos de patrum nostrorum gloria summopere gaudere eosque omni qua possumus pietate, honoribus laudibusque celebrare.

Summopere gaudere decet in hodierna festivitate SS. Apostolorum Petri et Pauli,

Sicut synagoga Dei duos habuit gloriosissimos sanctissimosque principes et duces, qui eam ex Aegypto educentes per sacrum desertum usque ad terram promissionis perduxerunt, Moysen et Aa-

sunt enim duo principes Ecclesiae gloriosissimi,

1) Pericope huius diei Mt 16, 13-19. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 1, 14-16.
3) Cf. Blondus Flavius *De Roma Triumphante*, lib. 10, f. 146ᵇ-167ᵃ; Onuph. Panvinius *De Triumphis*, pag. 137-148; Io. Bapt. Casalius *De Urbis ac Romani Imperii Splendore*, part. 2, *De Triumphis Romanorum*, cp. 1, pag. 173-190.

ron,[4] ita et Christi Ecclesia duos habet sanctissimos gloriosissimosque principes, Petrum et Paulum. Hi sunt duo cherubim gloriae in sancto sanctorum,[5] duae columnae aeneae, *Iachin* et *Bohaz* in templo Salomonis,[6] duae olivae magnae aureae, plenae oleo, quod in septem lucernas fundebant, in admirabili candelabro Zachariae prophetae;[7] duo illi viri, qui super vectem portaverunt botrum uvae ex terra promissionis,[8] idest Christum crucifixum praedicaverunt; duo illi insignes et fidelissimi praedicatores felicitatis terrae promissionis, Iosue et Caleb.[9] Petrus enim in transfiguratione gloriam paradisi vidit,[10] Paulus vero raptus usque ad tertium coelum et in ipsum paradisum.[11] Hi sunt sanctissimi patriarchae Iacob duo dilectissimi filii ex amatissima Rachele, Ioseph et Beniamin,[12] Paulus enim de tribu fuit Beniamin,[13] Petrus vero tanquam alter Ioseph[14] princeps constitutus est mundi.

a Deo praedestinati, vocati, iustificati et glorificati.

Sunt autem divinae dilectionis signa praedestinatio, vocatio, iustificatio et magnificatio, tum in hoc saeculo, tum in futuro: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, etc.[15] Hi autem a Deo sunt ab aeterno mirabiliter praedestinati non solum ad gratiam et gloriam, sed ad supremum gradum gratiae et gloriae, ut essent principes in Ecclesia tum militanti, tum triumphanti: ambo vocati sunt mirabiliter a Christo, ambo iustificati et sanctificati, pleni Spiritu Sancto, ambo magnificati.

Petrus magnificatus fuit a Deo revelatione mysteriorum et virtutibus,

II. Et in hodierno quidem sacrosancto Evangelio ostenditur quomodo magnificatus sit Petrus a Deo et a Christo. A Deo: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est*, mysteria fidei, quod ego sim Christus Filius Dei vivi. Magnificatus Petrus in fide super omnes Apostolos; hinc a Christo magnificatus est in dignitate: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, etc.[16] Magnificatus a Deo fuit

4) Cf. Ex 4, 11 sqq. 5) Cf. ibid. 25, 19-21. 6) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. 7) Cf. 4, 3. 8) Cf. Nm 13, 24. 9) Cf. ibid. 4, 6-10. 10) Cf. Mt 17, 1-6; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 11) Cf. 2 Cor 12, 2-4. 12) Cf. Gn 35, 24. 13) Cf. Rom 11, 1; Phil 3, 5. 14) Cf. Gn 41, 40-45. 15) Rom 8, 29. Vulg.: *imaginis*, etc. 16) Mt 16, 18.

coelestibus virtutibus, Spiritu Sancto repletus ad praedicandum Evangelium, ad destruendam idololatriam, ut petra illa esset percutiens statuam Nabuchodonosor et deinde crescens in montem maximum, qui totam terram occupavit. [16*]

Magnificatus a Christo dignitatibus et honoribus, ut esset Ecclesiae caput et fundamentum: *Tu es Petrus ; Tu vocaberis Cephas*, quod est petra, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Petra graece et ὁ πέτρος et ἡ πέτρα dicitur, [17] ita ut idem sit: *Tu es Petrus* et: *Tu es petra ;* nam cum hebraice locutus sit Dominus, Cepham illum appellavit: *Tu es Cephas*. Siquidem Iob 30 [18] et Ieremia 4, petrae כֵּפִּים [19] dicuntur. Petra fundamentalis Ecclesiae Petrus, quoniam super hanc solidissimam eius confessionem universa fundata est Ecclesia: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

a Christo dignitatibus et honoribus,

Nec tantum fundamentum Petrus, verum etiam caput et princeps Ecclesiae, ait enim: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* [20] Hic enim Christus Petrum constituit totius Ecclesiae principem et hierarcham totiusque ecclesiastici aedificii basim et fundamentum: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

Christus enim Petrum constituit fundamentum, caput et principem Ecclesiae,

De Christo legimus *Apocalypsi* 3, quod *habet clavem David, quae aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit,* [21] hoc est quia regnabit in domo Iacob in aeternum: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* [22] Cum princeps in aliquam suarum civitatum ingreditur, offeruntur ei a civibus claves civitatis, ad designandum quod penes eum suprema sit summaque civitatis potestas, ut in eam possit quos vult intromittere et quos libet ex ea excludere. Sic Christus dicitur habere clavem David, quoniam, inquit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [23] Hanc autem potestatem suam plenariam Petro tanquam Vicario suo universali tribuit, et hoc est quod

cum suprema et plenaria potestate, quae significatur per clavium traditionem.

16*) Cf. Dn 2, 30-35. 17) Ms.: *O petros et i petra.* 18) Vr. 6. 19) Vr. 29. Ms.: *Cephim.* 20) Mt 16, 19. 21) Vr. 7. Vulg.: *Qui aperit*, etc. 22) Lc 1, 32-33. 23) Mt 28, 18.

ait: *Tibi dabo claves regni coelorum,* idest Ecclesiae, etc., hoc est: plenariam et supremam tibi potestatem regendi et gubernandi universam Ecclesiam meam liberamque facultatem committo. Sic enim Deus per Isaiam promittens Eliacimo filio Helciae plenariam potestatem super domum David, ait capite 22: *Dabo ducem domus David super humerum eius, et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat,* [24] idest summa in aula regis auctoritate et potestate donabitur. Sic enim Isaiae 36 [25] et *4 Regum* 18 absolute dicitur quod *erat super domum* regis, sive *praepositus domus* regis, idest supremus in aula regis et regis veluti generalis vicarius. [26]

Fecit hodie Christus cum Petro ad instar regis plura sub se regna habentis, cum proregem instituit ad regnum aliquod gubernandum, tribuit enim ei plenariam suam potestatem et auctoritatem dicens: Te super regnum meum praeficio omnemque auctoritatem meam tibi committo. Quicquid egeris vel statueris, actum statutumque sit; quemcunque absolveris, absolutus erit, et quemcunque damnaveris, damnatus erit. Sic Christus Petro: *Tibi dabo claves regni coelorum... quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo,* etc., atque hoc pacto eum caput principemque Ecclesiae supremum instituit, divinam ei tribuens potestatem ad regendam gubernandamque Ecclesiam.

Petrus ergo constitutus fuit veluti alter Deus in mundo.

Instituit Deus Aaronem summum synagogae pontificem, [27] sic Christus Petrum Ecclesiae summum pastorem principemque Apostolorum. Deus in paradiso instituit Adamum principem mundi huius, ut esset veluti alter deus in terra: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;* [28] *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [29] Christus autem verus Deus Petrum hodie non terrae, sed coeli principem constituit: *Tibi dabo claves regni coelorum,* Ecclesia enim divinum quoddam coelum est. Constituit Petrum tanquam alterum deum, imo deorum principem in

24) Vr. 22. Vulg.: *Dabo clavem.* 25) Vr. 3. 26) Vr. 37. In margine haec adiecta fuerunt: « Sic enim Deus, summus cum sit rex coeli et terrae, regnat quidem ipse in coelo, sed in terra veluti proregem instituit Adamum, Moysen quoque super universam synagogam veluti proregem instituit; sic Christus Petrum ». 27) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Nm 17, 1-10. 28) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc. 29) Ps 8, 6-8.

terra; Apostoli enim *dii* sunt appellati: *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes;* [30] Petrus autem princeps Apostolorum constitutus est. Quare divina profecto auctoritas et potestas Petro hodie collata a Christo est: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum,* etc.

Per vinculum intelligitur tum mandatum divinae legis,

III. Duo sunt genera vinculorum quibus homines apud Deum ligantur et constringuntur: alterum quidem est mandatum legis divinae, alterum vero divinae legis transgressio. Lex quidem vinculum est, hinc apud Ieremiam legimus: *A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea;* [31] et apud eundem: *Ecce hi magis simul confregerunt iugum, ruperunt vincula;* [32] et apud Oseam: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis;* [33] hoc est quod impii dicunt apud Regium Vatem: *Dirumpamus vincula eorum et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.* [34] His vinculis Deus ligat homines ad aliquid agendum vel non agendum.

tum etiam peccatum.

Sed et peccata vincula sunt, sic enim Sapiens ait *Proverbiis* 5: *Iniquitates suae capient impium et funibus peccatorum suorum constringitur;* [35] hinc peccatores in Divinis Litteris *vincti* dicuntur. [36] Haec sunt vincula quibus a Philisthaeis ligatus fuit Samson, tonsis crinibus. [37]

Haec vincula Petrus solvere et ligare potest.

Cum igitur apud Deum duo sint genera vinculorum, a Christo vero Deo Petrus plenariam accipit auctoritatem ligandi atque solvendi: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*

Multiplex est potestas a Christo Petro collata;

IV. Et quidem multiplex potestas a Christo collata fuit Petro. Primo quidem, potestas sacerdotalis conficiendi sacramentum Corporis et Sanguinis Christi; secundo, potestas episcopalis et pontificia instituendi sacerdotes et Episcopos omnesque sacros Ordines conferendi et ministrandi omnia Sacramenta; tertio, auctoritatem [contulit] condendi leges, canones et decreta pro recto regimine Ecclesiae, cum auctoritate plenaria declarandi et interpretandi Divinas Scrip-

30) Ps 81, 6. 31) 2, 20. 32) 5, 5. Vulg.: *Ecce magis hi,* etc. 33) 11, 4. 34) Ps 2, 3. 35) Vr. 22. Vulg.: *Capiunt,* etc. 36) Cf. Ps 106, 10; Mt 22, 13. 37) Cf. Idc 16, 19-21.

turas tanquam summus doctor Ecclesiae; et quarto, auctoritatem abrogandi latas leges ex rationabili causa; sic enim in primo concilio Ierosolymis habito Petrus veterem legem magna ex parte abrogavit quoad omnia caeremonialia et iudicialia solvitque vincula legis;[38] quinto, auctoritatem remittendi peccata poenitentibus et confitentibus peccata sua: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis*, etc.; sexto, auctoritatem retinendi, idest non absolvendi peccata impoenitentibus et obstinata voluntate peccantibus: *Quorum retinueritis*, etc.;[39] septimo, auctoritatem imponendi peccatoribus iustas poenas in poenitentiam peccatorum, ut faciant dignos fructus poenitentiae;[40] octavo, auctoritatem etiam condonandi impositas poenas in foro poenitentiali ex rationabili causa, hoc enim est solvere; nonc, auctoritatem protrudendi eiiciendique ex Ecclesia incorrigibiles peccatores: Qui *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus;*[41] decimo, auctoritatem iterum recipiendi eiectos poenitentia ductos, iam deposita pertinaci et obstinata voluntate peccandi. Hoc est enim quod Apostolis Christus ait: *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis*, etc.[42]

Inter has potestates non minima est auctoritas indulgentias fidelibus largiendi.

Inter has autem potestates non minima, sed praecipua est auctoritas indulgentias fidelibus conferendi, quam forte hoc specialiter loco Christus hodie tribuit Petro Tres enim in universum loci reperiuntur, in quibus Dominus auctoritatem Apostolis in peccata et peccatores dedit: hodiernus iste Matthaei 16: *Tibi dabo claves*, etc.; alter Matthaei 18: *Quaecunque ligaveritis super terram*, etc., et tandem Ioannis 20: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur*, etc. Cum autem in unoquoque peccato duo necessaria reperiantur: culpa et poenae reatus, culpa enim ex divinae iustitiae praescriptione poenam meretur, sicut gratia gloriam, postremus iste locus ad peccatorum culpas refertur, quae in poenitentiali foro auricularique confessione a legitimo sacerdote iurisdictionem habente vel per sacramentalem absolutionem dimittuntur vel absolutione iusta ex causa ob impoe-

38) Cf. Act 15, 7-11. 39) Io 20, 22-23. 40) Cf. Mt 3, 8; Lc 3, 8. 41) Mt 18, 17. 42) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Alligaveritis*, etc.

nitentiam denegata retinentur; priores vero ad ipsas peccatorum poenas ut referantur necesse est.

In foro poenitentiali remittitur peccatum absolutione,

Quoniam vero peccatum duplex est: vel publicum, quod ad iuridicialem forum spectat ob laesam iustitiam, vel secretum, quod in poli foro[43] iudicandum est, poenam quoque, quae ipsam consequitur culpam, duplicem necesse est esse: alteram quidem publicam, quae a competenti iudice per sententiam fertur in foro contentioso contra reum, alteram vero secretam, in poenitentiali foro collatam. Et secundus quidem locus, qui est Matthaei 18, de publicis poenitentiis procul dubio loquitur, nam inquit: Si frater qui peccavit, *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* instituit enim hic Christus in Ecclesia forum iudiciale ad protrudendos ab Ecclesia contumaces impoenitentesque peccatores. Locus igitur hodierni Evangelii ad secretas peccatorum poenas praecipue referendus est, quo datur Petro auctoritas ligandi peccatorem in foro poenitentiali, ut dignos fructus poenitentiae faciat, imponens condignam poenitentiam iuxta mensuram delictorum.

in foro iudiciali relaxantur poenae indulgentiis;

Sicut autem datur facultas ligandi, ita etiam absolvendi a poenarum vinculis, et hanc dicimus potestatem indulgentias conferendi. Indulgentiae enim relaxationes poenarum sunt, quas homo ob peccatum demeruit; quare per indulgentias Pontifex poenas relaxat et iniunctas impositasque in poenitentiali foro et etiam promeritas a divina iustitia iniungendas. Dum enim poenitentiam iniungit, sacerdos vult ut nostris ieiuniis, orationibus, eleemosynis dignum fructum poenitentiae facientes pro peccatis nostris Deo satisfaciamus; cum vero eas relaxat et indulget, ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum eius Deo secundum rationem iustitiae satisfacit.

non quidem poenae medicinales, sed sactisfactoriae temporariae,

Sunt autem indulgentiae poenarum relaxationes, non quidem medicinalium, quas Deus temporaliter infligit vel in peccatorum praeteritorum vindictam, uti sunt famis, bella, pestes et alia id genus, vel ad futura praecavenda peccata, vel ad meritorum cumulum

43) Dictum iuridicum, de quo cf. L. Ferraris *Prompta Bibliotheca*, sub verbo: *Forum*.

adaugendum, uti iustis saepe tribulationes immittit in virtutis exercitium, sicut tentavit Abrahamum,[44] Iob,[45] Tobiam[46] aliosque sanctissimos viros, nam Paulo datus est *stimulus carnis . . . angelus satanae*,[47] – ad aversanda autem haec temporalia mala divinamque iram placandam plurimum orationes, ieiunia, eleemosynae aliaque id genus opera iuvant, maxime cum mala haec Deus in peccatorum vindictam immittit, sic enim Ninivitae divinam iracundiam placaverunt flammasque divinae iustitiae lacrimis extinxerunt,[48] sic nos extraordinarias peccatorum poenas, quibus Deus mundum ob scelera saepe afflictat, piis operibus antevertere possumus; – sed sunt relaxationes poenarum satisfactoriarum, quas Deus decrevit et data lege statuit peccatoribus iustificatis in Purgatorio luendas, nisi ante mortis articulum satisfecerint.

maxime in Purgatorio luendae.

Ad has igitur temporarias poenas relaxandas dat hodie Christus Petro plenariam potestatem dicens: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram*, etc.: *Tibi*, inquit, singulariter loquitur, nam plenaria haec potestas apud solum Summum Pontificem residet. Episcopi quidem habent potestatem concedendi indulgentias, sed a Summo Pontifice, vel si a Christo, ex vigore illorum verborum: *Quaecunque alligaveritis super terram*, etc., est tamen subiecta potestati Summi Pontificis, apud quem plena sedet[49] super universam Ecclesiam iurisdictio. Hinc a Summis Pontificibus moderata ac determinata est Episcoporum potestas, ut non possint concedere indulgentias super quadraginta dies.[50] Et hoc quidem de impositis poenitentiis, non autem de imponendis. Summus autem Pontifex plenariam potest concedere indulgentiam, non tantum de impositis, verum etiam de imponendis.

Solus Pontifex habet hanc plenam potestatem.

Tibi dabo claves thesauri infiniti meritorum Christi omniumque Sanctorum, qui non tantum per iustitiae viam, sed etiam per semitam perfectionis pervenerunt ad regna coelorum. Claves autem ad infinitum hunc thesaurum divitiarum coelestium dispensandum Petro eiusque successoribus datae sunt. Thesaurus iste *regnum coelorum* dicitur, quia ex coelestibus divitiis conflatus est et qui-

Thesaurus Ecclesiae constituitur ex meritis infinitis Christi et omnium electorum.

44) Cf. Gn 22, 1-22. 45) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 46) Cf. Tob 12, 13. 47) 2 Cor 12, 7. 48) Cf. Ion 3, 1 sqq. 49) Ms.: *Sudet.* 50) Iuxta ius vetus; nunc autem ex can. 349, § 2, 2°, concedere possunt indulgentias quinquaginta dierum.

cunque thesauri huius participes fiunt, coeleste regnum procul dubio consequuntur.

Suprema potestas Petro collata triplici modo exerceri potest.

V. Negant haeretici thesaurum istum, ut indulgentias destruant;[51] quibus nos, ex adverso, dicimus quod, etiam si thesaurus iste non esset, adhuc adesset facultas indulgentias largiendi. Nam cum Christus hodie dat Petro hanc potestatem, nullam penitus mentionem facit de ecclesiastico thesauro, sed absolute ait: *Tibi dabo claves regni coelorum et quodcunque*, etc. Committit hic Christus Petro supremam in Ecclesia potestatem, non dispensandum thesaurum largitur; institutus est summus praefectus et prorex ecclesiastici regni a summo rege Christo. Potest procul dubio rex iustus et pius proregi, praeter potestatem puniendi scelera secundum rigorem iustitiae legumque decreta, potestatem etiam dare condonandi poenas et debita dimittendi, cum se iusta et pia causa obtulerit; potest etiam facultatem tribuere dispensandi in opera pia publicum regni aerarium ad sublevandam inopum miseriam. Prorex igitur, accepta hac triplici potestate a rege, potest regios debitores per primam in carcerem detrudere; potest per secundam eos liberos dimittere ex pietate, videns eos ad solvendum impotentes esse; potest per tertiam ex publico aerario pecuniam ei subministrare, ut regi sua debita solvat. Tunc, dato quod exhaustum esset aerarium, nullus esset thesaurus dispensandus, posset tamen adhuc prorex per secundam potestatem iurisdictionemque a rege acceptam regiis debitoribus dimittere debita. Nam hanc duplicem potestatem praecipue Christus summus rex proregi Petro tribuit: ligandi, idest puniendi peccata, et solvendi, idest indulgendi relaxandique poenas pro peccatis debitas. Quare hoc potestatis et iurisdictionis est opus, etiam si nullus esset meritorum Christi et Sanctorum thesaurus. Sicut enim ut reo mortis a iudice remittatur interitus liberque dimittatur, nil aliud requiritur nisi auctoritas et utendi hac auctoritate iusta et rationabilis causa, similiter ad dimittendum debitori regium debitum non requiritur nisi auctoritas et aequa ratio utendi auctoritate in praefecto constituto a rege; sic in Pon-

sicut potestas cuivis principi a rege collata, quae exercetur scelera puniendo, debita condonando et ex aerario publico pecuniam indigentibus subministrando.

51) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 1, pag. 83. 130. 232; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 758-759. 1060.

tifice sola sufficit auctoritas tradita a Christo ligandi atque solvendi, idest puniendi peccata atque poenas pro peccatis debitas relaxandi.

Thesaurus Ecclesiae negari nequit,

VI. Quamvis autem nos ecclesiasticum thesaurum minime negandum esse censeamus, etsi nonnulli theologorum negarunt, Franciscus Maironius[52] et Durandus,[53] saltem ex parte, quoad merita Sanctorum, quoniam haec a Deo abunde remunerata in coelo sunt, censemus tamen minime necessarium esse ad indulgentias largiendas simpliciter vivis atque defunctis, ut voluit Divus Thomas,[54] vel tantum quoad defunctos, ut sensit Divus Bonaventura;[55] censemus, inquam, non esse negandum, quoniam bona opera facta in caritate non tantum vim habent merendi apud Deum gratiam gloriamque maiorem, sed etiam satisfaciendi pro peccatis. Sic enim Christus et pro peccatis satisfecit et gratiam et gloriam nobis meruit; sic sacerdos antiquae legis offerebat sacrificia pro peccatis et hostias pacificas;[56] sic Moyses populo veniam maximi peccati a Deo obtinuit.[57] Hoc est quod Paulus aiebat: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi... pro corpore eius quod est Ecclesia,*[58] ad complendum thesaurum satisfationum pro peccatis fidelium secundum divinam praeordinationem; sic multi Sanctorum multo graviora mala passi sunt in hoc mundo, quam peccata eorum commerebantur; sic ait Beatus Iob: *Utinam appenderentur peccata mea... et calamitas quam patior in statera! Quasi arena maris haec gravior appareret.*[59] Cum autem Sancti Dei omnes divina pleni fuerint caritate, voluerunt procul dubio saltem virtualiter omnia virtutum propriarum merita fidelibus omnibus esse communia ad salutem consequendam, quamvis primo propriam salutem pro viribus quaesierint.

nam bona opera tum Christi tum iustorum vim habent satisfaciendi pro peccatis alienis,

Sic enim in corpore nostro stomachus pro se primo cibum appetit, sed deinde universo corpori nutrimentum distribuit; Ecclesia autem, docente Apostolo, ad instar nostri corporis formata divinitus est.[60] Sic igitur dicimus reperiri in Ecclesia thesaurum

attamen simpliciter necessarius non est ad indulgentias largiendas,

52) *In Petri Lombardi Sententias Theologicas Comment.*, lib. 4, dist. 20, q. 3.
53) *In Quattuor Libros Sententiarum*, lib. 4, dist. 19, q. 2.
54) *Sentent.*, lib. 4, dist. 20.
55) *Sentent.*, lib. 4, dist. 20, q. 5.
56) Cf. Lv 3, 1 sqq.; 6, 25; 7, 11-37; 10, 19.
57) Cf. Ex 32, 12-14.
58) Col 1, 24.
59) 6, 2-3.
60) Cf. Rom 12, 4-5; 1 Cor 12, 12 sqq.

meritorum Christi et omnium Sanctorum, qui Summo Pontifici relictus est ut fidelibus Christi dispensetur; sed dicimus non esse thesaurum hunc simpliciter necessarium ad indulgentias largiendas, quoniam ad hoc sufficit Pontificis potestas et iurisdictio super universam Ecclesiam a Christo accepta: *Tibi dabo claves regni coelorum*, etc.; ubi nulla penitus ecclesiastici thesauri mentio fit, quoniam Summus Pontifex non solum per modum suffragii piique auxilii, sed etiam per modum iuridicae auctoritatis largiri indulgentias potest, non solum auctoritate, qua ecclesiastici thesauri dispensator est, sed simpliciter, qua Pontifex est, pastor et rector Ecclesiae, sicut proregi ad dimittenda debita iis qui regio gravati sunt aere, non est simpliciter necessaria tertia potestas quam diximus; secunda enim per se abunde sufficit.

ad hoc enim sufficit potestas suprema Pontificis super universam Ecclesiam.

VII. Quoniam vero super universam Ecclesiam militantem, quatenus a triumphanti distincta est, data est Petro ista auctoritas, extenditur procul dubio ad animas Purgatorii, quae ad triumphantem Ecclesiam minime spectant, nam ait simpliciter: *Quaecunque ligaveris super terram*, etc. Purgatorium autem in terrae visceribus collocatum,[61] non in coelo est. Sicut autem Summus Pontifex ligare potest animas in Purgatorio constitutas per sententiam excommunicationis,[62] ita etiam solvere potest indulgentiam sua aucto-

Potestas haec extenditur etiam ad animas Purgatorii.

61) S. Thomas duplicem distinguit locum Purgatorii: «unum secundum legem communem, et sic locus Purgatorii est locus inferior (sub terra) inferno coniunctus, ita quod idem ignis sit qui damnatos cruciat in inferno et qui iustos in Purgatorio purgat... Alius est locus Purgatorii secundum dispensationem, et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens, per suffragia Ecclesiae mitigaretur». *S. Theol.*, *Supplementum*, appendix, q. 1, a. 2; *Sentent.*, lib. 4, dist. 21, q. 1, a.1, qcl. 5.

62) Communis theologorum sententia tenet R. Pontificem iuridice et directe dumtaxat viventes in terra ligare et solvere; defunctos vero non proprie et directe excommunicare, nec eos ab excommunicatione absolvere, sed tantum indirecte, quia scilicet directe vetat fidelibus viventibus ne pro iis defunctis orent, aut permittit ut pro iis orent: hoc ipso enim defunctos indirecte privat suffragiis Ecclesiae, perinde ac si forent excommunicati, vel illas indulgentias iis concedit perinde ac si excommunicatione eos absolveret. Et sic dicitur Pontificem posse excommunicare vel absolvere defunctum eum, quem ob scelus in vita admissum, post mortem, iam vita functum, excommunicat privatque Ecclesiae suffragiis, uti excommunicat haereticos; aut eum, quem in vita excommunicatum, post mortem ab excommunicatione absolvit, uti egit S. Gregorius Magnus erga monachum cum pecunia defunctum, teste Ioanne Diacono in eius *Vita*, lib. 2, cp. 45, (P. L. 75, 106); item cum dat indulgentias pro defunctis. Et circa hoc nonnulli tenent cum Michaele Medina R. Pontificem

ritate largiendo. Et ad hoc forte insinuandum Petrus Tabitham fidelem mulierem propria auctoritate, quam a Christo acceperat, a mortuis revocavit dicens: *Tabitha, surge;* [63] ad insinuandum, inquam, quod etiam super animas Purgatorij potestatem et iurisdictionem habebat.

sicut enim Pontifex potest eas excommunicatione ligare sic potest eas indulgentiis solvere.

Nec dicat mihi quispiam quod, si Summus Pontifex hac auctoritate fungeretur, deberet omnes animas a poenis Purgatorii liberare; quia et ego dicam quod etiam Petrus debuisset non solum Tabitham, sed etiam omnes defunctos fideles revocare ad vitam, cum posset. Cur ergo non fecit? Sed sicut Petrus iusta et rationabili causa permotus divina usus est auctoritate ad liberandam animam Tabithae a poenis Purgatorii, sic Summus Pontifex ex iusta et rationabili causa potest divina hac potestate uti; non enim accepit auctoritatem in destructionem, sed in aedificationem, ut ea legitime utatur, non ut abutatur, nam neque Christus abusus unquam fuit potestate accepta a Patre. Est quidem Christus plenus infinita caritate et misericordia et potest omnes animas a poenis Purgatorii liberare; non tamen facit nisi secundum rationem iustitiae, cui non inimica, sed soror misericordia est.

Sic Christus Petrum mirabiliter magnificavit in mundo.

VIII. Sic igitur Christus Petrum mirabiliter magnificavit in mundo: *Minuisti eum paulo minus a Deo, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius;* [64] quem Deo potentia, sapientia, bonitate et dignitate simillimum effecit: potentia plane divina ad dimittenda peccata: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* [65] cui subiecit omnia daemonia, universum infernum, mortem etiam ipsam, unde

tales indulgentias concedere per modum iuridicae absolutionis, absolvendo eos a poenis quas debent; sed verius dicendum est eas concedere per modum solutionis dumtaxat, quatenus poenas, quas illi debent, ex thesauro Ecclesiae Deo exsolvat, ex poenis scilicet Christi et Sanctorum. Defuncti enim non amplius sunt stricto sensu subditi Ecclesiae. Ad rem Franciscus Suarez: « Animae Purgatorii non excommunicantur, sed vel declarantur decessisse absque absolutione ab excommunicatione, quam in hoc saeculo contraxerunt, vel ad summum fideles ipsi viventes prohibentur ne pro aliquo defuncto orent aut suffragia offerant, qui actus iurisdictionis directe cadit in viventes, indirecte autem et quasi obiective redundat in defunctos. Et eadem ratione non absolvuntur directe defuncti ab excommunicatione, sed viventes liberantur ab onere non communicandi alicui defuncto. Tota ergo haec iurisdictio respicit viventes tanquam subditos ». *De Indulgentiis*, disp. 53, sect. 2, pag. 579.

63) Act 9, 40.

64) Ps 8, 6-8. Vulg.: *Ab Angelis. A Deo* ex hebraico: מֵאֱלֹהִים.

65) Mc 2, 7; Lc 21, 5.

Tabitham resuscitavit, et universos languores quos umbra corporis sui curabat;[66] sapientia divina ad intelligenda omnia mysteria Divinarum Scripturarum et ad regendam universam Ecclesiam – si enim Salomoni Deus infinitam plane contulit sapientiam ad regendum populum hebraeum,[67] qualem quantamque sapientiam Petro a Christo tributam existimandum est ad regendum universum populum christianum regnumque universae terrae? – bonitate, quoniam Spiritu Sancto eum abundantissime replevit super omnes Apostolos, ut Christum plus ceteris diligeret et summa cum caritate universum Christi gregem oves agnosque pasceret;[68] dignitate, quoniam constituit eum summum Ecclesiae principem, hierarcham et patriarcham. Fuit Petrus patriarcha supremus Ecclesiae, sicut Abraham synagogae ob fidei magnitudinem; fuit propheta, siquidem propheta est cui divinitus revelata sunt secreta coelestia, sed ait de eo Christus: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est;* fuit apostolus, fuit martyr, fuit Pontifex Summus; nunc vero in coelo princeps est paradisi.

constituens eum summum Ecclesiae Patriarcham, prophetam, apostolum, martyrem.

Sic Paulum etiam Deus mirabiliter magnificavit; fuit enim etiam Paulus patriarcha, nam inquit: *Per Evangelium in Christo Iesu ego vos genui;*[69] fuit propheta, nam Evangelium accepit non ab homine, sed per revelationem;[70] fuit apostolus, verbi Dei summus praedicator; fuit martyr pro Christi fide decollatus; fuit sacerdos et pontifex; fuit summus Ecclesiae doctor; fuit etiam purissimus virgo. Hunc quoque Christus Deo Patri simillimum potentia, sapientia et bonitate effecit: potentia super mortem, qua Eutychum suscitavit Troade;[71] super languores et daemonia, unde, mirabile dictu, sudariola et semicinctia Pauli curabant languores et eiiciebant daemonia;[72] sapientia, fuit enim Paulus veluti vas illud Elisei novum, sale plenum ad sanandas pessimas aquas Iericho;[73] bonitate, quem similiter Spiritu Sancto cumulatissime replevit virtutibusque omnibus perfectissime donavit, maxime vero omnium caritate et patientia in tribulationibus et persecutionibus propter Christum constantissime perferendis.

Similiter etiam Paulum glorificavit.

66) Cf. Act 5, 15. 67) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 68) Cf. Io 21, 15-17.
69) 1 Cor 4, 15. Vulg.: *In Christo Iesu per Evangelium*, etc. 70) Cf. Gal 1, 11-12.
71) Cf. Act 20, 9-12. 72) Cf. ibid. 19, 12. 73) Cf. 4 Rg 2, 19-22.

Supra omnes Sanctos Deus mirabilis ostenditur in his duobus Apostolis.

IX. Fuit Deus semper in omnibus Sanctis suis mirabilis,[74] sed in his duobus supra modum mirabilis. O si quis vidisset Petrum et Paulum Romam introeuntes, viros pauperes ac seminudos, eosque interrogasset: Viri, ad quid huc venitis? Respondissentque: Venimus ad reformandam hanc civitatem, ad subiiciendum romanum imperium Christo crucifixo, ad dandas Romae universoque romano imperio novas leges, novam religionem, novam vivendi formam, quid, quaeso, vir ille dixisset? Fatuos profecto sapientissimos et divinissimos viros iudicasset. Et tamen nunc Romam[74a] universumque romanum imperium Petro et Paulo subiectam esse[75] cum universo terrarum orbe! O miraculum super omne miraculum! *Haec mutatio dexterae Excelsi!*[75a] Moyses et Aaron vicerunt divina virtute universam Aegyptum,[76] sed Petrus et Paulus universum mundum omnesque infernales potestates. Magnum miraculum fuit illud et supra omnem humanam existimationem, sicut quod Samson asini mandibula exercitum mille virorum prostraret,[77] et David inermis adolescens armatissimum fortissimumque gigantem deiiceret;[78] sed hoc infinitis partibus maius est. Erat mundus veluti Aegyptus palpabilibus tenebris tota sepulta;[79] venerunt Petrus et Paulus tanquam duo magna luminiaria coeli ad tenebras omnium errorum depellendas splendidissima luce divinae veritatis.

Ostendit hodierna festivitas quanti Deus faciat peccatores conversos.

Ostendit hodierna festivitas quanti Deus faciat peccatores ex corde ad ipsum corversos. Non enim est Deus ut mundani principes, qui si servum, alioqui fidelem, semel in fraude repererint, nunquam amplius in gratiam recipiunt. Deus autem non sic. Peccavit Petrus Christum ter negans,[80] peccavit Paulus Christum persequens;[81] conversos tamen Deus ad altissimos gradus coelestium dignitatum promovit summosque principes Ecclesiae constituit. Sic diligit Deus non tantum eos qui perpetua innocentia floruerunt, ut Ioannes Baptista, sed etiam eos qui aliquando peccatores fuerunt, ut Magdalena,[82] ut David,[83] cuius poenitentia adeo placuit Deo, ut Salomonem filium Bethsabee uxoris Uriae, cum qua adulterium commi-

74) Cf. Ps 67, 36. 74a) Ms.: *Roma.* 75) Ms.: *Romam* adiicitur. 75a) Ps 76, 11.
76) Cf. Ex 14, 5 sqq. 77) Cf. Idc 15, 15-17. 78) Cf. 1 Rg 17, 33-51.
79) Cf. Ex 10, 21-22. 80) Cf. Mt 27, 69-74; Mc 14, 66-71; Lc 22, 55-60; Io 18, 25-27.
81) Cf. Act 9, 1-15. 82) Cf. Lc 7, 37 sqq. 83) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq.

serat, voluerit appellari ידידיה, *dilectum Domini,*[84] eumque regem super universum Israel constituerit,[85] divina sapientia plenum omnique felicitate et gloria praeditum.[86] O felices peccatores, qui ad Deum toto corde convertuntur! Exaltabuntur enim a Deo in gloria.

Est Sancta Ecclesia sicut mirabilis thronus Salomonis cum duodecim leonibus aureis minoribus et duobus maioribus.[87] Sunt enim quattuordecim Apostoli, nam post duodecim, electi fuere in Apostolos Paulus et Barnabas. Inter omnes autem Apostolos maiores ac principes omnium sunt Petrus et Paulus. Hi sunt duo magni leones et quidem aequales, sed unus ad dexteram, alter ad sinistram; aequales dignitate apostolatus, aequales plenitudine gratiae Spiritus Sancti, aequales sanctitate, gratia miraculorum; sed Petrus maior auctoritate.

Per fidem Petrus factus est petra fundamentalis Ecclesiae.

X. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Sicut per fidem Abram factus est Abraham, pater multarum gentium, pater credentium,[8] fundamentum totius synagogae, sic Petrus per fidem sibi divinitus revelatam factus est ex Simone Petrus petraque fundamentalis totius Ecclesiae post Christum, qui primarium est fundamentum: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam;*[89] sic et Petrus ex divina revelatione credidit Christum esse Filium Dei, sicut hodie confessus est dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος: *Tu es ille Christus, ille Filius illius Dei illius vivi;*[90] sic et Nathanael: ῥαββεί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ βασιλεὺς εἶ τοῦ Ἰσραήλ: *Tu es ille Filius Dei, tu es ille rex Israel.*[91] Credit Petrus, revelante Deo, et confitetur hodie Christum esse summum regem gloriae et unigenitum Filium vivi et veri Dei.

Sicut autem confitetur Petrus Christum unicum esse summum regem gloriae, ita Christus ostendit divinum se regem esse infinitae

84) Ibid. 12, 25. Ms.: *Iedidiah.* 85) Cf. 3 Rg 1, 28-30; 1 Par 29, 20-25. 86) Cf. 3 Rg 3, 1-13; 2 Par 1, 1-12. 87) Cf 3 Rg 10, 18-20. 88) Cf. Gn 17, 5; Rom 4, 17-18. 89) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac 2, 23. 90) Ms.: *Si i o Christos o ios tu theu tu zontos.* 91) Io 1, 49. Ms.: *Rabbi, si i o ios tu theu o vasileus si i o vasileus tu Israil.* Nos autem transcripsimus ex Eb. Nestle *Novum Testamentum*, hoc loco.

Hac occasione Christus ostenditur rex infinitae potentiae et sapientiae,

potentiae, sapientiae, bonitatis et liberalitatis. Potentiae quidem, quoniam se coeli et terrae regem dominumque ostendit: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris*, etc.; [92] sapientiae divinae, qua futura praedicit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* praedicit Petro conversionem Gentium ad fidem ipsius Christi, hoc enim Ecclesia est, multitudo credentium in Christum; praedicit futuram Ecclesiae persecutionem a diabolo et mundo, cuius princeps tunc satanas erat; [93] praedicit Ecclesiae victoriam, praedicit principatum Petri super universam Ecclesiam; exitus autem universa probavit.

Potest homo scire quae ipse facturus sit in crastinum, vita comite, sed non quae facturi sint alii. Si princeps aedificare velit civitatem, id quidem procul dubio ipse scit ubi, quando et quomodo aedificare eam velit, sed minime scire potest quod, aedificata civitate, a potentissimo exercitu hostium capienda et expugnanda minime sit; ad civitatem autem inexpugnabilem aedificandam magna principi opus potentia est: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; Civitatem sanctam, Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* [94] *Et portae inferi*, omnes diaboli vires, *non praevalebunt adversus eam:* pugnabunt diabolici exercitus adversus civitatem hanc a me construendam, sed munita adeo erit ut minime praevaleant; non capiet Babel Ierusalem, non destruet Nabuchodonosor templum Domini. [95]

bonitatis et liberalitatis.

Maximae item bonitatis et liberalitatis, qui pro minimo accepto grato servitio promittit et dat maxima praemia: *Beatus es, Simon Bar Iona; Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... et tibi dabo claves regni coelorum.* Promittit Petro in praemium fidelis confessionis gloriam in coelo et gloriam in terra, gloriam in triumphanti et gloriam in militanti Ecclesia; promisit et promissis stetit. Quis tam caecus est ut non videat nunc gloriam Petri in terra? Haec autem argumentum est maximae ipsius gloriae in coelo cum Christo.

XI. Promittitur hodie a Christo sacrosanctae fidei duplex beatitudo: et patriae et viae, tum in futuro tum in praesenti saeculo;

92) Mt 16, 19. 93) Cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 94) Apc 21, 2. Vulg.: *Sanctam civitatem*, etc. 95) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 17-20.

Verae fidei duplex gloria hodie promittitur,

promittitur duplex gloria: et in coelo et in terra, et apud Deum et apud homines, ut in Petro luce clarius spectamus et cernimus. O felices, qui summo huic regi Christo vere ex corde fideliter serviunt! Promittit enim fidelibus suis Christus regnum coelorum.

et tamen vix invenitur qui Deo servire velit.

O frater, dic mihi, quaeso, nosti quidnam sit regnum? et regnum maximum et regnum aeternum? Nosti? Nosti? Credis Christo promittenti tibi regnum, si fideliter ei servieris? Cur ergo mundo potius vis servire quam Christo? Quis mundi principum servis suis regales coronas promittit in praemium fidelis servitutis? Principes mundi promittunt multa magnaque, sed parum servant promissa:

«Parturient montes, nascetur ridiculus mus.» [96]

Servitur principibus magno cum labore, magno cum periculo, magna cum expectatione, sed parvo cum praemio. Deus autem, cum multo maiora det quam promittat, nec magna requirat servitia, vix reperit qui ei fideliter serviat aut servire disponat.

Servis suis Deus gratiam confert ut bene ei serviant.

Dices: quid mihi agendum est ut Christo serviam? Sis Simon a u d i e n s et o b e d i e n s, [97] sis f i l i u s c o l u m b a e et f i l i u s g r a t i a e; [98] sis Petrus, p e t r a solida et constans: *Optimum est... gratia stabilire cor;* [99] teneas semper firmissimum propositum declinandi a malo, faciendi bonum, [100] bene, iuste, sancte et pie vivendi iuxta voluntatem Dei. Dices: magnum est et supra humanas vires vitam semper ducere sanctam, sine peccato, cum mille tentationibus subiecti simus diaboli, mundi et carnis huius nostrae. Sed audi: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Christus gratia sua faciet te semper omnibus tentationibus superiorem semperque victorem, modo ipse velis. Quod si fragilitate peccas, uti et Petrus peccavit, ecce datae sunt Petro claves, data est omnis potestas et plena auctoritas ad dimittenda peccata.

Dans autem Christus Petro claves regni coelorum, idest plenariam auctoritatem absolvendi poenitentes ab omnibus peccatorum culpis, ostendit quod peccatorum confessio porta est regni

96) Horat. *De Arte Poetica*, vr. 139. 97) Sic enim hoc nomen interpretatur. 98) Ex nominibus hebraicis: *Iona* et *Iohannah*. 99) Hebr 13, 9. 100) Cf. Ps 33 13; 1 Petr 3, 11.

Peccatorum confessio porta est regni coelorum.

coelorum. Da tu peccata tua Deo, et ipse dabit tibi regnum coelorum. Non requirit Deus bona nostra, quoniam bonorum nostrorum non indiget,[101] ipse auctor et fons est bonorum omnium, cupiens conferre nobis bona sua, non auferre nostra; mala nostra quaerit, sicut medicus ad sanandum non quaerit a te nisi mala tua, ut det tibi bona sua, gratiam et gloriam suam. Quaerit a te peccatum tuum, quod serpens est et venenatissimus aspis, venenum mortiferum, causa mortis aeternae, porta inferni, infirmitas incurabilis, mors omnium bonorum, daemonium pessimum, causa omnium malorum.

Deo peccata nostra dare debemus.

Est autem peccatum vel commissum vel committendum: commissa offerenda sunt Deo per sacramentalem Confessionem, committenda vero per divini auxilii implorationem suique ipsius oblationem Deo, ut potius mortem eligat homo quam peccatum. Sic dantes peccata nostra Deo, gratissimum praestabimus ei obsequium, non secus quam si quis principi tradat proditores et rebelles pessimos, qui in regno multorum sunt causa malorum regnique pestis atque pernicies. Et gratum quidem erit principi si tradantur hi post patrata facinora, sed multo gratius si ante factas proditiones excitatasque seditiones et coniurationes in civitate contra personam principis et coronam. Peccatum Deus summo prosequitur odio, quoniam in regno ipsius multorum extitit causa malorum et tanquam venenum et pestis perniciosissima innumeros Deo filios servosque occidit.[102]

101) Cf. Ps 15, 2. 102) In charta agglutinata reliquae parti folii albae relictae haec alia introductio invenitur: « Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli festum hodie celebramus, quos dum contemplor, videre mihi videor duas illas argenteas tubas, quas *Numeris* 10 iussit Deus fieri ad convocandum populum aut principes, vel movenda castra versus terram promissionis, vel incitanda ad pugnandum contra hostes, quibus etiam annus iubilaei annunciaretur et in calendis ac festis diebus ad holocausta clangeretur. Ambo enim tubae fuerunt Spiritus Sancti, sed ex argento, nobili et claro metallo; hi populum ad tabernaculum Dei sua praedicatione convocarunt; hi fideles ad pugnandum contra invisibiles hostes incitarunt, nam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*; hi regnum coelorum praedicarunt; hi veri iubilaei annum annunciarunt praedicando *annum Domini acceptum et diem retributionis*. Duae etiam illae columnae Iachin et Bohaz a duobus lateribus maris aenei in templo Salomonis hieroglyphica fuerunt principum Apostolorum; columna etiam nubis per diem et ignis per noctem ».

Sequitur fol. 57 sermo pro die Visitationis B. M. Virginis, iam in *Mariali* editus, pag. 556-557.

II. ALIA HOMILIA[1]

Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, etc. [2]

Templum Salomonis tribus partibus distinctum symbolum fuit Ecclesiae;

I. Fuit Ecclesia Christi praefigurata in templo Salomonis, quod in tres partes distinctum erat: in atrium, in sancta et sancta sanctorum. [3] Et atrium quidem locus erat totius populi, sancta locus sacerdotum, et sancta sanctorum locus Dei, quo solus summus sacerdos ingrediebatur; [4] ibi erat divinum propitiatorium, ubi peccata populo condonabantur; ibi arca veluti thesaurus divitiarum Dei; ibi vas mannae, [5] symbolum Sacramentorum; ibi tabulae legis, [6] symbolum Evangelii, et virga Aaron, [7] symbolum potestatis Summi Pontificis, quae hodie per claves exprimitur: *Tibi dabo claves regni coelorum.* [8] In Ecclesia est populus Dei, status saecularium; supra hunc est status sacerdotalis et tandem status episcopalis et pontificius. Sic Christus in tres status distinxit sequaces suos: in statum Apostolorum, in statum septuaginta duorum discipulorum, et in statum ceterorum fidelium. [9] Status saecularis designatus in atrio, status sacerdotalis in sancto et status pontificius in sancto sanctorum.

Plenaria potestas Petro collata fuit dimittendi peccata quoad culpam Sacramentis, quoad poenam indulgentiis.

Specialiter tamen in die expiationis summus sacerdos in sancta sanctorum ingrediebatur ad expianda totius populi universa peccata; erat enim sacratissimus ille locus, sedes divinae misericordiae et pietatis. Sic Christus in Ecclesia divinum propitiatorium constituit dans Petro plenariam potestatem dimittendi omnia peccata: *Tibi dabo claves regni coelorum,* etc. Instituit Christus Petrum vicarium suum in terra. Christus ad hoc venit in mundum, ad auferenda omnia impedimenta salutis, quae quidem nonnisi peccata sunt et peccati tum culpa tum poena. Sic enim Christus aperuit nobis ianuam regni coelestis, ablatis hisce impedimentis. Sic et Petro plenariam potestatem reliquit ad removenda haec eadem impedimenta consequendi aeternam felicitatem in coelo, ut peccata dimitteret et

1) Haec homilia in codice ponitur post Commune Doctorum, fol. 86. Nos autem huc inseruimus. 2) Mt 16, 18. 3) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq. 4) Cf Lv 16, 1 sqq. 5) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 6) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10; 5; Hebr 9, 4. 7) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 8) Mt 16, 19. 9) Cf. Lc 6, 13.

quoad culpam et quoad poenam, hoc est enim: *Quodcunque ligaveris super terram,...* et: *Quodcunque solveris,* etc.[10] Dimittit culpas per sacramentalem Poenitentiam, poenas vero per pias indulgentias, quas Christus conferre potest, et Petrus, accepta plenaria Christi potestate super universam Ecclesiam.

Indulgentiae condonationes poenarum sunt quae peccatis debentur post sacramentalem absolutionem.

II. Sunt autem indulgentiae relaxationes et condonationes poenarum ordinariarum et temporalium, quae ex decreto divinae legis peccatis debentur post sacramentalem iustificationem, qua peccata quidem quoad culpam deleta sunt, non autem totaliter quoad poenam. Non enim semper Deus una cum culpa poenam peccati dimittit. Adamo dimisit culpam, non tamen poenam mortis et miseriarum;[11] Moysi et Aaron dimisit culpam, non tamen poenam, qua ob peccatum privare eos voluit ingressu terrae promissionis;[12] Davidi dimisit culpam adulterii, non tamen poenam, voluit enim ut moreretur infans ex adulterio natus in poenam illius peccati;[13] nobis in Baptismo dimittitur culpa peccati originalis, non tamen poena mortis et miseriarum huius vitae. In sacramentali igitur Confessione per debitum usum clavium deletur culpa peccati, poena autem ex aeterna fit temporalis virtute Sacramenti, non tota condonatur. Poena autem haec ordinaria per indulgentias relaxatur et condonatur, quae ex decreto divinae, non humanae legis, peccato debetur. Non enim per indulgentias ecclesiasticae censurae condonantur, nec prosunt quicquam indulgentiae iis [qui] iustificationis gratiam non sunt consecuti.

Haec poenarum relaxatio fieri debet ab eo qui ligandi et absolvendi potestatem habet.

Hanc autem poenarum relaxationem et condonationem ab eo necesse est ut fiat qui ligandi atque solvendi potestatem habet: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris,* etc. Legimus autem etiam Divum Paulum praeditum fuisse auctoritate concedendi indulgentias. Loquens enim de incestuoso illo corinthio, quem ob delicti gravitatem tradiderat *satanae in interitum carnis ut spiritus salvus* fieret *in die Domini,*[14] sic ait: *Sufficit illi, qui huiuscemodi est, obiurgatio... quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis*

10) Mt 16, 19. 11) Cf. Gn 3, 6 sqq. 12) Cf. Nm 20, 12. 22 sqq.; 27, 12-14; Dt 34, 1-5. 13) Cf. 2 Rg 12, 13-19. 14) 1 Cor 5, 5.

et consolemini... Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi... propter vos in persona Christi. [15] Fuerat paulo ante miser ille multis gravibusque poenis [16] in peccati poenitentiam onustus, unde gravi tristitia absorbebatur; quare ne graviori absorberetur tristitia, Apostolus ante condignam poenitentiam exactam, in persona Christi condonavit illi poenas peccati. Sic enim Theodoretus Cyrensis Episcopus, [17] sic Oecumenius Constantinopolitanus, [18] sic Divus Ambrosius libro *De Poenitentia contra Novatianos,* [19] sic Ioannes Chrysostomus, [20] sic Theophylactus [21] super hunc Pauli locum interpretantur ante sufficientem poenitentiam fuisse a Paulo condonatam corinthio veniam peccati. Hoc autem, inquit, *in persona Christi,* idest apostolica qua fungebatur auctoritate, nam Apostolis quoque aliis hanc potestatem Christus contribuit: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo,* etc. [22] Hinc Episcopi Apostolorum successores de iure possunt auctoritate episcopali indulgentias conferre, licet plenaria auctoritas et potestas apud Summum Pontificem Petri successorem omni ex parte perfecta resideat.

Plenaria autem haec potestas a Christo collata fuit Petro.

Sic Christus salutis nostrae cupidissimus plenissimam facultatem Petro reliquit, traditis regni coelorum clavibus, ad auferenda omnia salutis nostrae impedimenta, ut simul posset et culpas et poenas peccatorum plenaria auctoritate delere. Sic institutum est in Ecclesia divinum propitiatorium ad expianda omnia omnium fidelium peccata, non quidem semel tantum in anno, sed singulis diebus, semper, absque ulla temporis limitatione. Summus enim Pontifex noster non semel tantum in anno potest in sancta sanctorum introire ad expianda peccata, sicut summus sacerdos synagogae, sed quandocunque libuerit: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris,* etc. O privilegium infinitae gratiae!

15) 2 Cor 2, 6-10. Vulg.: *Qui eiusmodi est,* etc. 16) Ms.: *Peccatis,* loco: *Poenis.* 17) *Comment. in Epist. 1 ad Corinthios,* (P. G. 82, 262). 18) *Comment. in Epist. 1 ad Corinthios,* cp. 2, ibid. 118, 698. 19) Lib. 1, cp. 13, (P. L. 16, 484-485). 20) *Hom. 15 in Epist. ad Corinthios,* (P. G. 61, 123-124). 21) *Comment. in Epist. 1 ad Corinthios,* ibid. 124, 622. 22) Mt 18, 19.

DIES SANCTAE MARIAE MAGDALENAE

Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Iesus accubuit in domo Simonis, etc. [1]

Maria Magdalena lucidissimum est poenitentiae speculum.

I. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia solemne festum in honorem Sanctae Mariae Magdalenae, quae lucidissimum extitit poenitentiae speculum, mundatae invisibili quidem, sed magno miraculo, veluti altera Maria soror Moysi a lepra peccati, [2] de qua vere dici potest quod: *Ubi... abundavit delictum, superabundavit* et *gratia.* [3] Ecce abundantia delicti: *Mulier quae erat in civitate peccatrix*, omni peccatorum genere infecta, septem daemoniis plena; [4] sed ecce superabundantia gratiae: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo Simonis, attulit alabastrum unguenti*, etc. Sic cum prius esset Magdalena, turris [5] quidem, sed turris Babel, [6] facta est turris David; [7] cum prius esset vas contumeliae, facta est vas honoris et gloriae. [8] Sicut apud Ieremiam legimus, quod in domo figuli vas confractum multo melius refactum fuit a figulo, sicut bonum visum fuit in oculis eius. [9] Implevit haec id quod per Ioelem Dominus ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et... fletu et... planctu.* [10] Quis non videt eam in convivio ieiunantem et lacrimantem? Implevit id quod per Isaiam dixit Deus: *Convertimini sicut in profundum recesseratis;* [11] id quod Ioannes Baptista praedicaverat: *Facite... fructus dignos poenitentiae;* [12] id quod Paulus dixit: *Sicut... exhibuistis membra vestra servire im-*

1) Pericope huius diei Lc 7, 36-50. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Accubuisset.* 2) Cf. Nm 12, 10-15. 3) Rom 5, 20. 4) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 5) Sic latine hoc nomen interpretatur. 6) Cf. Gn 11, 4. 7) Cf. Ct 4, 4. 8) Cf. Rom 9, 21; 2 Tim 2, 20. 9) Cf. 18, 2-4. 10) 2, 12. 11) 31, 6. 12) Mt 3, 8. Vulg.: *Fructum dignum poenitentiae.*

munditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem. [13]

II. Magnum hodie miraculum accidit: arbor mala, quae fructus malos faciebat, nec poterat bonos fructus facere, [14] conversa est in arborem bonam, quae plantata secus decursus aquarum fletus et lacrimarum, statim fructus optimos protulit, [15] sicut arbores quae in mundi primordio plantatae fuerunt a Deo in paradiso. [16] Ecce arbor mala: *Mulier, quae erat in civitate peccatrix;* ecce fructus mali: *Dimittuntur ei peccata multa.* [17] Commiserat peccata multa, sed mox conversa in arborem bonam, ad instar virgae Aaron, quae arida erat et magno miraculo flores et fructus edidit, [18] visa est optimis fructibus onusta. Cor dat fructum fidei et caritatis: *Fides tua te salvam fecit;* [19] *Corde autem creditur ad iustitiam;* [20] *Dimittuntur ei peccata multa;* oculi dant fructus lacrimarum, os dat fructum osculorum sanctorum, manus dant fructum optimi unguenti, caput dat fructum capillorum ad tergendos pedes Christi.

Magnum miraculum cernitur in hac muliere,

Statim autem in prima hora suae plantationis vel transplantationis arbor haec fructus hos optimos protulit, divino gustui gratissimos, quoniam *haec mutatio dexterae Excelsi;* [21] *Dei autem perfecta sunt opera.* [22] Sic facta est Magdalena arbor, de quo Regius Vates ait: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et folium eius non defluet, et omnia quaecunque faciet prosperabuntur.* [23] Sic enim laudata a Christo et salvata mittitur in pace: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace,* vade felix. Laudatur a Christo de fructibus interioribus et exterioribus: *Dilexit multum;* [24] lacrimis lavit pedes meos, capillis tersit, unguento unxit, *non cessavit osculari pedes meos.* [25]

quae statim ac conversa a Christo laudatur.

Dedit etiam intellectus fructum cognitionis, nam ait: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit:* cognovit quod Christus esset Salvator: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [26] *Fidelis*

13) Rom 6, 19. 14) Cf. Mt 7, 18. 15) Cf. Ps 1, 3. 16) Cf. Gn 2, 9. 17) Lc 7, 47. Vulg.: *Remittuntur*, etc. 18) Cf. Nm 17, 6-8. 19) Lc 7, 50. 20) Rom 10, 10. Vulg.: *Corde enim*, etc. 21) Ps 76, 11. 22) Dt 32, 4. 23) Ps 1, 3. 24) Lc 7, 47. 25) Ibid. vr. 45. 26) Mt 1, 21.

sermo et omni acceptione dignus ... Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.[27]

Ostenditur etiam magna Christi propensio ad dimittenda poenitentibus peccata.

Iesus *accubuit,* sedit ad mensam ad manducandum, sed: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.*[28] Iesus *accubuit,* parata mensa est a sacerdote ante divinum propitiatorium, ubi omnia propitiabantur et condonabantur peccata:[29] *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris,*[30] qui ita libenter, imo multo libentius peccatoribus poenitentibus peccata dimittit, imo desiderat dimittere, sicut homo esuriens sedit ad mensam et cibis optimis vescitur. Multo, inquam, libentius, nam ad sumendum cibum corporalem pluries a pharisaeo rogari voluit, hoc est enim quod ait: *Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo;*[31] sed ad dimittenda peccata noluit rogari. Non dixit Magdalena cum David peccatore: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam;*[32] non dixit cum filio prodigo: *Pater, peccavi in coelum et coram te;*[33] non ausa est petere peccatorum suorum veniam et plenariam indulgentiam; et Christus ait: *Dimittuntur ei peccata multa;* conversus ad mulierem dixit: *Dimittuntur tibi peccata tua; Fides tua te salvam fecit, vade in pace;* cum tamen nulla in re sit difficilior homo, et maxime nobilis et princeps, quam in dimittendis iniuriis quae tangunt honorem; peccata autem offensiones Dei sunt: *Tibi soli peccavi,*[34] offensiones divini honoris.

Ecce mulier, Dei filia, Christi per fidem sponsa: *Desponsavi te mihi in fide;*[35] *in civitate peccatrix,* facta publica meretrix: en maxima honoris laesio; et tamen tam facilis Christus est ad dimittendum. Hoc est quod per Ieremiam Dominus ait: *Vulgo dicitur: Si dimiserit homo uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta et contaminata erat mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus.*[36]

27) 1 Tim 1, 15. 28) Io 4, 34. 29) Cf. Ex 25, 30; 40, 20-21; Lv 16, 1 sqq. 30) 1 Io 2, 2. 31) Lc 7, 36. Sic legitur in Missali Rom. Clementis VIII; in sequenti vero Urbani VIII emendatum fuit iuxta Vulg.: *Quidam de Pharisaeis,* etc. 32) Ps 50, 3 33) Lc 15, 18. 21. 34) Ps 50, 6. 35) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo te,* etc. 36) 3, 1. Vulg.: *Si dimiserit vir,* etc.

III. In hodierno Evangelio habemus quattuor consideranda nobis ab Evangelista proposita. Primum est historia plane mirabilis verae et absolutae poenitentiae et conversionis sanctae huius peccatricis; secundum est parabola Salvatoris ad Simonem, qua ostendit peccatrici huic revera a Deo condonatum fuisse omne debitum remissaque omnia peccata, adeo ut, remissione peccatorum percepta divinitusque iustificata, facta sit ex ardenti caritate pharisaeo, viro religioso, coram Deo melior gratiorque;[37] tertium est Christi apologia qua poenitentem peccatricem a pharisaeo, qui ipsam temere iudicabat, defendit et illustri encomio laudavit et commendavit omnia ipsius benefacta; quartum est magna erga ipsam Christi gratia atque clementia: conversus ad mulierem dixit: *Remittuntur tibi peccata tua; Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Laudavit hodie Christus sanctae huius peccatricis tria: fidem: *Fides tua te salvam fecit;* caritatem: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* et opera bona: *Intravi in domum tuam,* etc.[38] Commiserat *mulier in civitate peccatrix* innumera peccata, sed nullius recordatur Dominus, sicut per Ezechielem ait de impio ad melioris vitae frugem converso: *Omnium iniquitatum eius... non recordabor amplius.*[39] Pauca autem bona fecerat in obsequium Christi: haec Dominus commemorat et per singula numerat.

Quattuor consideranda sunt: historia huius conversionis, parabola, magna Christi clementia et caritas.

37) Cf. Lc 7, 41-47. 38) Ibid. vr. 44. 39) 18, 22.

DIES SANCTI IACOBI APOSTOLI

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedaei adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit, etc. [1]

Proponuntur in laudem S. Iacobi non ipsius virtutes, sed imperfectiones,

I. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia festum in honorem Beatissimi Apostoli et martyris Christi Iacobi, de quo Christus hodie prophetavit quod martyr futurus erat: *Calicem* meum *bibetis et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.* [2] Sed mirum videtur quod, cum in honorem et laudem Sanctorum celebrentur festa ut, proposita ipsorum vita virtutibus omnibus summaque pietate et mirabili sanctitate ornata ac decorata, ad imitandum provocemur virtutum eorum exempla, sicut Iacobus alter apostolus dixit quod *Elias homo erat similis nobis,* [3] dum autem celebrat Sancta Ecclesia hodie festum Beatissimi huius Apostoli, non proponit nobis ipsius divinas perfectiones heroicasque virtutes, sed humanas imperfectiones et vitia: ambitionem, qua primos in regno Christi honores per subornatam matrem procuravit a Christo; ignorantiam: *Nescitis quid petatis;* [4] temeritatem: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?... Possumus.* [5] Quodnam hoc genus est laudis et honoris?

quia hoc ad maiorem Dei gloriam redundat,

Sed quia Sancta Ecclesia celebrat festa Sanctorum ad maiorem Christi honorem et gloriam, ut ostendat quam *mirabilis* sit *Deus in Sanctis suis,* [6] eo consilio nonnunquam in Sanctorum festivitatibus imperfectiones potius et vitia ipsorum proponit, quam insignia facta virtutum, quoniam ad maiorem Christi gloriam redundat, sicut ad gloriam medici curasse et quidem perfecte infirmum, qui multis incurabilibus morbis laborabat: *Ubi... abundavit delictum,*

1) Pericope huius diei, Mt 20, 20-23. Cf. Missale Rom. 2) Mc 10, 39. 3) 5, 17. 4) Mt 20, 22. 5) Ibid. 6) Ps 67, 36.

superabundavit et *gratia.* [7] Deus est qui convertit in lucem tenebras, [8] ut sciamus quidnam Sancti prius fuerint per naturam, quid postea qualesque facti sint per gratiam; quid quatenus filii sunt Adami, quid quatenus filii facti sunt Dei.

Sic proponitur hodie Sanctus Iacobus ut filius Adami, ambitione et cupiditate gloriae plenus, postea vero ut filius Dei, consors et martyr Christi; prius quatenus portat imaginem terreni Adami, postea quatenus portavit imaginem coelestis, nam: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo, coelestis... Sicut portavimus imaginem terreni,* sic *et portemus imaginem coelestis.* [9] Fuit Adam mirum in modum gloriae cupidus, satana instigante: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum;* [10] sic hodie hi duo Apostoli ostenduntur gloriae cupidissimi: *Ut sedeant... unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo;* [11] deceptus tunc fuit Adam, licet post Evam, sicut Paulus *1 Timotheo* ait: *Adam... primus formatus est, deinde Eva; et Adam non est seductus, Eva autem seducta in praevaricatione fuit.* [12] Non fuit, inquit, seductus utique primus, sicut Eva; suggerente per Evam serpente, seductus deceptusque fuit nimia gloriae cupiditate inflammatus. Ita Dominus ait hodie: *Nescitis quid petatis.* Nimia cupiditas excaecat mentem, ut non possit discernere et cognoscere verum, [13] sicut Plato caecum fecit amorem. [14] Reperitur etiam in his Apostolis prudentia secundum carnem, nam quo facilius optata summis votis gloria potiri daretur, subornant matrem ut adorabunda Christum adiret et pro hac gratia supplicem libellum Christo praesentaret, sicut Adonias, cupiens reginam Abisag in uxorem, subornavit Bethsabee matrem regis Salomonis. [15] Sic ambitio mille [astutiarum] artifex est, nullum non movet lapidem, nihil non tentat.

qui hunc Apostolum ambitione plenum in consortem et martyrem Christi convertit.

Quoniam autem venit in hunc mundum Christus ut veterem terrenumque Adam in novum coelestemque transfunderet, sicut in Apostolis his divinitus factum fuit, considerandus nobis Iacobus est ut nova creatura in Christo, qui veterem exuit hominem cum

Considerandus est S. Iacobus ut nova creatura.

7) Rom 5, 20. 8) Cf. Is 42, 16. 9) 1 Cor 15, 47-49. Vulg.: *Portemus et imaginem coelestis.* 10) Gn 3, 5. 11) Mt 20, 21. 12) 2, 13-14. Vulg.: *Mulier autem seducta,* etc. 13) Cf. Dionysius Cato *Carmen De Moribus,* lib. 2, vr. 98. 14) *Convivium,* pag. 293. 15) Cf. 3 Rg 2, 13-18.

actibus suis et novum induit, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [16]

Quattuor mysteria reperiuntur in Sanctis: praedistinatio, vocatio, iustificatio et glorificatio.

II. De Sanctis in universum quattuor mysteria in Sacris Litteris indicantur, de quibus Paulus *Romanis: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; quos autem vocavit, illos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* [17] Ubi non est intelligendus Paulus ac si doceret omnes homines a Deo praecognitos praescitosque esse, etiam praedestinatos, ac propterea iustificandos et glorificandos, sed loquitur de diligentibus Deum, *qui, secundum propositum vocati sunt sancti;* hi nanque *quos praescivit, et praedestinavit.*

Haec specialiter elucent in B. Iacobo,

Licet autem quattuor haec in omnibus sanctis et electis Dei reperiantur, non tamen de singulis electis leguntur, imo nonnisi de paucissimis. Inter hos autem paucos Iacobus est, qui et praedestinatus legitur et vocatus et iustificatus et glorificatus. Nam in hodierno Evangelio agitur de ineffabili praedestinationis mysterio: *Quibus paratum est a Patre meo;* [18] sicut alibi: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* [19] Alias Apostolis dixerat Dominus: *Gaudete* et exultate, *quia nomina vestra scripta sunt in coelo;* [20] hic autem specialiter loquitur. Fuit autem praedestinatus Iacobus non solum ut christianus et ut Christi discipulus et apostolus, verum etiam ut praecipuus Apostolorum una cum Petro et Ioanne fratre; adhuc etiam ut martyr et primus in numero Apostolorum martyr, ita ut huius tantum ex Apostolorum collegio martyrium habeatur in Sacris Litteris, [21] quod hodie fuit a Christo specialiter praedictum: *Calicem quidem meum bibetis;* praedestinatus ad magnum excellentissimumque sanctitatis gradum in hoc saeculo et ad dignissimum gradum gloriae in paradiso. Non enim negavit his Apostolis hodie Christus primos gradus gloriae in paradiso, sed

praedestinatus enim fuit ad apostolatum, ad martyrium, ad sanctitatem et gloriam.

16) Eph 4, 24. 17) 8, 28-30. Vulg.: *In bonum iis... imaginis filii sui... et quos vocavit, hos et,* etc. 18) Mt 20, 23. 19) Ibid. 25, 34. 20) Lc 10, 20. Vulg.: *Quod nomina scripta sunt in coelis.* 21) Cf. Act 12, 2.

tantum dixit illis dandos esse primos gradus, quibus paratum esset a Deo; non tamen asseruit ipsis minime paratum a Deo esse ut supremos consequantur in coelo honores, nam revera sicut hi tres Apostoli, Iacobus, Ioannes, et Petrus, omnium primus, semper apud Christum primo loco fuerunt in hoc mundo,[22] ita nunc sunt in coelo Apostolorum beatissimi et gloriosissimi.

Ostendit hodiernum Evangelium primo, regnum coelorum non dari fortunae et favori, sed virtuti et merito.

III. Ostendit hodiernum Evangelium quod regnum coelorum non datur fortunae et favori, sed datur virtuti et merito, ita ut ad gloriam consequendam duplex meritum requiratur, nempe meritum passionis Christi et meritum etiam proprium ex gratia Christi; nam Christi gratia, sine qua nihil possumus facere,[23] principium, origo et radix est omnis meriti nostri. Quoniam autem necessarium est meritum nostrum tum ex operatione bonorum operum tum ex perpessione malorum huius mundi, adversitatum atque persecutionum propter iustitiam,[24] propterea Christus non solum passus est in sacrificium pro peccatis ad placandum Deum et gratiam Dei nobis promerendam, verum etiam in exemplum, sicut P e t r u s ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,*[25] et hodie: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* et post pauca hortatus eos fuit ad virtutem suo ipsius exemplo: *Sicut,* inquit, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem,* etc.[26] Nam si propria merita non requiruntur ad coelestem gloriam consequendam, ad quid Christus ait: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* et postea: *Calicem quidem meum bibetis?* Ad quid hortatus fuit Apostolos ad sui ipsius imitationem?

In Sanctis duo alia consideranda sunt: humana infirmitas et divina virtus,

Ostendit hodiernum Evangelium quod in viris sanctis duo consideranda sunt, nempe humana infirmitas et divina virtus; illa ex natura peccato vitiata, haec autem ex Christi gratia. Nam homo iustus est sicut arbor insita, sicut P a u l u s *Romanis* docet,[27] et D i v u s I a c o b u s: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*[28] Sicut autem arbor insita in trunco, prae-

22) Cf. Mt 17, 1; 26, 37; Mc 5, 37; 9, 1; 14, 33; Lc 8, 51; 9, 28. 23) Cf. Io 15, 15. 24) Cf. Mt 5, 10. 25) 1 Petr 2, 21. 26) Mt 20, 28. 27) Cf. 11, 16-24. 28) 1, 21.

cisis omnibus naturalibus ramis, licet producat fructus iuxta naturam insiti rami, nihilominus saepe etiam ex trunco producit ramusculos secundum naturam trunci, qui praecidendi utique sunt, ita plane in Sanctis non omnia opera sunt opera gratiae et virtutis divinae, nisi sint in statu magnae et excellentis perfectionis, qualis fuit status Apostolorum post acceptum Spiritum Sanctum,[29] qualis status Ioannis Baptistae, qui ex utero plenus Spiritu Sancto fuit,[30] qualis fuit status Virginis Deiparae, quae semper plena gratia fuit,[31] sicut luna, imo sol luce, absque omni macula. Sed citra hunc statum, relinquuntur in Sanctis humanitatis affectus et naturales quaedam imperfectiones, contra quas pugnandum est in exercitium virtutis; sic enim Deus noluit perdere omnes Chananaeos in terra promissionis, sed multos reliquit ad exercitandos Hebraeos.[32] Hoc est quod Paulus ait: *Condelector ... legi Dei secundum interiorem hominem; sentio autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati.*[33] Tales imperfectiones videmus hodie in his Apostolis; hinc discimus quod Divus Ambrosius in *Historia Ioseph Patriarchae* observavit, Sanctos « non praestantioris naturae fuisse, sed observationis, nec ignorasse vitia, sed emendasse ».[34] Ita hodie Apostoli a Christo correpti haec vitia emendarunt.

relinquuntur enim etiam in Sanctis humanae imperfectiones ad exercitium virtutis.

Ostenduntur hi duo Apostoli filii Adam, qui licet magnus mundi princeps a Deo constitutus fuisset, non tamen fuit sua sorte contentus, sed altiorem gradum honoris et gloriae appetivit. Plane Apostoli hi ad sublimem gradum gloriae fuerant assumpti, ut essent principes Ecclesiae, iudices mundi, Christi ipsius perpetui familiares, socii, domestici, comites itineris, collegae et amici intimi, quod nec Angelis datum erat; et tamen maiora ambiunt summumque primatum sibi expetunt. Quam vasta abyssus est humanae cupiditatis, cui mundus totus res videtur exigua!

Cernitur in his Apostolis magna ambitio, quamvis fuerint intimi Christi amici.

IV. De quattuor mysteriis praecipue agitur in hodierno Evangelio: de divina praedestinatione, de Christi passione et generis hu-

29) Cf. Act 2, 1-4. 30) Cf. Lc 1, 15. 31) Cf. ibid. vr. 28. 32) Cf. Ex 23, 28-30; Dt 7, 22; Idc 2, 21 sqq.; 3, 1-4. 33) Rom 7, 22-23. Vulg.: *Video autem aliam legem... in lege peccati.* 34) Cp. 1, (P. L. 14, 643).

Ad consequendam gloriam paradisi requiritur imitatio Christi.

mani redemptione, de Christi imitatione et de glorificatione: *Sedere... ad dexteram meam vel ad sinistram*, etc. Ostenditur autem quod divinam praedestinationem et meritum passionis Christi, ad consequendam gloriam paradisi requiritur imitatio Christi: *Potestis bibere calicem? Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;* [35] sic *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* [36] Ostenditur quod scala, qua ad coelestem gloriam ascendendum est Christi imitatio est; quod regnum coelorum non datur nisi merentibus, non pro gratia aut favore, hominum more, sed pro merito virtutis.

Videmus in B. Iacobo prius imaginem hominis terreni et postea hominis coelestis.

Habemus in hodierno Evangelio imaginem hominis terreni et imaginem hominis coelestis, de quibus P a u l u s *ad Corinthios* scribit: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo, coelestis; sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus... imaginem coelestis.* Videmus in Beato Iacobo apostolo hodie prius quidem imaginem hominis terreni in ambitione gloriae et honoris, sed postea quod exuerit veterem hominem novumque induerit, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Praedicitur enim ei hodie a Christo quod similis ei futurus erat in morte, per martyrium Deum glorificaturus: *Calicem quidem meum bibetis;* martyrium autem opus est perfectae caritatis: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [37] Mutavit, Deo operante per gratiam Spiritus Sancti, Iacobus humanam mundanae gloriae cupiditatem in divinam caritatem.

Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis. Videtur insinuare his verbis Dominus duo quae sunt contra fidei nostrae veritatem: alterum, quod ipse minorem habeat auctoritatem quam Pater, quae est haeresis ariana; [38] alterum, quod Iacobus non fuerit praedestinatus ad gloriam: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre.* Si enim excluduntur hi duo fratres a numero eorum, quibus ab aeterno parata est a Deo gloria paradisi, profecto praedestinati non sunt, cum praedesti-

35) Lc 24, 26. 36) Act 14, 21. 37) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*, etc. Affert ex Breviario Rom. Comm. Apostolorum, antiph. 2 ad *Laudes*.
38) Cf. S. Augustinus *De Haeresibus*, haeres. 49, (P. L. 42, 39); Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 54. 61. 85.

natio non sit nisi gloriae praeparatio. At vero non dicit Dominus non esse sui officii, muneris et potestatis sed Patris dare gloriam, sed non esse suum dare, nisi iuxta Patris sui voluntatem, hoc est nonnisi dignis atque merentibus. Et quoniam non tantum gloriam petivere, sed primos supremosque gradus gloriae apud Christum, forte ab hoc primam excludit, principes enim Apostolorum facti sunt Petrus et Paulus. Graece autem non est pronomen *vobis*, sed: *Non est meum dare, nisi quibus paratum est a Patre meo;* quare non excludit, sed ad voluntatis divinae dispositionem eos remittit. [39]

39) In codice sequuntur sermones pro diebus Visitationis B. Mariae V. et Dedicationis B. Mariae ad Nives, iam in *Mariali* editi, prior pag. 547-555, alter vero pag. 559-564.

DIES TRANSFIGURATIONIS DOMINI

Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, etc. [1]

Figura hodierni mysterii claritas vultus Moysi.

I. Hodierni mysterii clarissima figura praecessit in splendore et claritate vultus Moysi; dum enim in cacumine montis oraret et loqueretur cum Deo, coepit facies eius divino quodam splendore micare, [2] tanquam luna plena puro ac sereno coelo in nocte. Quoniam vero Christus tanto maior est Moyse quanto Deus homine, ipsius facies hodie in vertice montis sancti, dum oraret, tanquam sol resplenduit. Videndum autem nobis est cur Dominus sic transfigurari voluerit et coram Apostolis gloriosus apparere.

Transfiguratur hodie Christus ad comprobandam fidem divinitatis suae.

Facies Moysi divina virtute miraculo resplenduit, ut in eum populus crederet firmiori et constantiori fide; sic et Christus transfiguratus est ad confirmandam fidem divinitatis suae. Scribunt enim tres Evangelistae, Matthaeus, [3] Marcus [4] et Lucas, [5] mysterium hoc post Petri confessionem: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* [6] ad hanc igitur fidem comprobandam et confirmandam transfiguratur Christus, ut vere se Filium Dei ostendat. Hinc venit vox de nube dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* [7] Sic comprobatur quod Christus dixit Petro: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.* [8]

Quoniam vero Messias futurus erat secundum Scripturas rex, ostenditur in hoc mysterio quale futurum erat ipsius regnum et

1) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 34, 30 sqq. 3) Cf. 16, 16; 17, 1-9. 4) Cf. 8, 29; 9, 1-9. 5) Cf. 9, 20, 28-36. 6) Mt 16, 16. 7) Ibid. 17, 5. 8) Ibid. 16, 17.

Duo proponuntur hodie: gloria Christi et gloria paradisi.

qualis gloria regni ipsius. Hinc post illa Domini verba: *Filius... hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis,*[9] et: *Sunt... de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo,*[10] scribunt Evangelistae immediate mysterium divinae transfigurationis, quam Marcus[11] et Lucas[12] *regnum Dei* appellant; Petrus vero duo haec coniungens ait: *Accipiens... a Deo Patre honorem et gloriam, voce ad eum huiuscemodi delapsa a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*[13] In vertice igitur sacratissimi huius montis duo conspiciuntur hodie: gloria Christi et gloria paradisi, quod est regnum Dei et quam Petrus dicit magnificam gloriam quae in nube lucida, in qua Deus est et in qua Christus glorificatus cernitur Moysesque et Elias in maiestate conspiciuntur,[14] elegantissime designatur.

ad confirmandam fidem in Christum

Proponitur hodie in theatro montis Thabor Christi gloria ad confirmandam fidem divinitatis ipsius. Proponitur gloria paradisi ad confirmandam spem retributionis aeternae; fidei enim, *quae per dilectionem operatur,*[15] merces et praemium est gloria paradisi. Sic Christus fidei et confessioni Petri: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* beatitudinem promisit dicens: *Beatus es, Simon Bar Iona;* sic ait: *Qui credit in eum, non iudicatur... quia... credit in nomine unigeniti Filii Dei;*[16] *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[17] Sic saepe fidei tribuit salutem: *Fides tua te salvum fecit;*[18] *Fides tua te salvam fecit;*[19] sic Petrus ait: *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum* vestrarum.[20] Hodie igitur proponitur nobis et fides et praemium fidei: fides quidem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* praemium vero fidei, magnifica gloria in nube lucida conspecta: *Fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.*[21]

et spem retributionis aeternae.

Non existimo opus esse verba facere ad fidem Christi persuadendam vel confirmandam, quoniam per gratiam Dei omnes firmissime credimus Christum unigenitum Filium vivi et veri Dei, qui

9) Ibid. vr. 27. 10) Ibid. vr. 28. 11) 8, 39. 12) 9, 27. 13) 2 Petr 1, 17. Vulg.: *Voce delapsa ad eum,* etc. 14) Cf. Lc 9, 30-31. 15) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem operatur.* 16) Io 3, 18. 17) Ibid. vrr. 15-16. 18) Mc 10, 52; Lc 17, 19; 18, 42. 19) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 20) 1 Petr 1, 9. *Vestrarum,* lect. cod. 21) 2 Tim 4, 7-8.

assumptus post resurrectionem suam in coelum, *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit;* [22] sed ad spem excitandam et confirmandam operae pretium duco de praemio fidei, de gloria paradisi sermonem habere, ut omnes hodie cum Petro dicamus: *Domine, bonum est nos hic esse.* [23]

Nunc solum de spe agitur.

Sacrosanctum autem divinae huius transfigurationis mysterium Litteris consignantes E v a n g e l i s t a e non solum factum historica narratione describunt, sed etiam tempus, locum et personas, qui praesentes fuerunt, adhibent oculatos testes, modum etiam transfigurationis declarant. Quare haec omnia nobis consideranda sunt, cum prius viderimus an sit et quidnam sit gloria paradisi.

Fides manifestissime docet et firmissime credendum iubet gloriam paradisi.

II. Videndum prius nobis est an sit gloria paradisi, quoniam non desunt animales homines qui, nihili sapientes ea quae sunt spiritus Dei, [24] sed pecudum more et animo viventes, nonnisi oculis et sensibus credunt, dicentes cum incredulo Thoma: *Nisi videro . . . non credam.* [25] Quare, ut dici solet, supra tectum nil credunt, [26] sed brutorum animas, quae cum corpore pereunt, se habere existimant et facile cum insipiente dicunt in corde suo: *Non est Deus.* [27] Ego autem non brutis animalibus, sed rationabili mente praeditis, Dei similibus et fidelibus hominibus loqui existimo. Fides autem manifestissime docet et firmissime credendum iubet gloriam paradisi, in qua hominis perfecta felicitas et absolutissima aeternaque beatitudo consistit, quod quidem etiam naturalis ratio hominibus minime protervis facile persuadet.

Deus naturae humanae indidit desiderium perpetuae felicitatis.

Nam luce clarius videmus quod Deus in homine, vel quovis alio animali, nullam prorsus creavit potentiam sensilem, cui in mundo non crearit obiectum. Si creavit visum, creavit et lucem atque colores; si auditum, et sonos; si olfactum, et odores; si gustum, et sapores; si appetitum comedendi atque bibendi, creavit etiam cibum et potum; si in maribus veneream libidinem, ad eam explendam creavit mulierem. Si igitur corporeis appetitibus divina provi-

22) Hebr 1, 3-4. 23) Mt 17, 4. 24) Cf 1 Cor 2, 14. 25) Io 20, 25.
26) Phrasis popularis, hodie quoque usitatissima. 27) Ps 52, 1.

dentia satisfacere per omnia curavit, cur non et spiritalibus animi, qui ad divinam imaginem et similitudinem conditus est [28] et cui corpus subiectum est tanquam domino servus? Nemo autem est qui non sentiat in animo suo ingenitum naturale desiderium felicitatis, ut perpetuo felicissime et beatissime vivat cum omni animi sui satisfactione. Ergo necesse est ut reperiatur perfecta felicitas quae sit cibus aptus ad explendam hanc famem.

quae si in mundo hoc non reperitur, in alia vita necesse est ut reperiatur.

Non reperitur autem in hac vita, in mundo hoc, ubi nemo est sua sorte contentus; ergo necesse est ut in alia vita, in alio mundo reperiatur, in Deo, in paradiso. Hinc hodie Petrus supra montem excelsum constitutus et videns gloriosam Christi faciem, ait: *Domine, bonum est nos hic esse.* Sicut enim magnes in nautica acu vel solari horologio, nunquam quiescit, donec recta aspiciat altissimam arctici poli stellam, sic animus noster, qui in corde nostro est veluti magnes in acu, nunquam vere quiescit, nisi cum Dei bonitate fruitur. Hoc est quod Petrus hodie, mox ut Christi faciem glorificatam vidit, quasi beatificatus dixit: *Domine, bonum est nos hic esse.* Et sicut navis extra portum vastissimo mari posita ventisque et procellis exposita quiescere non potest, cum eius quies tutissimo in portu sita sit, ita animus noster extra paradisum.

Paradisus locus felicitatis est, ubi animus perfecte quiescit.

III. Animo enim nostro quietis et felicitatis locus paradisus est. Hinc mox conditum hominem Deus tulit et posuit eum, vel quiescere fecit in paradiso voluptatis. [29] In hoc portu quiescit Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse.* Gustui nostro non omnis cibus placet nec satisfacit, nisi proportionatus, suavis et bene conditus; non caro cruda, quae cibus est canum et leonum; sed panis triticeus, bene factus, fructus maturi et suaves cibique alii bene conditi. Sic non omne bonum animo nostro satisfacit: non corporalia bona, quoniam ipse spiritus est; non terrena, quoniam coelestis est; non mundana, quoniam divinus est; sed spiritualia, coelestia, divina placent, delectant et plene satisfaciunt. *Domine, bonum est nos hic esse.*

Haec est vera felicitas, haec vera beatitudo, ut sciamus quidnam sit: *Bonum est nos hic esse: bonum* simpliciter, quod omnem habeat rationem boni, cui nulla desit desiderabilis bonitas: *Dicite iusto*

28) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 29) Cf. Ibid. 2, 8-15.

quoniam bene, sive *quoniam bonum,* כִּי טוֹב.[30] Felicitas est fruitio summae et infinitae bonitatis, gustus infinitae dulcedinis, sensus infinitae et sempiternae consolationis. *Bonum est,* bonum quod complectitur omne bonum, sicut Deus est ens omnium entium: *Ego sum qui sum;*[31] *Ego ostendam tibi omne bonum,*[32] dixit Deus ipse Moysi petenti ut videret gloriam Dei.[33] *Bonum est nos hic esse: bonum,* quo maius nec desiderari nec excogitari potest, hinc per lucem solis et per candorem nivis designatur. Sicut enim nec splendidior lux solari desiderari aut excogitari potest, nec candor nivali purior et nitidior, sic nullum bonum maius desiderari potest bono gloriae paradisi.

quia bonum est quo maius ex desiderari nec excogitari possit,

Desiderat homo diuturnam vitam: hic erit perpetua, sempiterna, sicut permanentia solis in coelo vitam omnis mali omnisque corruptionis et passionis expertem: sol est omnino incorruptibilis et impassibilis, cuius lux nec minuitur nec augetur, quia nec maior desiderari potest. Hoc est quod arca testamenti in sancta sanctorum, quod empyrei coeli et paradisi symbolum erat, posita in medio cherubim, qui Angelos designabant, sub divino propitiatorio, quod divinam maiestatem repraesentabat, quamvis ex corruptibilibus terreisque lignis composita erat, intus tamen et extra incorruptibili auro vestita erat,[34] in signum quod homo beatus, quamvis corruptibili corpore carneque passibili constet, divina tamen virtute immortalitate et omni incorruptione donatus est vitaque omni tum interna tum externa passione experte.

significat enim vitae immortalitatem et impassibilitatem,

Sed cor et animus semper plenus erit omni consolatione, quod vas plenum manna in arca significat;[35] intellectus plenus omni scientia et sapientia tum naturalium tum supernaturalium rerum, quod designant duae tabulae legis.[36] Et beatus quilibet divina ac supernaturali virtute praeditus erit ad operandum miracula supra omnem vim naturae, quod designat in arca virga Moysi et Aaron quae operabatur miracula.[37] Erit etiam quilibet beatus regia dignitate et honore donatus tanquam filius Dei et frater Christi, quod

indeficientem, cordis consolationem, plenam rerum omnium scientiam,

30) Is 3, 10. Ms.: *Chi thob.* 31) Ex 3, 14. 32) Ibid. 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.* 33) Cf. ibid. vrr. 13-18. 34) Cf. ibid. 25, 10-22. 35) Cf. ibid. 16, 33-31; Hebr 9, 4. 36) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 37) Cf Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Ex hoc S. Auctor admittere videtur unam eandemque fuisse virgam, qua Moyses fla-

in aurea corona arcae significabatur; corona enim aurea regium insigne est. Haec sunt autem quae omnis homo suapte natura desiderat: immortalitatem et incorruptionem, vitam perpetuam omnis passionis expertem, delicias voluptatesque et nunquam deficientem animi consolationem, scientiam rerumque omnium cognitionem et dignitates honoresque supremos ac, ut uno dicam verbo, omne bonum, sed impermixtum, purum, absque omni malo; hoc est: *Bonum est nos hic esse.* Hinc resplenduit facies Christi, non sicut luna, in qua permixtio quaedam cernitur lucis et tenebrarum, etiam cum plena est, cernimus enim maculas quasdam in luna; sed resplenduit sicut sol, cuius purissima lux est et quae nec minimum patitur tenebrarum naevum, sicut nec ignis minimum quemvis frigoris gradum.

dignitates honoresque supremos,

Quod si homo dulci carissimorum amicorum conversatione delectatur, ecce arca in medio cherubim, en Christus in medio Moysis et Eliae. Beatus quilibet amicissime conversabitur cum omnibus Angelis et cum omnibus Sanctis Dei dulcissimaque eorum conversatione perpetuo perfruetur. Si delectatur homo gratia et favore sui principis, en arca immediate sub divino propitiatorio, Christus sub lucida nube, unde vox ad eum facta est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Perfruetur quilibet beatus summo maximoque Dei favore et gratia tanquam carissimus filius.

dulcissimam cum Deo et Sanctis omnibus conversationem

Quaenam vel excogitari maior gratia potest, quam ut quis a suo principe ex amore adoptetur in filium et heres totius patrimonii instituatur semperque tanquam carissimus filius honorificentissime tractetur et honoretur ab omnibus? Hic igitur *omne bonum,* quod vel desiderari vel excogitari potest; hinc simpliciter dicitur: *Bonum est nos hic esse.*

Sed post sex dies transfiguratus est Dominus, [38] die septimo, die sabbati, die quietis, die qui a Deo benedictus et sanctificatus fuit, cui Divina Scriptura non praefigit terminum, [39] sicut sex aliis diebus creationis, [40] die quo absque ullo labore manna pridie collectum comedebatur. [41]

gellavit Aegyptum, et eam quae floruit in tabernaculo foederis ad designandum Aaron in sacerdotem a Deo electum. At cum hac sententia non concordant probatiores auctores. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Hist. S. Scripturae,* sub voce: *Virga.* 38) Cf. Mt 17, 1; Mc 9, 1. 39) Cf. Gn 2, 2. 40) Cf. ibid. 1, 5 8. 13. 19. 23. 31. 41) Cf. Ex 16, 25-30.

DIES SANCTI LAURENTII MARTYRIS

Nisi granum frumenti... mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem, etc. [1]

I. Celebrat hodie Sancta Ecclesia Catholica festum in honorem et gloriam beatissimi martyris Christi Sancti Laurentii ostenditque praesenti Evangelio quibusnam mediis homo hic beatissimus tantam gloriam consecutus sit tum in coelo apud Deum et Angelos, tum in terra apud homines; utique iisdem mediis quibus Christus. Sicut enim ait Dominus: *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam,* [2] et Paulus ait quod humiliavit se Dominus noster Iesus Christus *usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum;* [3] per sanctam vitam sanctamque mortem Christus intravit in coelestem gloriam, idest summam consecutus est gloriam summumque honorem apud Deum et homines, unde canunt omnes creaturae in coelo: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem,* sive, ut graece est, *divitias,* sed utique divinitatis, *et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem.* [4] Hoc est quod Paulus ait: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus* noster *Iesus Christus in gloria est Dei Patris,* [5] idest factus sit princeps paradisi, sicut Deus sedens ad dexteram Patris; princeps summae auctoritatis et potestatis, hoc enim est illud *accipere virtutem,* idest potestatem: *Data est mihi omnis potestas;* [6] princeps summe dives, sapiens, potens, summae dignitatis, honoris et gloriae omnique laude dignus, ut talis credatur talisque praedicetur.

Ostenditur hodie quibus mediis B. Laurentius consecutus est tantam gloriam in coelo et in terra,

utique iisdem quibus Christus,

1) Pericope huius diei Io 12, 24-26. Cf. Missale Rom. 2) Lc 24, 26. Vulg.: *Pati Christum,* etc. 3) Phil 2, 8-9. 4) Apc 5, 12. 5) Phil 2, 11. 6) Mt 28, 18.

Hoc autem Christus per crucem consecutus est, hinc: *Agnus, qui occisus est, dignus est;* hinc: *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Hoc est quod ait in hodierno Evangelio: *Nisi granum frumenti.*

qui per passionem et mortem intravit in gloriam suam.

Sciendum autem est quod statim ante haec verba dixerat Christus: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis,* ac tunc subiunxit: *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti... mortuum fuerit;* [7] ubi declarat exemplo per quam viam consecuturus sit gloriam: *Ut clarificetur Filius hominis,* nempe per viam passionis et mortis. Sicut, inquit, nisi granum frumenti iactum in terram in sementem fuerit mortuum, idest corruptum, sed integrum incorruptumque manserit, non potest fructum aliquem producere, sed *solum manet,* sterile et infecundum; *si autem mortuum,* idest putrefactum *fuerit, multum fructum affert,* idest multa grana in spica et aliquando in multis spicis, quae ex uno grano oriuntur, quod est veluti gloria grani illius; ita ait Christus quod necessario ex praeordinatione Patris per passionem et mortem cunsecuturus erat gloriam; propterea dixit post redivivam resurrectionem suam: *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam.* Christus igitur, quoniam et sanctissime vixit et sanctissime etiam mortuus fuit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* propterea summam gloriam apud Deum et homines consecutus est et seipsum statuit exemplum ac ducem, unde ait: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* [8]

Agitur hic de meritis et praemiis Sanctorum

II. Non solum autem agit hodiernum Evangelium de meritis et praemiis passionis Christi, verum etiam de meritis et praemiis Sanctorum ipsius: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* [9]

et vitae christianae.

Habemus hic praemia et merita vitae christianae: *Qui odit animam suam,* sancto utique odio, propter Deum: hoc meritum est, *in vitam aeternam custodit eam:* hoc praemium est. *Si quis mihi ministrat, me sequatur:* meritum est Christo ministrare ipsumque imitari; *ubi ego sum, illic et minister meus erit:* praemium est consor-

7) Io 12, 23-24. 8) Ibid. 8, 12. 9) Ibid. 12, 25-26. Vulg.: *Ubi sum ego.*

tem esse Christi. *Si quis mihi ministraverit,* meritum est, *honorificabit eum Pater meus,* praemium est.

Amor sui via perditionis est,

Docet autem Dominus quae sit via perditionis, quae lata et spatiosa est et valde *multi sunt qui vadunt per eam;* [10] haec autem via amoris est: *Qui amat animam suam, perdet eam,* [11] idest qui nimium seipsum amat, peribit in aeternum; φιλαυτία [12] enim, nimius amor sui, radix est ac seminarium omnium vitiorum. Hinc Paulus: *Erunt,* inquit, *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi... voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* [13] Tanquam caput et radicem omnium vitiorum posuit amorem sui, sicut alibi dixit quod *radix... omnium malorum est cupiditas.* [14] Haec utique via perditionis est: *Qui amat animam suam, perdet eam.*

quia praefert carnem spiritui et voluptatem virtuti;

Videtur hodiernum Evangelium plenum paradoxis, quod qui amat, perdit, cum amor sit boni desiderium. Num lux tenebras parit? E contra, *qui odit animam suam, servat eam,* cum odium sit desiderium mali. Sed quoniam homo est veluti paradoxum quoddam naturae, est enim corporalis et spiritualis, mortalis et immortalis, terrenus et coelestis, animal terrenum et angelus coelestis, propterea datur ei doctrina, quae plena videtur paradoxis: qui amat seipsum quatenus animalis est, praeferens carnem spiritui et voluptatem virtuti, hic plane peribit; qui autem odit seipsum quatenus animalis, subiiciens sensum rationi carnemque spiritui, castigans corpus et in servitutem redigens, [15] praeferens virtutem voluptati, hic utique salvus in aeternum erit.

odium autem sui via salutis.

Sicut autem amor sui via perditionis est: *Qui amat animam suam, perdet eam,* ita plane sanctum odium sui via salutis: *Qui autem odit animam suam... in vitam aeternam custodit eam.* Vitae autem christianae, quae via salutis est, tres gradus ponit: odisse animam suam, ministrare Christo et Christum sequi: *Qui odit animam suam... qui mihi ministrat, me sequatur.*

III. Videndum est quale sit praemium servorum Christi, ut sic accendamur ad meritum, nam de Christo Paulus ait quod, *pro-*

10) Mt 7, 13. Vulg.: *Intrant per eam.* 11) Io 12, 25. 12) Ms.: *Philautia.*
13) 2 Tim 3, 2-5. 14) 1 Tim 6, 10. 15) Cf. 1 Cor 9, 27.

Praemium vitae christinnae est vita aeterna.

posito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. [16] Praemium est vita aeterna: *In vitam aeternam custodit eam;* praemium est esse cum Christo, consortem esse gloriae Christi: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Existimavit autem regina Saba beatos servos Salomonis, qui semper cum eo erant et audiebant sapientiam ipsius; [17] quanto magis esse cum Christo, *in quem desiderant Angeli prospicere?* [18] Praemium est: *Honorificabit eum Pater meus.* Magnum est honorari ab hominibus, maius honorari a principibus, maximum honorari a summis principibus. Deus autem princeps est ter maximus. Erit servus Christi cum Christo tanquam frater cum fratre, honorabitur a Deo sicut dilectus filius magni fit et honoratur a patre.

Summa utilitas, quia vita aeterna, summa iucunditas participem esse felicitatis et deliciarum Christi, summus honor, summa dignitas honorari a Deo.

Seipsum odisse significat Christum supra omnia diligere,

Tali autem tantoque proposito praemio, facile accenditur animus ad labores. Quid igitur faciendum est? Odisse animam suam, ministrare Christo et ipsum sequi. Odisse animam: *Abneget semetipsum;* [19] Qui *non odit... animam suam, non potest meus esse discipulus;* [20] qui non etiam propter Christum vitam ipsam contemnit, nam: Qui diligit aliquid supra me, *non est me dignus.* [21] Deus enim super omnia diligendus est; Christus autem Dominus noster verus Deus est, naturalis Filius Dei. Non vult Deus ut nos ipsos odio habeamus, qui vult ut inimicos etiam diligamus; [22] sed ut ipsum tantopere diligamus, ut amor noster erga nos comparatione amoris erga Deum odium potius mereatur dici quam amor. Nam in Divinis Litteris minus diligere ac veluti contemnere odisse dicitur. [23] Caritas hoc facit, ut Deum summopere diligentes, nos ipsos vitamque nostram propter ipsum facile contemnamus ac pessumdemus, flocci naucique pendamus. Hoc est odisse animam propter Christum. Hinc sequitur ministerium: *Qui mihi ministrat:* servit autem Deo qui Deum colens timensque, divina mandata custodit; Christum autem sequitur qui virtutum divinarum ipsius imitatur

mandata eius custodire et exempla imitari.

16) Hebr 12, 2. 17) Cf. 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7. 18) 1 Petr 1, 12.
19) Mt 16, 24. 20) Lc 14, 26. 21) Mt 10, 37. 22) Cf. ibid. 5, 44 sqq.
23) Cf Gn 29, 31; Dt 21, 15; Mal 1, 2-3.

exempla, nam: *Exemplum,* inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci . . . ita et vos faciatis ;* [24] *Discite a me, quia mitis sum et humilis,* etc. [25]

Talia praestitit Beatus Laurentius: odit animam suam, Christo ministravit Christumque et in vita et in morte imitatus ex animo fuit; Deum, inquam, Christumque vera caritate, ex toto corde dilexit, ac propterea propriam vitam totumque seipsum contempsit, flocci nihilique propter Christum pendens, imo ex animo perdere propter Christum cupiens; propterea se totum divino cultui et Christi ministerio dedicavit factus ecclesiasticus non dignitatum aut divitiarum cupiditate, sed serviendi Deo caritate. Sic Christum secutus fuit optimus vitae Christi virtutumque ipsius imitator, totus sanctus, perfectus, Dei cultor et amator, portans imaginem hominis coelestis Christi Iesu Domini nostri. [26]

Talia praestitit B. Laurentius: Christum vera caritate imitatus fuit,

Et ecce praemia: iam vitam consecutus est cum beatis et immortalibus spiritibus in coelo; iam fruitur perpetua cum Christo felicitate in paradiso; iam eum a Deo honoratum cernimus, non solum in coelo coram Angelis, verum etiam in terra coram hominibus. Honoratus fuit a Deo in vita, nam in urbe Roma fuit intimus Summi Romani Pontificis Xysti Papae Sanctissimi; fuit ipsius diaconus, fuit Romanae Ecclesiae thesaurarius bonorumque ecclesiasticorum dispensator. [27] Sed post mortem quam maxime, nam in honorem ipsius universum per christianum orbem, maxime vero in urbe Romae, multae et quidem magnificentissimae aedificatae ecclesiae sunt templaque celeberrima et festum ipsius ab universa catholica Ecclesia maxima cum solemnitate celebratur.

ideo summam gloriam in coelo et in terra obtinuit.

Qui odit animam suam, etc. Docet Dominus consistere viam perditionis vel salutis nostrae in abusu vel bono usu affectuum animi nostri, maxime vero amoris et odii. Si male amaverimus, dubio procul peribimus; si autem bene, salvi erimus. Bona enim voluntas bonorum omnium causa est; mala autem voluntas radix malorum. Amor proprius venenum letale est; sanctum autem odium sui antidotum salutare: *Qui odit animam suam* propter me, *in vitam aeternam custodit eam.* Amat animam suam qui vivit secundum carnem,

Docet Dominus in quo consistat via perditionis vel salutis.

24) Io 13, 15. 25) Mt 11, 29. 26) Cf. 1 Cor 15, 49. 27) Cf. Prudentius *Peristephanon,* hym. 2, vrr. 1-310, (P. L. 60, 294-316).

nam: *Si... secundum carnem vixeritis, moriemini;* odit seipsum qui carnem suam mortificat: *Si... spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis;*[28] hinc: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[29] Amor proprius est dulce venenum, sed sanctum odium sui medicina est, amara quidem, sed salutaris.

Ponitur in hodierno Evangelio meritum et praemium passionis Christi.

IV. *Nisi granum frumenti cadens in terram,* etc. Plenum est hodiernum Evangelium meritis et praemiis tum Christi tum servorum ipsius. Ponitur in primis meritum et praemium passionis Christi, de quo Isaias: *Si posuerit pro delicto animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu eius prosperabitur,*[30] hoc est *multum fructum affert.*[31] Sibi quidem fructum gloriae attulit sua passione Christus: *Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc.; nobis autem fructum salutis aeternae.

Sola fides in meritis Christi non sufficit ad salutem,

Mirum autem est quod, cum Dominus agat in hoc Evangelio de fructu passionis suae, non statim subiungit: hoc tantum credite et salvi eritis, sicut alibi visus est insinuasse: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum,* etc.[32] Nam novi evangelistae, Lutherus[33] et Calvinus,[34] ita docent et novi evangelici credunt nihil aliud ad salutem opus esse, solum Christi meritum sufficere, et quidem abunde, alioquin non fuisset Christus perfectus redemptor et salvator, quod nefas est dicere.

sed requiritur etiam imitatio passionis eius,

At vero Christus, cum hodie proximus passioni, nam in die palmarum haec verba dixit Ierosolymam tanquam rex triumphator ingressus,[35] cum, inquam, proximus passioni ageret[36] de passionis et mortis suae fructu, non hoc docuit quod haeretici docent, sed statim subiungit: *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit,* etc., docens quod postea Paulus expressius dixit: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,*[37] et alibi *Romanis: Heredes qui-*

28) Rom 8, 13. 29) Gal 5, 24. 30) Is 53, 10. Ex hebraico. 31) Io 12, 25.
32) Ibid. 3, 14-15. 33) Cf. *De Captivitate Babylonica,* W. L. t. 2, f. 74ᵃ; *Assert. Art. 2,* ibid. f. 99ᵇ; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum,* ibid. f. 347ᵃ; *Comment. Post. in Epist. ad Gal. Praefat.,* ibid. t. 5, f. 269ᵇ: *Confessio Augustana,* I. L. t. 4, f. 162; *Epist. ad Card. Caietanum,* t. 1, epist. f. 88ᵃ sqq.; epist. f. 345.
34) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei,* t. 4, *De Iustificatione,* lib. 2, cp. 1, col. 777. 35) Cf. Io 12, 12-15. 36) Ms.: *Agere.* 37) Act 14, 21.

dem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur ut et conglorificemur; [38] et 2 *Timotheo: Fidelis sermo, nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus;* [39] sic et Dominus ipse: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* [40]

Hinc passio Christi proponitur in Divinis Litteris non solum ut sacrificium ad placandum Deum, nec solum ut beneficium ad salvandum humanum genus et ut certamen Christi et victoria contra satanam, sed etiam ut exemplum: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* [41] Sic proponitur hodie Christi passio in exemplum, quod Martyres imitati sunt, praecipue vero Beatissimus Laurentius. Memor enim sententiae P a u l i *Hebraeis: Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera... Dei sedet:* [42] in Christum semper aspiciens tanquam in vivum exemplar, sustinuit poenas intollerabiles acerbissimumque martyrium.

quae in exemplum proponitur,

quod B. Laurentius imitatus fuit.

Sicut autem P a u l u s duo ibi dicit consideranda, nempe Christi exemplum et praemium certaminis huius, ita plane duo haec habemus in hodierno Evangelio: exemplum passionis Christi et praemium huius imitationis. Haec duo vel maxime accendunt in bello milites ad fortiter pugnandum: exemplum imperatoris et praemium victoriae ac triumphi.

V. *Qui odit animam suam... in vitam aeternam custodit eam.* Mirum est quod Dominus hominem ad odium sui ipsius hortatur, quod videtur legi ipsius naturae quam maxime repugnare; *nemo enim unquam carnem suam odio habuit,* [43] et seipsum odisse sibique male velle animi profecto desperati ac perturbatissimi est et furentissimi. Sed sicut infirmus qui muliebri animo nimium sibi indulgens ac molestiam medelarum, inediae, ferri ignisque reformidans atque refugiens, seipsum procul dubio perdit, cum et utilia saluti recuset

Hortatur Dominus hominem ad odium sui,

38) 8, 17. 39) 2, 11-12. 40) Mt 16, 24. Vulg.: *Si quis vult post me venire,* etc. Affert ex Breviario Rom Comm. 1 Martyris, antiph. ad *Magnificat,* 2 Vesp.
41) 1 Petr 2, 21. 42) 12, 1-2. 43) Eph 5, 29.

et nocivis delectetur; qui autem forti constantique animo ut morbo curetur omnia sustinet nihilque sibi indulget ac veluti crudelis sibi factus, cunctis sibi voluptatibus interdicit, hic plane sanitatis salutisque est cupidus vitamque sibi servat; ita hic loquitur Dominus: *Qui amat animam suam*, etc., *qui odit animam suam* propter me. Qui vere amicus est ex animo, necesse est ut sit amicus amicorum et inimicorum inimicus; ita plane qui revera Dei amicus est Deumque ex corde diligit, non potest non amicus esse amicorum Dei et inimicorum inimicus. Hinc verus ille Dei amicus dicebat: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus,*[44] et in eodem *Psalmo: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos et inimici facti sunt mihi.*[45] Cum autem tres sint Dei et spiritus ipsius capitales inimici, nempe daemon, mundus et carnis nostrae sensus carnalisque et animalis appetitus, quisquis Deum ex animo diligit, hunc etiam inimico prosequi animo necesse est.

quia sensus noster carnalis inimicus est spiritus Dei.

Qui odit animam suam. Cum unusquisque nostrum sit natura filius irae[46] et propter legem, quae in membris nostris repugnat legi mentis nostrae, qua secundum interiorem hominem condelectamur legi Dei,[47] necesse est ut quisque seipsum oderit quatenus legi Dei adversatur et contrarius est virtuti, nam quia *caro... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur,*[48] necesse est ut partes spiritus contra carnem sequamur, ac sic ipsi, quatenus spirituales secundum interiorem hominem, oderimus nosmetipsos quatenus animales, secundum hominem exteriorem, pugnat spiritus contra carnem, caritas contra inimicam cupiditatem.

VI. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui*, etc. Continetur hac sententia doctrina, promissio et vaticinium: doctrina, quod servitus Christi digna honore est; promissio, quia promittitur ei honor tanquam praemium et corona; vaticinium, quia: *Honorificabit*, inquit, *eum Pater meus qui in coelis est.*

Continetur hac sententia doctrina, promissio et vaticinium.

44) Ps 138, 17. 45) Vrr. 21-22. 46) Cf. Eph 2, 3. 47) Cf. Rom 7, 22-23.
48) Gal 5, 17.

Legens Sancta Ecclesia catholica hoc Evangelium in die Sancti Laurentii, in laudem ipsius hoc praedicat, quod Laurentius fuerit minister Christi: *Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit,* traditque meritum ipsius et praemium: *Si quis mihi ministrat, me sequatur,* hoc meritum est; *Ubi ego sum, illic et minister meus erit,* hoc praemium est.

quae omnia plene confirmata videmus in Beato Laurentio.

Fuit in vita Laurentius servus Christi, post mortem autem factus est socius et consors gloriae Christi, honoratus a Patre Christi: *Honorificabit eum Pater meus qui est in coelis ;* nam ait: *Qui honorificaverit me, glorificabo eum.* [49] Servus Christi fidelis et prudens, cui tandem dictum est: *Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* [50] Minister et servus Christi, qui per viam perfectionis Christum secutus est: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me et habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [51] Non fuit contentus ingredi per communem viam salutis: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ;* [52] voluit perfectus esse Christi servus, propterea saeculo renunciavit ut Christo perfectius in ecclesiastico ministerio inserviret. Servivit autem Christo primo quidem animo, bene usus animi affectibus, amore et odio; deinde vero operibus, ex ardenti in Christum caritate, ac demum perfecta virtutum morumque Christi imitatione, cum in vita tum etiam in morte, fuso sanguine pro Christi nomine gloriosoque martyrio vitam finiens.

Triplex est praemium ministrorum Christi: vita aeterna,

Quae in hoc Evangelio dicuntur de praemiis ministrorum Christi: *In vitam aeternam custodit; Illic et minister meus erit,* et *honorificabit eum Pater meus,* declarari videntur in *Apocalypsi,* capite 2 et 3, ubi Christi servus proponitur sub metaphora militis; quod etiam in hodierno Evangelio insinuatur dum dicitur: *Qui mihi ministrat, me sequatur,* sequitur enim miles suum ducem. Nam quoad primum praemium, quod est vita aeterna, ibi dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei;* [53] et iterum: *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda ;* [54] itemque: *Vincenti dabo manna absconditum et dabo ei calculum candidum et in calculo nomen scri-*

49) 1 Rg 2, 30. Vulg.: *Quicunque honorificaverit me.* 50) Mt 25, 21. Vulg.: *Super pauca... super multa.* 51) Ibid. 19, 21. Vulg.: *Et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.* 52) Ibid. vr. 17. 53) 2, 7. 54) Ibid. vr. 11.

plum, quod nemo novit nisi qui accipit. [55] Quod prius dixerat: *Non laedetur a morte secunda,* nunc dicit dari *calculum candidum,* alludens ad morem antiquum multarum gentium quo calculis candidis absolvebantur rei, nigris autem damnabantur. [56]

participatio gloriae et potestatis Christi

Quod autem spectat ad secundum praemium: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit,* dicitur in *Apocalypsi* quarto loco: *Qui vicerit et custodierit opera mea usque in finem, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea ... sicut et ego accepi a Patre meo, et dabo illi stellam matutinam,* [57] utique illam de qua dicitur: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.* [58] Sic ponitur servus Christi particeps gloriae Christi illiusque potestatis, de qua ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [59] Et ad haec etiam spectat quod quinto loco dicitur: *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vitae,* [60] idest: semper meus amicus erit et particeps meae gloriae et amplius confitebor nomen eius coram Patre meo et coram Angelis eius. [61]

et summus honor.

Tandem, quod spectat ad tertium praemium: *Honorificabit eum Pater meus,* declaratur hic honor in *Apocalypsi : Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei et foras non egredietur amplius,* idest nunquam egredietur de templo Dei, sed stabilis erit sicut columna, *et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis novae Ierusalem... et nomen meum novum,* [62] hoc est insigni honore in coelo, donabitur. Sicut Paulus *Galatis* dicit de Petro, Iacobo et Ioanne, quod *videbantur columnae esse,* [63] idest principe loco in Ecclesia insignique gradu et honore ac dignitate erant.

Tandem dicitur quod spectat ad honorem: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.* [64] Hic summus est honor, cum Christo non tantum vivere, verum etiam regnare in coelo, sicut et in iudicio sedentes Sancti iudicabunt mundum: [65] *Illic et minister meus erit,* et *honorificabit eum Pater meus.*

55) Ibid. vr. 17. Vulg.: *Dabo illi calculum... quod nemo scit,* etc. 56) Ovid. *Metamorph.*, lib. 15, vrr. 41-42:

« Mos erat antiquus niveis atrisque lapillis
His damnare reos, illis absolvere culpae ».

57) 2, 26-28. Vulg.: *Usque in finem opera mea,* etc. 58) Ibid. 22, 16. 59) Mt 28, 18. 60) Apc 3, 5. 61) Cf. Mt 10, 31. 62) 3, 12. 63) 2, 9. 64) Apc 3, 21. 65) Cf. Mt 19, 28.

Multis nominibus appellantur Sancti et electi Dei in Sacris Divinisque Scripturis, sicut et Christus electorum omnium caput; sed praecipue *servi Dei*[66] et *filii*[67] appellantur: servi natura, filii gratia; servi conditione, filii dilectione; servi per creationem, filii per recreationem.

Sic B. Laurentius a Deo honoratus fuit in vita, in morte et post mortem.

Laurentius autem servus Dei fuit bonus, fidelis et prudens, *quem constituit Dominus super familiam suam.*[68] Ut autem bonus et fidelis servus Christi honoratus est a Deo in vita et in morte et post mortem. In vita donatus clericatus honore, dignitate archidiaconatus Romanae Ecclesiae, cuius et thesaurarius fuit, unice dilectus tanquam filius carissimus Summo Pontifici Xysto Sancto Papae, qui spiritu prophetico donatus fuit; in morte clarus martyrio illustrissimo summaque virtute et constantia nec non miraculorum gloria, ac post mortem magnis honoribus cum in coelo tum in terra.[69]

66) Cf. Nm 12, 7-8; 14, 24; 32, 31; 3 Rg 11, 13. 32. 34. 38; Iob 1, 8; 2, 8. 67) Cf. Ps 28, 1; 33, 12; 81, 6. 68) Mt 24, 45. 69) Cf. S. Ambrosius hymn. 73, vrr. 5-30, (P. L. 17, 1216-1217); Prudentius *Peristephanon*, hymn. 2, vrr. 21-32, ibid. 60, 296-297. In codice sequitur dies Assumptionis B. M. V., cuius sermones in *Mariali* editi fuerunt, pag. 569-595.

DIES DECOLLATIONIS SANCTI IOANNIS BAPTISTAE

Misit Herodes ac tenuit Ioannem et vinxit eum in carcere propter Herodiadem, uxorem fratris sui Philippi, quia, etc. [1]

Elias persecutionem passus figura Ioannis Baptistae.

I. Sicut Elias vates sanctissimus propter zelum Dei et praedicationem veritatis acerbissimas sustinuit ab Achab rege et impia regina Iezabele persecutiones, [2] ita Ioannes, qui venit *in spiritu et virtute Eliae,* [3] ob easdem causas mortalem passus est persecutionem ab impio rege Herode et impiissima Herodiade, adultera regina. Elias ferventissimo Dei zelo ardens palam arguit regem Achab idololatriae; [4] Ioannes autem Herodem turpis adulterii: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* [5]

Causa mortis Ioannis fuit praedicatio veritatis.

II. Agit hodiernum Evangelium de martyrio Ioannis, ostendens causam, modum, tempus, locum et finem. Causa fuit praedicatio veritatis, nam apud impios

« Veritas odium parit », [6]

sic Achab oderat sanctum Dei vatem Michaeam, quoniam veritatem dicebat. [7] Sicut virga Moysi proiecta in terram, conversa fuit in serpentem coram Pharaone, impio rege Aegypti, devoravitque omnes serpentes magorum Pharaonis, et iterum conversa in virgam fuit, [8] sic correctio Ioannis ipsi Herodi venenatus fuit serpens; sed non devoravit serpentes qui in ipsius pectore degebant, non abstulit ipsius vitia et peccata, sed letalis serpens illi fuit, imo ipsum ve-

1) Pericope huius diei Mc 6, 17-29. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Philippi fratris sui*, etc.
2) Cf. 3 Rg 19, 1-2. 3) Lc 1, 17. 4) Cf. 3 Rg 18, 18-19. 5) Mc 6, 18.
6) Terentius *Andria*, act. 1, sc. 1, vr. 68. 7) Cf. 3 Rg 22, 13-18. 8) Cf. Ex 7, 8-12.

luti in serpentem et draconem convertit. O mirabilis peccati metamorphosis! hominem in leonem et draconem convertit.

In impio Herode cernitur odium veritatis.

Impius iste Herodes prius homo videbatur, humanus valde erat ipsi Ioanni, nam ait Marcus quod *metuebat Ioannem sciens eum virum iustum et sanctum et custodiebat eum*, quoniam Herodias insidiabatur ei et volebat occidere eum. Ipse ergo custodiebat Ioannem ab Herodiade, *et audito eo multa faciebat et libenter eum audiebat*, [9] quae quidem optimi et humanissimi principis opera videntur. At vero, cum acri Ioannis correctione ad vivum tactus fuit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, non fecit sicut David correptus a Nathan de adulterio cum Bethsabee et homicidio Uriae, [10] David nanque correptus, statim facti poenitens ait: *Peccavi Domino;* [11] sed ira accensus misit impios ministros sacrilegosque satellites et tenuit eum vinxitque in carcere ac tandem capite obtruncavit. [12] Non enim impii principes aequis auribus audiunt veritatem. Ioas, qui prius optimus rex videbatur, postea non ferens correptionem Zachariae sacerdotis, lapidavit eum atque occidit; [13] sic phraenetici insurgunt in medicum. Videns Ioannes Herodem mortali morbo laborantem, tanquam optimus medicus optimam et saluberrimam ei medicinam dedit; sed ex prava illius dispositione facta est ei in venenum mortiferum.

In Ioanne vero caritas et zelus divini honoris.

Cernitur autem in Ioanne corripiente maxima caritas, ardentissimus zelus divini honoris, flagrantissimum ignitissimumque desiderium salutis animarum, sicut ait Dominus: *Erat* Ioannes *lucerna ardens et lucens.* [14] Ardebat tanquam ignis et lucebat ut sol; sed lux huius solis nocuit infirmis oculis adulteri regis eumque excaecavit, talemque ac tantam lucem ferre non valens, iussit eum occidi praecepitque afferri caput eius in disco. Sic mortuus est vir sanctissimus Ioannes, angelus inter homines, propheta maximus inter Angelos, prius sanctus quam natus, [15] quo dignus non erat mundus. [16] Sic occisus est hodie innocentior Abele, [16a] sanctior Enoch, [17] perfectior Noe, [18] iustior patriarchis, Deo carior prophetis, Christo si-

9) 6, 20. 10) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 11) Ibid. 12, 18. 12) Cf. Mt 14, 1-12; Mc 6, 14-28; Lc 9, 7-9. 13) Cf. 2 Par 24, 1-22. 14) Io 5, 35. 15) Cf. Lc 1, 15. 16) Cf. Hebr 11, 38. 16a) Cf. Gn 4, 4-8. 17) Cf. ibid. 5, 22-24. 18) Cf. ibid. 6, 9.

millimus, Ioannes, praedictus a Prophetis: *Vox clamantis in deserto;* [19] promissus in Scripturis: *Ecce ego mitto Angelum meum;* [20] praenunciatus ab Angelis: Nascetur tibi filius, nomen eius Ioannes vocabitur, [21] *ipse praeibit ante illum in spiritu et virtute Eliae... parare Domino plebem perfectam;* [22] laudatus a Christo: *Inter natos mulierum non surrexit maior;* [23] honoratus et glorificatus a Deo: « Iste puer magnus coram Domino, nam et manus eius cum ipso est ». [24] Sic occisus est hodie vir innocentissimus, iustissimus, sanctissimus, amicissimus Christo et carissimus Deo et Angelis eius.

Duplex fuit causa mortis Ioannis: magna ipsius caritas et Herodis summa iniquitas.

Causa autem mortis ipsius duplex fuit: magna ipsius caritas et summa Herodis iniquitas. Ait enim Lucas: *Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui et de omnibus malis quae fecit... adiecit et hoc super omnia et inclusit Ioannem in carcere.* [25] Odium ergo veritatis et amor iniquitatis Ioannem occidit, maxime vero libido insatiabilis, quae causa fuit ut David Uriam occideret, [26] et ut Salomon idola coleret dementatus amore mulierum. [27] Haec causa fuit ut Herodes Ioannem occideret; libido enim quam maxime hominem dementat, ait enim: *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor,* [28] hoc est sicut vinum valde potens inebriat hominem, ebrietas autem privat hominem sana mente et intellectu, ita et fornicatio inexplebilisque libido, quoniam mentis ebrietas est.

Libido causa est multorum malorum.

O qualium et quantorum malorum in causa sunt inhonestae mulieres! Initium peccati mulier fuit, [29] praecipua causa diluvii mulieres, nam ait quod *videntes filii Dei filias hominum quod essent pulcrae, acceperunt sibi... ex omnibus quas elegerant;* [30] sic videns mundum Deus totum in carnem conversum, ad extinguendas flammas libidinis misit aquas diluvii. [31] Sic amor malarum mulierum causa est extremae ruinae mundi totius. Sicut Dina in causa fuit perditionis totius civitatis Sichem [32] et una Helena causa extitit destructionis florentissimae civitatis et totius regni Troianorum; [33]

19) Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4. 20) Mal 3, 1. 21) Cf. Lc 1, 13. 22) Ibid. vr. 17. Vulg.: *Ipse praecedet*, etc. 23) Mt 11, 11. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior.* 24) Breviarium Rom. in festo S. Ioannis Bapt., ℣. ad *Laudes* et *Vesp.* 25) 3, 19-20. 26) Cf. 2 Rg 11, 2 sqq. 27) Cf. 3 Rg 11, 1-8. 28) Os 4, 11. 29) Cf. Gn 3, 1-6. 30) Ibid. 6, 2. 31) Cf. ibid. vrr. 5-17. 32) Cf. ibid. 34, 1 sqq. 33) Cf. Plutarchus *Vita Thesei*, fol. 5-6; *Antonii Vita*, fol. 310.

sic Herodias ista multorum causa malorum fuit: ut Herodes propriam uxorem dimitteret filiam Aretae regis Arabiae; hinc exortae sunt inimicitiae et bella Herodisque exercitus ab exercitu Aretae fusus fere totus interiit in vindictam talis tantique flagitii, quod in Ioannis morte patratum est, ut I o s e p h u s ait libro 18 *Rerum Iudaicarum*, capite 10. [34]

Ostendit etiam hodiernum Evangelium modum iniustum quo Ioannes damnatus ad mortem fuit.

III. Modus autem damnationis Ioannis insolentissimus extitit. Damnatus enim ad mortem est sine crimine vel vero vel praesumpto, absque processu, sine accusatore, sine testibus, sine ullis indiciis, sed tantum de mandato regio, ad petitionem meretricis, in praemium impudicae saltatricis. [35] Nullum crimen legimus de Ioanne, nisi tantum falsam calumniam improborum; ait enim Christus: *Venit... Ioannes non manducans neque bibens, et dicunt: daemonium habet.* [36] Sed Herodes sciebat hanc falsam esse calumniam, nam sciebat ipsum esse *iustum et sanctum*, [37] sicut homines et Angeli, Prophetae, Christus et Deus testati sunt; sed in praemium saltatricis, sub pretextu non violandae religionis occiditur: *Propter iusiurandum et propter simul discumbentes noluit eam contristare.* [38] O praeposteram, impiam, infernalem et diabolicam religionem! Non revocabatur religione divinae legis ab impietate in fratrem, cui uxorem contra omne ius abstulerat, neque ab impietate in propriam uxorem, quam iniuria expulerat propter adulteram, et religionem putat non frangere fidem stultissimi iuramenti de re supra modum illicita, iniusta, nequissima!

Fides, etiam iuramento firmata, nonnisi in licitis et honestis servanda est.

Haec est impiorum principum conscientia, qui cum omnem religionem spernant, saepe tamen sub pretextu religionis horrenda facinora perpetrant multaque contra omnem legem naturalem, divinam, humanam, contra iura omnia, contra omnem iustitiam faciunt sub pretextu datae fidei factique promissi, quod non deceat principem promissis non stare, quod verbum principis inviolabile oportent esse. Sic Herodes stultissimum ac temulentum promissum servare nequissime voluit ne a discumbentibus fractor fidei et

34) Iuxta nostram editionem lib. 18, cp. 7, pag. 402. 35) Cf. Mt 14, 3-11; Mc 6, 17-28. 36) Mt 11, 18. Vulg.: *Neque manducans*, etc. 37) Mc 6, 20. 38) Ibid. vr. 26.

periurus haberetur, nil veritus si princeps iniustus et impius homicida haberetur. Fides autem, etiam iuramento firmata, nonnisi in licitis et honestis servanda est, non autem in malis iniquisque promissis. Impius autem hic merito a Christo *vulpis* est appellatus, [39] quoniam sub pretextu pietatis iusiurandi non frangendi summam patravit impietatem. Et quidem admiratione dignum est quod nemo ex principibus Galilaeae, qui divina lege instructi erant, impium regem a tali impietate averterit.

Ostendit et tempus insolitissimum,

IV. Tempus autem extitit insolitissimum, aptissimum ad libertate vitaque donandos [40] reos mortis, non ad morte plectendos innocentes. In die natalis sui impius rex damnat ad mortem prophetam sanctissimum, et hora convivii ac deliciarum afficit extremo supplicio innocentem, exectumque caput divini vatis epularum more in disco defertur ad mensam, proprio veluti natans in sanguine. Quid horribilius vel imaginari quis potest, epulas cum humano sanguine commiscere?

maximae enim crudelitatis est epulas humano sanguini ad delicias commiscere.

Divus Hieronymus *super Matthaeum,* [41] Livius libro 39 [42] et Seneca libro 5 *Controversiarum* referunt, quod Quintus Flaminius dux Romanorum, cum Placentiae proconsul esset, rogatus a meretrice, quae ipsius erat amasia, dum secum discumberet, ut simile spectaculum videret, quoniam decollatum hominem nunquam viderat, propterea quod ei morem gessit unumque ex damnatis in convivio ante triclinium capite truncari praecepit, a censoribus tanquam reus maiestatis curia pulsus fuit, quod epulas sanguini commiscuerit et mortem, quamvis noxii hominis, in alterius delicias praestiterit; et summae crudelitati Mario tribuitur quoniam, ut Plutarchus ait, rabie civilis belli eo adactus fuit, ut exectum caput Antonii consularis summa animi insolentia laetis manibus contrectaret. [44] Divus Hieronymus *Apologia in Rufinum* ait quod Herodias discriminali acu sanctissimam divini vatis linguam perforabat, sicut Fulvia linguam

39) Cf. Lc 13, 32. 40) Ms.: *Donando.* 41) *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 2 (P. L. 26, 98). 42) *Historiae Romanae ab Urbe condita*, cp. 43, pag. 1049.
43) *Controversia 25*, pag. 579. 44) Hoc non Plutarchus dicit, sed Valerius Maximus *Dictorum Factorumque Memorabilium Exempla*, lib. 9, cp. 2, pag. 768.

Ciceronis.[45] O spectaculum summae impietatis! O muliebrem iram ab infernalibus furiis concitatam! O acerbissimum et mortalissimum odium veritatis!

V. Locus tandem quo martyrizatus fuit Ioannes extitit carcer obscurus, domus iniquitatis, locus sceleratorum; et finis, ad satisfaciendum impuro amori adulterae mulieris et meretricis. Occidit sanctum vatem ut liberius luxuriari posset et adulterari absque ullo scrupulo; tulit de medio Ioannem, quoniam erat ei veluti acuta spina in oculis, nec ferre aequo animo poterat acres ipsius correptiones; ab ipso enim de omnibus malis arguebatur, super omnia vero de impio adulterio contra ipsiusmet naturae iura. Multam sibi felicitatem promittebat Herodes, si Ioannem de medio tolleret, quod tunc absque ullo scrupulo potuisset in pace cum sua adultera vivere. Sed contra accidit, nam ob sua scelera a Caio Romanorum imperatore regno privatus fuit et relegatus pulsusque in exilium Lugdunum in Gallia.[46] Accidit ei sicut primis parentibus nostris qui, suadente diabolo, multam sibi felicitatem promittebant, si de vetita arbore comederent; sed contra evenit, propterea enim pulsi a paradiso in extremam devenere miseriam;[47] sicut et Iudaeis postea accidit, existimantes enim Christi morte suam rempublicam servaturos, eam funditus everterunt; ne statum amitterent, Christum occiderunt; sed quia Christum occiderunt, propterea amiserunt statum.

Ostendit locum ubi Ioannes occisus fuit, et finem.

Herodes Ioannem occidit ad liberius luxuriandum, sed contra accidit.


Nec tamen existimandum est quod sine Dei consilio divinaque dispensatione et providentia per manus impiorum mortuus est Ioannes; sed talem mortem passus est in terra, ut beatissimam aeternamque vitam mereretur in coelo, omni gloria et honore coronatus; ut non tantum acciperet coronam iustitiae,[48] gloriam essentialem: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso,*[49] sed etiam una cum corona virginitatis et sacri magisterii ac doctoratus: *Qui ... docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellae in perpetuas aeternitates;*[50] sed etiam

Divina dispensatione Ioannes talem mortem subiit, ut maxima gloria exaltaretur in coelo.

45) Lib. 2, (P. L. 23, 488). 46) Cf. Ios. Flavius *De Bello Iudaico*, lib. 2, cp. 16.
47) Cf. Gn 3, 1 sqq. 48) Cf. 2 Tim 4, 8. 49) Ps 20, 4. 50) Dn 12, 3. Vulg.: *Docti fuerint... quasi splendor... quasi stellae*, etc.

coronam martyrii: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* propter passionem carnis, *gloria et honore coronasti eum:* [51] voluit Ioannem humiliari usque ad mortem facinorosorum, ut exaltaretur in coelo supra gloriam Angelorum. Occiditur in die natalis regis, quoniam hodie Ioannes in terra mortuus, natus est in coelo ad aeternam vitam summamque regni coelestis dignitatem; mortuus hora convivii et ad regale convivium allatum est sacrum caput ipsius, quoniam ipsius anima transibat ad aeternas delicias coelestis convivii in paradiso gloriae magni Dei; mortuus est in carcere, ut tanquam alter Ioseph de carcere transiret ad primos summosque regni coelestis honores, constituendus princeps paradisi, sicut Ioseph princeps totius regni Aegypti de carcere eductus constitutus fuit. [52] Migrat de tenebris ad sempiternam lucem, a loco impietatis ad locum divinae sanctitatis, a domo reorum in paradisum Angelorum. O mirabilem metamorphosim, si quis nunc videre posset Ioannem in paradiso, sicut Lazarum mendicum in sinu Abrahae et Herodem in inferno cum impio illo epulone! [53]

51) Ps 8, 6. 52) Cf. Gn 41, 14-45. 53) Cf. Lc 16, 19-24. Deinde, tribus foliis albis relictis, transitur ad homiliam Comm. Doctorum.


Dies Exaltationis S.tae Crucis.

Nunc iudicium est mundi nunc princeps huius mundi eiicietur foras. et ego si exaltatus fuero a terra etc.

FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

DIES EXALTATIONIS SANCTAE CRUCIS

Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero a terra, etc. [1]

Merito passio et mors Christi exaltatio dicuntur,

I. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia solemne festum mirabilis et divinae exaltationis Sanctae Crucis, quae lignum fuit quo a Moyse exaltatus fuit aeneus serpens in deserto; [2] nam ad illud mysterium Christus alludit dicens: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* [3] sicut et alias ad Nicodemum ait: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [4] Non immerito Christi passio et mors [exaltatio dicuntur], quoniam in ea exaltata mirabiliter est Dei caritas, misericordia et iustitia, Christi potentia, sapientia et bonitas sanctitasque, humanae naturae dignitas et pretium apud Deum, valor gratiae Spiritus Sancti iustificantis et sanctificantis [5] hominem, pernicies peccati, quod venenum est letiferum et mortalissimum, poena inferni cum potestate et malitia diaboli et tandem gloria paradisi cum dignitate angelicae naturae; nam ad haec omnia declaranda et demonstranda Christus Dominus noster ex voluntate Patris exaltatus fuit in cruce.

mirabiliter enim Christus per crucem exaltatus fuit.

Quamvis autem multas in Divinis Scripturis legamus mirabiles exaltationes, omnium tamen mirabilissima est exaltatio crucis et crucifixi. Mirabilis fuit exaltatio Enoch, Noe, Abrahae, Ioseph, Moysi, Gedeonis, Samsonis, Saulis, Davidis, Eliae, Elisei, Danielis,

1) Pericope huius diei Io 12, 31-36. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Nm 21, 9. 3) Io 12, 31. 4) Ibid. 3, 14-15. 5) Ms.: *Iustificans et sanctificans.*

Mardochaei et aliorum, quos divina opera legimus exaltatos; sed maxime omnium mirabilis exaltatio crucis et crucifixi; nam Christus humiliavit se non solum usque ad humilem paupertatem pastoralis vitae Moysi,[6] Saulis[7] Davidisque,[8] nec solum usque ad statum servitutis Danielis[9] et Mardochaei,[10] *formam servi accipiens*, sed humiliavit se *usque ad mortem, mortem autem crucis*,[11] quod erat infame patibulum et vilissimum turpissimumque genus mortis, quo infames latrones suspendebantur.[12] Nunc autem Crucifixus ab hominibus, ab Angelis, ab ipsis etiam daemonibus tanquam Deus verus, rex gloriae adoratur: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum*,[13] et crux nunc ornamenti est regalium et imperialium sceptrorum et coronarum. Gladius, quo David philisthaeum gigantem peremit, honorifice asservabatur in tabernaculo Domini;[14] virga Moysi et Aaron, quoniam miraculo viruit floruitque, fronduit et fructificavit, reposita fuit intra sancta sanctorum, ubi erat propitiatorium divinae maiestatis thronus.[15] Crux autem, mortis lignum, attulit vitam mundo, edidit maximo miraculo aeternae vitae fructum factaque est arbor illa afferens fructus duodecim perpetuo tempore, omnibus anni mensibus fructificans.[16]

Duodecim sunt singulares fructus crucis,

II. Duodecim autem singulares et saluberrimos divinissimosque attulit fructus. Primus est placatio irae divinae et satisfactio divinae iustitiae pro peccatis totius mundi, unde reconciliatus et pacificatus est mundus per crucem Deo. Secundus est redemptio a morte aeterna et poenis inferni, potestate diaboli et servitute peccati; sic per virgam Moysi eductus fuit Israel de Aegypto.[17] Tertius est vocatio gentium ad veram Dei cognitionem, fidem et religionem, deserta atque destructa impietate idololatriae et cultu adorationeque daemonum, sicut per crucem Ecclesiam aedificata est

6) Cf. Ex 3, 1. 7) Cf. 1 Rg 9, 1 sqq. 8) Cf. ibid. 16, 11-13. 9) Cf. Dn 1, 1-6. 10) Cf. Est 1, 5-7. 11) Phil 1, 7-8. 12) Cf. Iustus Lypsius *De Cruce*, lib. 1, cp. 13, t. 3, pag. 654. 13) Phil 2, 9-10. 14) Cf. 1 Rg 17, 54; 21, 9. 15) Cf. Nm 17, 1-10. S. Auctor asserere videtur unam eandemque esse virgam Moysi et Aaron. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*, sub voce: *Virga*. 16) Cf. Ez 47, 12; Apc 22, 2.
17) Cf. Ex 4, 17.

constructumque divinum tabernaculum. Quartus est iustificatio et sanctificatio per gratiam Spiritus Sancti, ita ut ipsemet Spiritus Sanctus daretur credentibus fieretque omnis homo per fidem templum Spiritus Sancti.[18] Quintus est gratia Sacramentorum omnium, quae pro salute humani generis per crucem instituta sunt in remissionem omnium peccatorum et ad conferendam vel adaugendam gratiam Dei, quae thesaurus est infiniti valoris. Sextus gratia omnium virtutum et donorum Spiritus Sancti, maxime vero caritas, qua ex toto corde Deum super omnia diligamus et proximos sicut nos ipsius.[19] Septimus est virtus ad superandas omnes tentationes diaboli, mundi et carnis; hinc in Ecclesia tot Martyres, Confessores et Virgines. Octavus est virtus non solum ad perfecte servandam divinam legem, sed etiam ad ducendam vitam sanctissimam in statu evangelicae perfectionis: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus... et veni, sequere me;*[20] hinc tot Religiones in Ecclesia Dei, in quibus homines ducunt vitam angelicam in sancto Dei servitio. Nonus est meritum ut in omnibus necessitatibus nostris orationes nostrae exaudiantur a Deo semperque precibus nostris apertum sit coelum divinumque propitiatorium revelatum, ita ut pro libito bonae voluntatis divinas possimus aures habere ad divinam misericordiam implorandam et obtinendam. Decimus fructus est meritum bonorum operum, ita ut bonum opus ex caritate factum, quamvis minimum sit, minima eleemosyna, dare propter Deum unum aeris minutum, quartam partem quadrantis, calicem aquae frigidae,[20a] mereatur de condigno ob virtutem crucis gloriam paradisi. Undecimus est quod per crucem facti sumus non solum amici, sed filii Dei; sic Christus in cruce Ioannem accepit in fratrem dicens: *Mulier, ecce filius tuus,* et: *Ecce mater tua:*[21] magnum est esse filium Dei, esse fratrem Christi. Duodecimus, tandem, quod per crucem facti sumus *heredes... Dei, coheredes autem Christi;*[22] hoc est quod a cruce Dominus paradisum promisit latroni petenti misericordiam: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum,* dicens: *Hodie mecum eris in paradiso.*[23]

18) Cf. Rom 8, 11; 1 Cor 3, 16; 6, 19; 2 Tim 1, 14. 19) Cf. Mt 22, 37-39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27. 20) Mt 19, 21. 20a) Cf. ibid. 10, 42. 21) Io 19, 26-27. 22) Rom 8, 17. 23) Lc 23, 42-43. Vulg.: *Memento mei, Domine cum,* etc.

qui hodie ad tres reducuntur.

In hodierno tamen Evangelio Christus omnes hos fructus ad tres reduxisse videtur dicens: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras; et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* [24]

ALIA HOMILIA

Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras, etc. [1]

Divinos honores S. Crucis Deus praedixisse visus est.

I. Celebramus hodie festum exaltationis Sanctae Crucis, quae magno et stupendo miraculo divinitus exaltata est et ad divinos usque honores elevata. Quod quidem Deus ipse praedixisse visus est, Ezechiele 17, cum ait: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile . . . siccavi lignum viride et frondere feci lignum aridum.* [2] Mirabile est quod hac una re gloriari videatur Deus. Sed si secundum litteram intelligatur, quid magnum est et Deo dignum deiicere in terram lignum alto loco positum erectumque, et humili loco positum in sublime erigere? Quod si per ligna aut arbores intelligantur homines, ut dicatur Deus exaltare humiles et humiliare superbos, sicut factum est in Moyse et Pharaone, [3] Iacob et Esau, [4] Davide et Saul, [5] Mardochaeo et Aman, [6] nec hoc magnum est, adeo ut Deus hac re tantopere glorietur; nam [quis] magnorum principum hoc non profitetur? Et tamen Deus hac una re magnopere gloriari videtur, et revera ita est. Erant tunc temporis duo ligna: unum supra modum sublime, alterum vero supra modum abiectum et vile; illud erat lignum arcae foederis Domini, quod erat summo in honore, ita ut divinis quodammodo honoribus coleretur: *Adorate scabellum pedum eius,* [7] quod secundum litteram de arca intelligitur; aliud erat lignum crucis, quod nonnisi turpissimae mortis infame patibulum erat, omnibus abominabile et execrandum. Et ecce mutatas vices: arcae illius supra modum honorabile adoran-

Crucis lignum prius supra modum abiectum et execrandum,

24) Reliqua media parte folii alba relicta, transitur ad sequentem homiliam.

1) Io 12, 31. 2) Vr. 24. 3) Cf. Ex 1, 1 sqq. 4) Cf. Gn 25, 2 sqq.; 28, 12 sqq. 5) Cf. 1 Rg 13, 11-14. 6) Cf. Est 7, 1-8, 1-2. 7) Ps 98, 5.

dumque lignum nunc omnino neglectum est, sicut per Ieremiam Dominus praenunciavit dicens: *Ait Dominus: non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur* amplius *illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* [8] Sic lignum, quod prius summo in honore erat, cuius causa aedificatum fuit magnificentissimum templum, in quo populus Dei omnem quodammodo spem suam collocaverat, unde divina dabantur responsa, quod summa religione colebatur, nunc prorsus nihil est; e contra vero, lignum crucis summo est in honore, summa religione colitur et adoratur, utique quia: *Ego Deus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile.*

nunc summo est in honore et summa religione colitur et adoratur.

Sicut autem lignum illud sacrosanctum summa fuit semper in veneratione veris Dei cultoribus sub Veteri Testamento, ita lignum Sanctae Crucis veris christianis vereque catholicis sub Novo. Non enim omnibus, nam Paulus multos sub christiano nomine inimicos deplorat crucis Christi dicens: Sunt multi, *quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est.* [9] Sic Paulus, qui nonnisi in cruce Domini gloriabatur, [10] et deplorabat et suo exemplo deplorandos docebat. Sic nunc Paulus, si in vivis apud nos esset, quam maxime intensissimos crucis Christi inimicos Calvinistas deploraret! Hi enim cultum Sanctae Crucis odiosissime tanquam summam superstitionem et idololatriam persequuntur, nec nisi adhuc tanquam infame patibulum habent agnoscuntque. [11] At si, teste Paulo, inimici crucis Christi deplorandi sunt, quoniam in statu perditionis: *Quorum finis interitus,* Calvinistae manifesti sunt crucis inimici, ergo in statu perditionis et deplorandi tanquam inimici Christi: *Quorum deus venter est et finis in confusione eorum qui terrena sapiunt.* [12] Veris autem catholicis semper Sancta Crux summa in veneratione fuit tanquam signum Angelis etiam in coelo venerandum; hinc enim in die iudicii *parebit signum Filii hominis* [13] in coelo.

Contra cultum hunc impie insurgunt Calvinistae.

II. Quoniam vero de exaltatione Sanctae Crucis agimus, possumus vel de cruce propria, in qua Dominus crucifixus et mortuus

8) 3, 16. 9) Phil 3, 18-19. 10) Cf. Gal 6, 14. 11) Cf. supra, Dies Inventionis S. Crucis, pag. 22, not. 46. 12) Phil 3, 19. Vulg.: *Et gloria in confusione ipsorum,* etc. 13) Mt 24, 30.

fuit, verba facere, vel de crucis illius imagine naturali vel depicta, vel ex quacunque materia efformata, vel tandem de signo sanctae crucis, quod manu in aere formamus et figuramus.

Mirabiliter a Deo exaltata fuit crux Christi in Veteri Testamento figuris.

Et quidem, quod spectat ad veram crucem, de qua ait: *Exaltavi lignum humile*, mirabile est quantopere sit divinitus exaltata cum in Novo tum etiam in Veteri Testamento per figuras. Nam Deus hominis immortalitatem vitamque perpetuam in paradiso utique in ligno constituit, quod propterea *lignum vitae* appellatum fuit: Videte *ne... sumat... de ligno vitae... et vivat in aeternum.* [14] Deinde humani generis seminarium Deus ab aquis diluvii in ligno servatum esse voluit, [15] cum mille aliis modis servare illud potuisset. Isaac super struem lignorum ligatus fuit, ut iuxta divinum mandatum a patre sacrificaretur; [16] Iacob baculo tantum nixus Iordanem transivit; [17] baculo armatus tantum Moyses mittitur contra Pharaonem eoque divina operatur miracula, [18] aperit mare, [19] educit aquas de petra, [20] coelum etiam aperit pro manna. [21] Altare voluit Deus sacrificiorum, mensam propositionis, altare incensi, arcam testamenti, tabernaculum testimonii, omnia ex ligno. [22] Conferre summum pontificatum placuit Aaroni, sed per lignum, quod aridum floruit et edidit fructus; [23] ligno appensus uvae botrus, adductus fuit ex terra promissionis; [24] Angelus Gedeonis ligno tangens carnes et panem sacrificii in ignem convertit; [25] ligno armatus incessit David contra Goliath; [26] cum baculo ligneo misit Eliseus Giezi ad mortuum suscitandum; [27] ligno [28] item traxit ferrum de profundo flumine ac si magnes fuisset. [29] Sic multa mysteria antiquitus in ligno designata sunt in huius ligni honorem; praecipue vero in ligno exaltatus fuit aeneus serpens in deserto, salutare populo remedium. [30]

In Novo tactu divini corporis Christi,

In Novo autem Testamento Dominus crucem honoravit et exaltavit, quia eam ipse sibi elegit: *Baiulans sibi crucem, exivit in... Calvariae locum.* [31] Ipse eam tactu sui corporis sacratissimi sanctifi-

14) Gn 3, 22. 15) Cf. ibid. 6, 14 sqq. 16) Cf. ibid. 22, 9. 17) Cf. ibid. 32, 10. 18) Cf. Ex 4, 17. 19) Cf. ibid. 14, 21. 20) Cf. ibid. 17, 5-7; Nm 20, 7-11. 21) Cf. Ex 16, 14-15. 22) Cf. ibid. 25, 1-27, 1 sqq. 23) Cf. Nm 17, 1 sqq. 24) Cf. ibid. 13, 24. 25) Cf. Idc 6, 20-21. 26) Cf. 1 Rg 17, 40. 27) Cf. 4 Rg 4, 29. 28) Ms.: *Lignum.* 29) Cf. 4 Rg 6, 6-7. 30) Cf. Nm 21, 8-9. 31) Io 19, 17.

cavit. Nam si sanctus haberi voluit Dominus locus ille, in quo Moysi apparuit, propter sui praesentiam : *Locus... in quo stas, terra sancta est,* [32] imo locus in quo Iosue apparuit Angelus Domini iuxta Iericho,[33] cur non sancta summoque honore digna censenda crux est, in qua Dominus divina salutis nostrae mysteria sanguinis sui profusione divinorumque miraculorum operatione peregit? *Adorate scabellum pedum eius ; Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius;* hebraice: *Adorabimus scabellum pedum eius.* [34]

Honoravit autem Dominus postea lignum crucis in inventione per Helenam, Magni Constantini matrem, magnis aeditis miraculis, ac postea in exaltatione per imperatorem Heraclium. [35] Alio item miraculo Deus crucem honorare voluit, nam ut scribit Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus epistola 11 *ad Severum* [36] et Cyrillus Ierosolymitanus *Cathechesi* 10 [37] et 13, [37a] ex ligno Sanctae Crucis tot particulae, tot fragmenta ablata sunt, ut totus fere mundus plenus esset, et tamen integrum semper Ierosolymis asservabatur, divina plane virtute ut per ablationem non diminueretur. Particulas autem Sanctae Crucis fideles summa cum veneratione auro inclusas gestabant servabantque et multa miracula per haec crucis fragmenta fiebant, quae longum esset recensere.

mirabili eius inventione et miraculis.

Sic voluit Dominus lignum humile exaltare, ut ex infami patibulo fieret thronus gloriae Christi tribunalque ipsius, in quo satanam iudicavit et de hoc mundo expulit; fieret armatura Christi, qua satanam vicit, sicut virga Moyses armatus Pharaonem vicit, David virga armatus contra Goliath incessit; fieret scala qua Christus in coelum ascendit, instrumentum quo sibi divinos honores acquisivit.

III. Nec tantum lignum verae crucis Deus exaltare voluit, verum etiam ipsius imaginem, signum sanctae crucis. Hoc enim designatum fuit per signum, quo Hebraei divino iussu signarunt superliminaria domuum suarum sanguine agni, quo liberarentur ab Angelo percussore; [38] hoc per signum quo apud Ezechielem

Ipsius etiam imago exaltata fuit in Veteri Testamento.

32) Ex 3, 5. 33) Cf. Ios 5, 16. 34) Ps 131 (hebr. 132), 7. 35) Cf. Iac. Gretserus *De Cruce Christi*, t. 1, lib. 2, cp. 26-27, pag. 385-389; cp. 31 pag. 402; cp. 48-50, pag. 452-458; cp. 63-64, pag. 488-496; lib. 4, cp. 36-60, pag. 641-700. 36) P. L. 61, 325-329. 37) P. G. 33, 636-637. 37a) Ibid. col. 775-778. 38) Cf. Ex 12, 22-23.

per Angelos signati sunt signo *thau* in frontibus quicunque salvandi erant, [39] itemque in *Apocalypsi* legimus signatos servos Dei in frontibus, ut ab Angelis percutientibus salvarentur; [40] hoc item designatum fuit cum, Moyse super monte manus ad instar crucis extensas elevatasque tenente, Iosue contra Amalec praevalebat. [41] Sic etiam tunc insigni miraculo honorare voluit Dominus signum crucis.

In Novo autem tum mysteriis, tum miraculis,

In Novo etiam Testamento voluit Deus signum crucis honorare multis cum mysteriis tum etiam miraculis. Mysteriis quidem, quoniam, ut Divus Dionysius Areopagita scribit libro *Ecclesiasticae Hierarchiae*, capitibus 4, 5 et 6, in omnibus Sacramentis signum crucis adhibetur. [42] Divus Augustinus etiam sermone 19 *de Sanctis* dicit quod sine cruce nihil sanctificatur. [43] Miraculis etiam innumeris quae per signum sanctae crucis gesta sunt a viris sanctissimis: Antonio, Hilarione, Gregorio Thaumaturgo, Martino, Benedicto, Bernardo, Francisco aliisque innumeris. [44] Et in die iudicii quam maxime honorabit, cum *apparebit signum Filii hominis* [45] Angelorum manibus gestatum, sicut etiam aliquando apparuit signum crucis in coelo sole ipso fulgidius ipsi Constantino Magno cum inscriptione: « In hoc signo vinces »; [46] item tempore Constantii imperatoris, Constantini filii; [47] tempore item Iuliani Apostatae Ierosolymis, cum ipsius iussu Iudaei vellent iterum templum aedificare. [48] Ipse etiam Constantinus in honorem crucis efformavit imperiale labarum, quod a militibus adorabatur, in formam crucis, ut ita Christi crux adoraretur. [49] Sic nunc etiam, ut Divus Augustinus ait, crux Christi in frontibus regum, super capita regum gestatur summaeque semper venerationis signum hoc sacrosanctum a Christi fidelibus cultum fuit, saepissime enim seipsos signo crucis

tum veneratione fidelium.

39) Cf. 9, 4-6. 40) Cf. 7, 3. 41) Cf. Ex 17, 8-13. 42) P. G. 3, 471-551.
43) Iuxta Migne serm. 247, (P. L. 39, 2203-2204). 44) Cf. Dies Inventionis S. Crucis, pag. 29-30, not. 138-148. 45) Mt 24, 30. Vulg.: *Parebit*, etc. 46) Cf. Eusebius Caesar. *De Vita Constantini*, lib. 1, cp. 28, (P. G. 20, 943); Nicephorus *Hist. Eccles.*, lib. 7, cp. 29, ibid. 145, 1271. 47) Cf. S. Cyrillus Ierosolymitanus *Epistola ad Constantium*, ibid. 33, 1167-1170; Iac. Gretserus *De Cruce Christi*, t. 1, lib. 3, cp. 1, pag. 527-530.
48) Cf. Socrates *Hist. Eccles.*, lib. 3, cp. 20, (P. G. 67, 427-431); Sozomenus *Hist. Eccles.*, lib. 5, cp. 28, ibid. col. 1282-1286; Theodoretus *Hist. Eccles.*, lib. 3, cp. 15, ibid 82, 1111-1114; Iac. Gretserus *De Cruce Christi*, t. 3, lib. 3, cp. 3, pag. 532-533. 49) Cf. Eusebius Caesar. *De Vita Constantini*, lib. 1, cp. 29-31, ibid. 20, 943-946; Sozomenus *Hist. Eccles.*, lib. 1, cp. 4, ibid. 67, 867; Nicephorus *Hist. Eccles.*, lib. 7, cp. 37, ibid. 145, 1291.

muniebant suaque omnia signo crucis sanctificabant. [50] Hoc fuit semper praecipuum christianorum insigne; cum enim christiani sint milites Christi, summi imperatoris, duo quam maxime sunt militibus necessaria, praeter arma: unum est tessera militaris, signum externum, a quo dignoscantur sub quo militant duce, aliud vero est symbolum, maxime dum agunt excubias. Ita plane christianis duo haec conveniunt: symbolum fidei et sanctae crucis insigne.

Signum sanctae crucis maxime honorandum est ob summam eius dignitatem,

IV. In signo autem sanctae crucis duo quam maxime consideranda sunt, imo vero tria: primum est ipsius dignitas, quoniam *signum* est *Filii hominis* ac ipsius veluti trophaeum, stemma et gentilitium insigne; alterum est ipsius mysterium, nam est veluti hieroglyphica figura et divinum quoddam symbolum; tertium est quam magnum rite eam colentibus beneficium. Quoad primum, propter summam dignitatem [crux] digna honore est. Sicut enim qui iniuria afficit principis insigne stemmaque gentilitium reus est criminis laesae maiestatis, ita qui crucem Christi iniuria afficit; et qui crucem honorat, Christum utique honorat, sicut olim in honorem imperatoris labarum adorabatur a militibus. Cum igitur nonnisi propter Christum et in honorem ipsius, ad maiorem ipsius gloriam, crux honoretur adoreturque, quomodo potest cultus esse idololatricus qui nonnisi divinus est? Sed inimicus crucis Christi, diabolus, hoc haereticis persuasit in Christi ipsius iniuriam odiumque. Num honor, qui Deo ex animo et vero corde exhibetur, censendus est cultus idololatricus diabolo non Deo exhibitus? Vae qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem in tenebras et tenebras in lucem! [51] Semper ab initio nascentis Ecclesiae Sancta Crux ab omnibus christianis universum per orbem pio cultu honorata ac religiosissime venerata fuit, quia qui crucem Christi pie honorat et veneratur, utique ipsum Christum crucifixum veneratur, honorat, adorat. Nam vera est illa in scholis versata sententia: Propter quod unumquodque tale, et illud magis, [52] utique in iis quae spectant ad

50) *Enarrat. in Psalmos*, Ps. 32, (P. L. 36, 292); Ps. 73, ibid. col. 934; serm. 51, cp. 1, ibid. 38, 334. 51) Cf. Is 5. 20. 52) Axioma philosophicum, de quo cf. Aristot. *Analit. Post.*, cp. 2, t. 1, pag. 77.

genus finalis causae, nam qui servum honorat propter dominum, ipsum magis dominum honorat, et qui propter filium diligit paedagogum, ipsum magis filium diligit.

ob mysteria quae significat.

Habemus etiam in Sancta Cruce mysterium. Docent Sancti Patres designari in cruce mysterium illud, de quo Paulus *Ephesiis: Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo... longitudo... sublimitas et profundum;*[53] ita Hieronymus hoc loco,[54] Augustinus epistolis 119[55] et 120,[56] Gregorius Nyssenus, Oratione *de Resurrectione*[57] et Irenaeus libro 5.[58] Per haec autem, ut Augustinus docet, designatur universa perfectio christiana; nam profundum designat fidem, sublimitas spem, latitudo caritatem et longitudo perseverantiam.[59] Praeter haec autem signum sanctae crucis est veluti totius catholicae fidei compendium. Tres enim cum habeat partes, designat mysterium Sanctissimae Trinitatis; nam divinum hoc signum manu figurantes dicimus: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Designat etiam mysterium incarnationis et passionis Christi; designat effectum etiam passionis Christi: pars sublimis, quod per crucem apertum est coelum, placatus est Deus, vita aeterna homini restituta; pars infima, quod clausus per crucem infernus est, mors devicta, diabolus superatus; pars media ab oriente in occidentem, salus universalis mundi per crucem. Designat etiam Christi gloriam, nam quia *humiliavit se... factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propterea... Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*[60] In mysteriis autem Aegyptiorum, ut tradit Ruffinus libro 2 *Historiae*, capite 29, crux vitam aeternam designabat; hanc autem Christus per crucem nobis acquisivit tradiditque.[61]

ob beneficia quae suis cultoribus confert.

Tandem crux magnum est suis cultoribus divinumque beneficium. Cum enim omnia quae a Deo [facta sunt] ad Dei gloriam et ad nostram utilitatem facta sint, in cruce ipsa quam maxime conspicua est cum Dei gloria tum etiam nostra utilitas. Hinc non solum ait:

53) 3, 18. 54) *Comment. in Epistolam ad Ephesios*, lib. 2, (P. L. 26, 491).
55) Iuxta Migne epist. 55, cp. 14, ibid. 33, 216. 56) Iuxta Migne epist. 140, cp. 26, ibid. col. 565-566. 57) Orat. 1, (P. G. 46, 622-623). 58) *Adversus Haereses*, cp. 17, ibid. 7, 1171. 59) *De Doctrina Christiana*, lib. 2, cp. 41, (P. L. 34, 64); *In Ioannem*, tract. 118, ibid. 35, 1949-1950. 60) Phil 2, 8-9. Vulg.: *Propter quod*, etc.
61) P. L. 21, 537.

Exaltavi lignum humile, quod spectat ad gloriam, verum etiam: *Lignum aridum frondere feci,* sive, ut hebraice, *germinare feci.* Cum enim prius lignum arcae foederis Domini produceret fructus religionis et pietatis, Deo quidem suavissimos, hominibus vero utilissimos, nunc nonnisi lignum crucis hos fructus producit, lignum, quod vitale dicitur apud Ezechielem[62] et Ioannem producens, fructus per singulos menses, idest fructus perpetuos, *et folia ligni ad sanitatem gentium.*[63]

Tres praecipue utilitates affert fidelibus signum sanctae crucis.

Affert autem signum sanctae crucis innumeras fidelibus utilitates, sed praecipue tres. Prima, quoniam Deum nobis placat tanquam signum foederis Domini,[64] signo enim hoc viso, Deus, memor Crucifixi et meritorum passionis ipsius, placatur nosque benigno vultu aspicit. Secunda, daemones terret fugatque, tum ex daemonum apprehensione, nam, viso hoc signo, recordantur cruce Christi se victos; quare sicut canis timet fugitque baculum, ita daemon crucem; itemque quia signum sanctae crucis excitat in homine pietatem ac devotionem, est enim quaedam recordatio passionis Christi ac memoriale divinae erga nos caritatis ac insuper quaedam imploratio ac invocatio divini auxilii. Sicut enim loquimur aliquando nutibus signisque, non voce tantum, ita plane signum crucis facientes, veluti nutibus loquimur ad Deum, ut per merita passionis Christi nobis succurrat. Ac sic ex animi pietate opponentes diabolo signum sanctae crucis, opponimus ei merita passionis Christi divinamque Christi virtutem, quam in auxilium nostrum signo crucis invocamus. Fugit autem daemon Christi virtutem sicut nox fugit radium solis.

Specialiter signum crucis maximum daemonibus incutit terrorem

Existimo etiam inflictum divinitus esse daemonibus timorem quemdam atque terrorem, ut signum crucis omnino ferre non possint. Hinc legimus signo crucis quam maxime fugatos esse daemones a sanctis viris;[65] et, quod mirabilius est, signum crucis etiam ab infideli factum daemones fugat, sicut de Iuliano Apostata legimus quod, cum in quodam specu daemonum aspectu ex improviso territus [esset], signo crucis more christianorum se signans, effecit ut statim daemones omnes effugerent, ut Gregorius Nazian-

62) Cf. 47, 12. 63) Apc 22, 2. 64) Cf. Gn 9, 14-16. 65) Cf. not. 44 huius hom. pag. 128.

zenus tradit Oratione prima *in Iulianum;*[66] docet etiam similia Gregorius Papa libro 3 *Dialogorum.*[67]

et efficax remedium est ad curandos morbos corporis et animae.

Tandem signum sanctae crucis optimum remedium est ad curandos morbos, tum animae per remissionem peccatorum et coelestium gratiarum acquisitionem per merita passionis Christi, tum etiam corporum, cum sit tacita invocatio Divini Nominis et fidei ac pietatis protestatio; propterea legimus in Sacris Historiis per signum sanctae crucis a viris sanctis innumera facta esse miracula circa morbos et infirmitates corporeas, etiam insanabiles; sed hoc utique ex magna ardentique fide, qua utinam praediti essemus![68]

66) Iuxta Migne orat. 4, (P. G. 35, 578-579). 67) Cp. 7, (P. L. 77, 231-232).

68) Deinde, duobus foliis albis relictis, transitur ad Festum S. Matthaei Apostoli.

DIES SANCTI MATTHAEI APOSTOLI

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine, et ait ei: Sequere me. Et surgens secutus est eum.[1]

Agitur hodie de vocatione S. Matthaei.

I. In hodierno Evangelio, quod Sancta Ecclesia legit, diem festum celebrans sub honore Beati Matthaei apostoli et evangelistae, agitur de vocatione et conversione eiusdem, quomodo a Christo Domino vocatus et quasi ferrum a magnete occulta virtute tractum, conversus fuit toto corde ad Christum factusque ipsius discipulus et postea in apostolum electus. Sicut enim Eliseus, dum totus terrenis exercitiis et agriculturae deditus esset, divino instinctu et monitu ab Elia vocatus fuit ut ipsum sequeretur, sic Matthaeus a Christo vocatus est. Elias non verbo sed facto vocavit Eliseum, mittens pallium suum super eum, qui statim Divino Spiritu afflatus, relictis bobus, cucurrit post Eliam; sic Matthaeus hodie vocatus a Christo statim, relictis omnibus, secutus est eum. Et sicut Eliseus ab Elia vocatus fecit convivium omnibus qui secum erant in die conversionis suae,[2] ita et Matthaeus; sic enim Lucas ait, quod *fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.*[3]

Mirabilis ostenditur conversio huius Sancti Apostoli.

II. Operae pretium autem erit de mirabili hac conversione verba facere, quomodo mirabili Christi arte et alchymia lutum conversum est in aurum optimum, lateritius lapis in pretiosissimum lapidem, in pyropum, in adamantem, sicut in *Exodo* legimus terrenos lateres, quos in Aegypto faciebant Hebraei, veluti in coelestes

1) Pericope huius diei Mt 9, 9-13. Vulg.: *Et ait illi*, etc. Cf. Missale Rom.
2) Cf. 3 Rg 19, 19-22. 3) 5, 29.

gemmas fuisse conversos, nam Moyses et Aaron, Nadab et Abiu cum septuaginta senioribus Israel, cum montem Dei conscendissent, viderunt mirabili theophania Deum Israel et sub pedibus eius opus quasi ex lateribus sapphirinis. [4] Sic enim in conversione terrena opera, cogitationes et desideria transeunt in coelestia.

Assignantur termini huius conversionis,

Assignantur autem in hodierno Evangelio termini conversionis huius pluribus modis. Primo quidem, quies et motus: *Vidit hominem sedentem in telonio ... et ait ei: Sequere me. Et* statim *secutus est eum.* Secundo, convivium et ieiunium: *Et factum est, discumbente eo in domo:* [5] prius sedebat ieiunus, nunc autem convivatur. Tertio, infirmitas et sanitas: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* [6] Quarto, peccatum et iustitia: *Non... veni vocare iustos, sed peccatores,* [7] simulque ostendit quod conversio opus est divinae misericordiae: *Euntes... discite quid est: misericordiam volo et non sacrificium.* [8]

qui sunt peccatum et gratia;

Termini conversionis et iustificationis proprii sunt peccatum et gratia, sicut termini curationis sunt morbus et sanitas, termini illuminationis obscuritas et claritas. Sic, inquam, dum peccator convertitur per poenitentiam ad Deum, termini huius conversionis sunt peccatum et gratia Spiritus Sancti, quae hominem Deo gratum facit, sicut legimus in conversione David, [9] in conversione Ninivitarum, [10] in conversione Magdalenae, [11] in conversione Pauli. [12] Termini autem hi per hodiernum Evangelium [13] declarantur quidnam sint et quid operentur peccatum et gratia: peccatum designatur per quietem et otium, per ieiunium, per infirmitatem et per iniustitiam; gratia per motum, per convivium, per sanitatem et per iustitiam. *Vidit hominem sedentem in telonio:* sedet, quiescit, torpet otio, nihil boni operatur. Divina autem Scriptura ait quod avis nascitur ad volandum et homo ad laborem, [14] et Deus, cum formasset hominem, *tulit eum et posuit in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret eum.* [15] Opera bona necessaria sunt ad salutem ex praescripto divinae legis; otium ergo et torpor a bonis operi-

peccatum significatur otio, in quo Matthaeus sedebat,

4) Cf. 24, 9-10. 5) Mt 9, 10. 6) Ibid. vr. 12. 7) Ibid. vr. 13.
8) Ibid. 9) Cf. 2 Rg 12, 13-14. 10) Cf. Ion 3, 1 sqq. 11) Cf. Lc 7, 37 sqq.
12) Cf. Act 9, 6-19. 13) Ms.: *Terminos* adiicitur. 14) Cf. Iob 5, 7.
15) Gn 2, 15. Vulg.: *Tulit... hominum, et posuit eum... custodiret illum.*

bus, inobedientia coelestium mandatorum, peccatum est. Sicut autem aquae mortuae et immotae bonos pisces minime generant, sed malos et noxios, ranas, bufones, serpentes, sic otium multorum est causa malorum. Otium et saturitas, inquit Divina Scriptura, in causa extitit perditionis Sodomae et totius Pentapolis. [16]

Quies autem haec non simpliciter otium significat, sed privationem virtutis impotentiamque ad bene operandum. Hinc immediate ante lectionem hodierni Evangelii ab Evangelistis Matthaeo,[17] Marco[18] et Luca[19] ponitur curatio paralytici iacentis in lecto ad instar cadaveris; quae quidem curatio iustificationis symbolum fuit; nam dixit ei Christus: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua ;*[20] *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et statim surrexit.*[21] Sic accidit in Matthaeo: sedebat in telonio paralyticus in spiritu, enervis, dissolutis virtutum nervis ad bene operandum; gratia autem virtus est potens et efficax. Hinc sicut dicens Christus paralytico: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam,* virtutem ei divinam contulit ut haec faceret, sic dicens Matthaeo: *Sequere me* per virtutum mearum imitationem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;*[22] *Exemplum... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci... ita et vos faciatis,*[23] supernaturalem ei contulit facultatem, et ideo statim *secutus est eum.* Gratia igitur virtus est supernaturalis ad facile et cum delectatione ambulandum per viam salutis, sequendo Christum per imitationem perfectionis divinae.

gratia autem sequela Christi;

Secundo, sedebat ieiunus, sed conversus discumbit cum Christo. Hoc est quod legimus in parabola filii prodigi quod, cum dissipasset omnia, facta est fames in regione illa coepitque egere et cupiebat saturari *de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat ;*[24] sed reversus in domum patris statim paratum ei fuit convivium.[25] Peccatum est carentia gratiae coelestis et divinarum consolationum, quae sunt animi cibus, sine quo fame perit; gratia vero est coeleste convivium. Hoc est quod Hebraei ex Aegypto egressi in

peccatum significatur ieiunio, gratia convivio;

16) Cf. Ez 16, 49. 17) Cf. 9, 2-7. 18) Cf. 2, 3-12. 19) Cf. 5, 18-25.
20) Mt 9, 2. 21) Ibid. vr. 6; Mc 2, 11-12; Lc 5, 24-25. 22) Mt 11, 29.
23) Io 13, 15. 24) Lc 15, 16. 25) Cf. Ibid. vrr. 13-24.

deserto pasti divinitus fuerunt Angelorum esca;[26] sic Lazarus suscitatus a morte cum Christo discubuit.[27]

peccatum significatur infirmitate, gratia curatione.

Tertio: *Non opus est valentibus medico, sed male habentibus.* Peccatum est mortalis infirmitas, quam solus Deus curare potest, nam mors est animae, ipsam enim separat a Deo efficitque ut ab ea Spiritus Sanctus vivificator discedat. Hinc post vocationem Matthaei ponitur miraculum curationis mulieris, quae fluxu sanguinis patiebatur, et suscitationis filiae archisynagogi Iairi.[28] Hinc Regius Vates ait: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.*[29] Iustificationem declarat duplici symbolo curationis et suscitationis: *Sanat omnes infirmitates* et *redimit de interitu vitam tuam.*

Peccatum Matthaei avaritia erat.

Quarto tandem: *Non... veni vocare iustos, sed peccatores.* Iustos dicit divinae legis integros observatores, nam iustitia legalis est virtus, peccatores autem legis divinae transgressores. Peccatum igitur transgressio est divinae legis, gratia autem caritas, quae legis plenitudo est,[30] in qua *universa lex pendet et prophetae.*[31] Sic ergo Matthaeus hodie factus est ex peccatore iustus et sanctus, ex servo mundi et mammonae servus Dei, imo filius Dei, et qui prius thesaurizabat in terra, hodie coepit thesaurizare in coelo.[32] *Non... veni vocare iustos, sed peccatores;* Matthaeus ergo peccator erat, non luxuriae vel superbiae, sed avaritiae peccato detentus. Avaritia[32a] autem inquit Apostolus quod *est idolorum servitus.*[33]

Avaritia idololatria appellatur, quia divinitatem sibi arrogare satagit.

III. Nec immerito Paulus avaritiam idolum appellat et Christus mammonam dominum huius saeculi,[34] cui serviunt omnes qui sibi thesaurizant in terra; nam avaritia est vitulus aureus in deserto[35] et statua aurea regis Babylonis.[36] Avaritia enim divinitatem sibi arrogare et usurpare pro virili satagit. Nam si Deus est dominus totius universi rerumque omnium quae in mundo sunt, nil aliud avaritia quaerit, nisi omnium rerum dominium absolutum et pos-

26) Cf. Ex 16, 14 sqq.; Sap 16, 20. 27) Cf. Io 12, 1-2. 28) Cf. Mt 9, 18-26. 29) Ps 102, 3-4. 30) Cf. Rom 13, 10. 31) Mt 22, 40. 32) Cf. ibid. 6, 19-20. 32a) Ms.: *Avaritiam.* 33) Eph 5, 5; Col 3, 5. 34) Cf. Mt 6, 24. 35) Cf. Ex 32, 4-8. 36) Cf. Dn 3, 1-6.

sessionem; si infinitus Deus, nullum finem avaritia habet; creator omnium Deus et artifex, avaritia autem artifex est et inventrix omnium artium omniumque quae in mundo fiunt, lucri enim cupiditate fiunt quaecunque fiunt in mundo; operatur Deus omnia immotus, nam: *Ego Deus et non mutor,* [37] stabilis manens dat cuncta moveri; [38] idem satagit avaritia: sedebat in telonio Matthaeus, sedet in domo avarus et in mundo mille excitat motus, nam *pecuniae,* quae suapte natura immobilis est, cum vita et sensu careat, *obediunt omnia* [39] et propter eam totus mundus in motu est. Ad explendam etiam divitis mercatoris vel principis avaritia quot ministri multis in partibus orbis terra marique insudant multis laboribus! Sic avaritia manens in otio multas parat divitias. Creavit Deus omnia ex nihilo; hoc ipsum avaritia molitur dum usuris et iniustis lucris multas parat et adauget opes: heri mercator pauper erat, nihil habebat; hodie ditissimus est multisque acquisitis opibus et divitiis locupletissimus; ex nihilo fecit omnia, usuris et iniustis lucris. Imo vult avaritia satagitque Deo maior esse, nam Deus potest quidem ex nihilo aliquid facere, sic enim mundum creavit, sed non potest facere ut id quod non est sit, implicat enim contradictionem ut aliquid simul sit et non sit. Avaritia autem hoc efficit: commodat avarus ad usuram centum aureos, non dat autem nisi nonaginta, vel etiam octoginta, vel septuaginta, et vult ut sint centum; sic emendo ut res minus valeat quam vere valet, vendendo autem e contra: si unam eandemque mercem empturus est, non vult ut valeat nisi decem, cum vere valeat viginti; si autem venditurus est, vult ut valeat triginta; sic facit esse quod non est. Idem in permutationibus pecuniariis fictis falsisque et paliatis, quas dicunt c a m b i a s i c c a . [40] O mirabilem, sed plane diabolicam avaritiae infernalis potentiam! Praeterea non potest Deus vere facere vel creare alios deos sibi similes vel aequales; facit autem avaritia Deo etiam superiores; hinc locuples dicitur dives quasi d i v u s, [41] quasi Deus nullius egens, sibi et aliis sufficiens ut Deus; hinc a mundanis hominibus divites prin-

37) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego... Dominus.* 38) Cf. Boetius *De Consolatione Philosophiae,* lib. 3, metr. 9, (P. L. 63, 758). 39) Eccle 10, 19. 40) Cf. Io Cabassutius *Iuris Canonici theoria et praxis,* lib. 6, cp. 10, pag. 223. 41) Cf. Varro *De Lingua Latina,* lib. 5, pag. 29.

cipes multo magis aestimantur, honorantur, timentur, obediuntur multoque melius serviuntur quam Deus. Non potest Deus [42] humanam voluntatem nostrumque liberum arbitrium vi cogere, sed tantum dulciter suaviterque mutare; cogit autem avaritia, unde poetae dicere licuit:

« Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? » [43]

Propterea Deus eam semper summo odio habuit,

IV. Sic igitur avaritia divinitatem sibi arrogat et usurpat ac supra ipsum Deum seipsam constituit. Propterea eam Deus semper odio habuit: propter eam damnatus fuit infelix Achan, [44] propter eam filii Samuelis, [45] propter eam Saul, [46] propter eam Giezi lepra percussus, [47] propter eam Ieroboam vitulos aureos erexit populumque Israel a vero Dei cultu avertit, [48] propter eam damnatus dives epulo, [49] damnati Ananias et Saphira, [50] propter eam damnatus Iudas [51] et propter eam tandem ait Christus quod impossibile est divites intrare in regnum coelorum, ita ut facilius sit camelum per foramen acus transire. [52] Sic Paulus ait quod *omnis... avarus... non habet ereditatem in regno... Dei,* [53] quoniam, ut idem ait: *Radix... omnium malorum est cupiditas.* [54]

quia per diametrum contraria est divinae naturae,

Hinc nullum est vitium magis execratum in Divina Scriptura; hinc ait Ecclesiasticus: Viro *avaro... nihil est scelestius,* sive iniquius, *hic enim et animam suam venalem habet,* [55] idest animam vitamque suam tum temporalem tum aeternam pro pecunia diabolo daret. Quid iniquius quam seipsum vendere capitalibus inimicis in mancipium? Nil magis Deo et naturae contrarium avaritia ipsique bono; nam omne bonum suapte natura diffusivum est sui ipsius, [56] sicut fons perennis, sicut ignis, sicut sol: sic Deus, sic natura ipsa, ut terra ipsa testatur et quae in ipsa sunt, plantae et animalia. Germinat terra, florent herbae seminificantque, arbores fructificant, animalia generant et res unaquaeque nititur dare sua atque seipsam; sola avaritia Deo et naturae contraria est.

42) Ms.: *Deum.* 43) Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vv. 57-58. 44) Cf. Ios 7, 16 sqq. 45) Cf. 1 Rg 8, 1-3. 46) Cf. ibid. 15, 9 sqq. 47) Cf. 4 Rg 5, 20 sqq. 48) Cf. 3 Rg 12, 26 sqq. 49) Cf. Lc 16, 19 sqq. 50) Cf. Act 5, 1-10. 51) Cf. Mt 26, 14-16.; Mc 14, 10-11; Lc 22, 3-6, 52) Cf. Mt 19, 23-24; Mc 10, 23-25; Lc 18, 24-25. 53) Eph 5, 5. 54) 1 Tim 6, 10. 55) 10, 9-10. 56) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 5, a. 4, ad 2.

Propterea Deus vitium hoc summopere odit, abominatur execraturque cum omnibus artibus et fraudibus ipsius, quoniam avaritia per diametrum contraria est divinae naturae. Dei enim natura est semper dare et nunquam recipere sicut sol, nam iuxta Domini sententiam, quam Paulus refert: *Beatius est magis dare quam accipere;* [57] avaritia autem, contra, tanquam mare semper recipit, nunquam dat, sicut infernus qui nunquam satiatur; est sicut ignis qui *nunquam dicit: sufficit;* [58] *Sanguisugae,* inquit Salomon, *duae sunt filiae dicentes* semper: *Affer, affer!* [59] sunt insatiabiles. Sunt autem hae duae filiae avaritiae, necessitas et voluptas; sed *non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* [60]

nam Deus natura semper dat et nunquam recipit, avaritia semper recipit et nunquam dat;

Dei natura tota caritas et benignitas est, avaritia autem summa iniquitas et malignitas est: *Qui sibi nequam est, cui... bonus erit?* [61] Avarus est crudelis et impius contra seipsum, contra Deum et contra proximum. Contra seipsum, quia miserrime vivit, nec sibi ipsi necessarium victum et vestitum tribuit et iugiter affligit animam suam, semper timet ne mundus, ne terra ei sub pedibus deficiat; in Deum, quia alium deum non novit nisi thesaurum suum; fatetur avarus se nosse Deum, sed factis negat, [62] sicut in principem iniquus est qui vel dicit se eum minime cognoscere, vel tributum et censum solvere minime velle, quamvis se agnoscere principem et dominum suum confiteatur; negat principem qui servitutem et obedientiam ei denegat et alteri obedit et servit; sic facit avarus. Iniquus est in proximos, cupit enim omnium sanguinem sugere, sicut mors omnes cupit bonis omnibus spoliare.

Deus natura totus caritas et benignitas est, avaritia summa iniquitas et malignitas

Tandem nihil unquam boni facit avarus, semper est perniciosus; est tanquam sus qui nunquam bene facit, nisi cum moritur, [63] moriens enim avarus multos laetitia afficit multosque ditat.

sic nunquam boni facit avarus.

V. Cum igitur avaritia pessimum vitium sit, Deo summae abominationi est; hinc per Amos ait: *Audite hoc qui conteritis pauperem et deficere facitis egenos terrae dicentes: Quando transibit mensis et venumdabimus merces, et sabbatum et aperiemus frumentum ut*

Merito ergo Deus contra hoc vitium maxime invehitur,

57) Act 20, 35. 58) Prv 30, 16. 59) Ibid. vr. 15. 60) Eccle 1, 8. Vulg.: *Non saturatur oculus... auditu impletur.* 61) Eccli 14, 5. 62) Cf. Tit 1, 16.
63) Sententia ex S. Bonaventura *Diaeta Salutis,* cp. 6, pag. 196.

imminuamus mensuram et augeamus siclum, sive *pondus,* et *supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis et quisquilias frumenti vendamus? Iuravit Dominus in superbiam Iacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. Nunquid super isto non commovebitur terra et lugebit omnis habitator eius,* idest affligit avaritia universum populum eumque conturbat, *et ascendet quasi fluvius universus et eiicietur et defluet quasi rivus Aegypti?* [64] Describit malas artes fraudesque avaritiae eorumque impietatem contra Deum, quod caritate destituti sint divites avari tum erga Deum, tum erga proximos: erga Deum, nam displicent eis festa quae ad honorem Dei celebrantur, quoniam non possunt sicut aliis diebus vendere et emere: *Quando... transibit sabbatum et mensis,* idest neomenia, quae Hebraeis erant festa frequentia, [65] *et venumdabimus merces et aperiemus frumentum?* Erga proximum: *Ut possideamus in argento pauperes et egenos pro calceamentis, possideamus* quasi servos et mancipia pro exigua argenti summa.

avaritia enim populum fraudibus affligit.

Fraudes vero contra omnem iustitiam tres vel maxime explicat: minuere mensuras et pondera dum vendunt, adaugere pretia rerum et merces ipsas fuco fallaciaque mille modis corrumpere: *Quisquilias frumenti vendamus,* lolium, nigellam, paleas, pulverem aliaque huiuscemodi purgamenta frumento data opera permixta pro frumento vendamus.

quas Deus summopere abominari testatus est per Salomonem,

Quas quidem fraudes Deus summopere execratur; hinc Salomon ait *Proverbiis* 11: *Statera dolosa abominatio est apud Deum;* [66] et capite 20: *Pondus et pondus, mensura et mensura utrunque abominabile est apud Deum;* [67] et iterum: *Abominatio est apud Dominum pondus et pondus; statera dolosa non est bona.* [68] Propterea Deus in Lege ait: *Non habebis in sacculo diversa pondera, maius et minus, nec erit in domo tua modius maior et minor... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit haec et aversatur omnem iniustitiam.* [69]

Michaeam,

Per Michaeam vero Dominus aliam iniustitiam avaritiae declarat dicens: *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis*

64) 8, 4-8. 65) Erant enim festa calendarum, quae Hebraei maxime colebant ex praecepto Legis, cf. Nm 28, 11. 66) Vr. 1. 67) Vr. 10. 68) Ibid. vr. 23. 69) Dt 25, 13-16.

et mensura minor irae plena. Nunquid iustificabo stateram impiam et sacelli pondera dolosa? In quibus divites eius repleti sunt iniquitate et habitantes in ea loquebantur mendacium et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo coepi percutere te perditione super peccatis tuis,[70] hoc est, cum tantum questui studeant, nullam conscientiae rationem habentes, mille dicunt mendacia, mille periuria et sacramenta falsa ad decipiendos homines.

Apud Oseam de hac impietate sic legimus: *Chanaan,* idest mercator, *in manu eius statera dolosa; calumniam dilexit et dixit... veruntamen dives effectus sum, inveni mihi idolum; omnes labores mei non invenient in me iniquitatem*[71] *quam peccavi.*[72] Sic: *Laudatur peccator in desideriis animae suae et iniquus benedicitur,*[73] hoc est laudat seipsum avarus de prudentia et industria ac diligentia, nec cognoscit suas iniquitates et fraudes, nec a Deo acquisita bona recognoscit; sed sibi ipsi omnia tribuit, suis laboribus, prudentiae, industriae et diligentiae propriae, quod infidelitatis et perfidiae genus est. **Oseam,**

Per Habacuc prophetam invehitur Dominus contra avaritiam dicens: *Vae ei qui multiplicat non sua! Usquequo... aggravat contra se densum lutum?... Vae qui congregat avaritiam malam domui suae, ut sit in excelso nidus eius et liberari se putat de manu mali! Cogitasti confusionem domui tuae, concidisti populos multos et peccavit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit et lignum, quod inter iuncturas aedificiorum est respondebit.*[74] Divitias *densum lutum* appellat ad ostendendam vilitatem earum. Docet quod male acquisitae divitiae in causa sunt ut domus et familiae evertantur: *Cogitasti confusionem domui tuae;* quod etiam testes erunt apud Deum impietatis: *Lapis de pariete clamabit,* hoc est testis erit iniquitatis, cum domus aedificata fuerit ex divitiis inique acquisitis. **Habacuc,**

De avaritia item intelligendum est quod legitur apud Zachariam capite 5. Angelus enim Zachariae dixit: *Leva oculos tuos et vide quid est hoc quod egreditur. Et dixi: Quidnam est? Et* **et Zachariam sub figura amphorae,**

70) 6, 10-13. 71) Ms.: *Iniquitatem* bis ponitur. 72) 12, 7-8. Vulg.: *Idolum mihi... mihi iniquitatem,* etc. 73) Ps 9 (hebr. 10), 3. 74) 2, 6-11.

ait : Haec est amphora egrediens. Et dixit : Haec est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphorae. Et dixit : Haec est impietas. Et proiecit eam in medio amphorae et misit massam plumbeam in os eius. Et levavi oculos meos et vidi : et ecce duae mulieres egredientes et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi milvi, et levaverunt amphoram inter terram et coelum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me : Quo istae deferunt amphoram ? Et dixit ad me : Ut aedificetur ei domus in terra Sennaar et stabiliatur et ponatur... super basem suam. [75]

In cuius medio mulier sedet, impietas appellata,

Divus Gregorius 14 libro *Moralium*, capite 26, de avaritia vaticinium hoc interpretatur, [76] et merito. Nam ostenditur amphora, hebraice אֵיפָה, [77] idest mensura aridorum, qua frumenta et omne bladorum [77a] genus mensurabatur et vendebatur, instrumentum mercatorum, quo mille iniustitiae committuntur, ad quod semper mercatores omnesque vendentes et ementes respiciunt. *Haec est oculus eorum in universa terra :* ad mensuras rerum respiciunt omnes tum vendentes tum ementes, illi ut lucrentur et isti ne defraudentur. In medio amphorae sedet mulier, quae dicitur *impietas,* quia locus proprius avaritiae est mercatura et mundana negotiatio. Hic tota mente et animo avaritia mergitur, semper cogitans ne perdat, ut lucretur per fas et nefas [78] in suis negotiis.

avaritiam enim sequitur vana gloria et superbia,

Cibus autem mulieris huius plumbum est; missa est massa plumbi in os eius: hic est avaritiae cibus, nihil aliud quaerit. Cum habuerit os plenum plumbo, cum multas divitias acquisierit, tunc veniunt duae mulieres alatae volantes, quae sunt, inquit Gregorius, superbia et vana gloria, ambitio honoris et laudis, tolluntque amphoram et elevant in altum, *inter terram et coelum :* alta petit dives et ad gradus et dignitates extollitur, ita ut qui prius humili loco ignotus iacebat, dives factus et in altum fortunae gradum elevatus, fiat nomine et fama mundo clarus atque conspicuus multisque titulis solis divitiis acquisitis illustratur et nobilitatur.

75) Vrr. 5 sqq. 76) Iuxta Migne cp. 53, (P. L. 75, 1071-1074). 77) Ms.: *Ephah.* 77a) Cf. Calepinus *Septem Linguarum, Verba Barbara* sub voce: *Bladum.* 78) Dicendi modus ex Livio *Historiae,* lib. 6, cp. 14.

Sed quo deferunt mulieres istae amphoram? A Iudaea in Babylonem, ubi adorabatur statua aurea Nabuchodonosor.[79] Sic inquit: *Ut aedificetur ei domus*, idest templum, *et ponatur super basem suam*, tanquam statua et idolum; nam mundi huius confusissimi deus mammona est, aurum est: *Non potestis Deo servire et mammonae.*[80] Sic avaritia humanum cor a Deo longissime abducit a Iudaea et Ierusalem, ubi templum Dei erat, in Babylonem, ubi nonnisi diabolus colebatur. Sic per mulierem hanc, quae *impietas* dicitur, avaritia designatur, quemadmodum et in *Apocalypsi* per mulierem illam purpura indutam auroque et lapidibus pretiosis ornatam, quae dicebatur *Babylon*, idest c o n f u s i o, et sedens super bestiam coccineam habentem capita septem et cornua decem, habebat in manu vas aureum, plenum abominatione et immunditia.[81] Purpura, regio indumento, induta est, quoniam *pecuniae obediunt omnia*, et, ut ille ait: — contemptus Dei.

« Pecunia regina rerum »;[82]

ornata est auro et lapidibus pretiosis, quia nonnisi hisce rebus avaritia gaudet; sedet super bestiam coccineam, sanguinei coloris, quia nonnisi sensui carnis innititur, sensus autem carnis bestia dicitur, quoniam nobis et bestiis communis est isque virtutes omnes impugnat et omnia divinae legis mandata; habet aureum vas in manu, quia divitias omnibus avaritia promittit; sed plenum est abominatione, quoniam avaritia plena est iniquitate. Haec est olla illa succensa apud I e r e m i a m: *Ollam succensam ego video et facies eius a facie aquilonis*,[83] quoniam diabolus est qui in corde ignem avaritiae accendit; hic ignis est, qui apud S a l o m o n e m *Proverbiis* 30, *nunquam dicit: sufficit.* — vita carnalis.

Imo pluribus rebus eo in loco S a l o m o n avaritiam comparat dicens: *Sanguisugae duae sunt filiae dicentes* semper: *affer affer! Tria sunt insaturabilia et quartum quod nunquam dicit: sufficit: Infernus ... os vulvae, terra quae non satiatur aqua, ignis vero nunquam dicit: sufficit.*[84] Hoc est avaritia, quae per sanguisugam desi- — inexplebilis terrenorum concupiscentia.

79) Cf. Dn 3, 1-7. 80) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 81) Cf. 17, 3-5. 82) Horat. *Epist.*, lib. 1, epist. 6, vr. 37. 83) 1, 13. Vulg.: *Et faciem eius*, etc. 84) Vrr. 15-16.

gnatur, est ad instar inferni sive mortis, quae nunquam satiatur, quamvis omnia devoret, sicut os vulvae, sive conclusio vulvae, idest mulieris sterilis, cuius libido nunquam expletur; vel per duo haec intelligit corruptionem et generationem rerum omnium, quae perpetuae sunt cum mundo et nunquam intermittuntur; quod est sicut terra sabulosa, quae nunquam satiatur pluvia. Et tandem, sicut ignis qui, apposito combustibili, comburit in infinitum, *nunquam dicit : sufficit,* sic avaritia, inquit, fames quaedam est et sitis omnino inexplebilis, qualis est sitis hydropici:

« Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae »; [85]

« Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit ». [86]

Est enim avaritia veluti illa poetarum hydra cui, uno amputato capite, mox plura nascebantur; [87] est sicut mare, quamvis enim omnia flumina intrent in mare, ipsum tamen nunquam redundat, [88] nec crescit unquam; sic avaritia nunquam expletur.

Dominus autem a corde Matthaei amorem temporalium abstulit et amorem coelestium infudit.

VI. Egit hodie Dominus in corde Matthaei destruendo avaritiam cupiditatemque pecuniarum, quam φιλαργυρίαν [89] dicunt, in divinam caritatem commutando, id quod egit Gedeon cum destruxit aram Baal et in eodem loco altare vivo et vero Deo erexit, unde dictus fuit *Ierobaal,* fortis contra Baal. [90] Significat autem Baal d o m i n i u m, p o s s e s s i o n e m. Avaritia idolorum cultus est, ut P a u l u s ait, [91] nam pecuniam diligit supra Deum, et sicut idem de heluonibus dixit: *Quorum deus venter est,* [92] et de impiis quod sunt *voluptatum amatores magis quam Dei,* [93] ita avarorum deus pecunia est, pecuniae sunt amatores magis quam Dei. Cor Matthaei veluti ara erat Baal; hodie autem Christus hanc aram destruxit, abstulit ab eo amorem temporalium ac terrenarum rerum et infudit amorem coelestium et aeternorum bonorum. Destruxit Moyses vitulum aureum, ut Hebraei verum Deum colerent bonorum omnium conditorem et largitorem. [94]

85) Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 216. 86) Iuvenalis *Satyr.*, 14, vr. 138. 87) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 576; lib. 8, vr. 300; Ovid. *Metamorph.*, lib. 9, vrr. 69-79.
88) Cf. Eccle 1, 7. 89) Ms.: *Philargyriam.* 90) Cf. Idc 6, 25-32.
91) Cf. Eph 5, 5; Col 3, 5. 92) Phil 3, 19. 93) 2 Tim 3, 4. 94) Cf. Ex 32, 4-20. Deinde, reliqua parte folii alba relicta, transitur ad sequentem homiliam.

ALIA HOMILIA

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine, et dixit ei: Sequere me. Et statim secutus est eum. [1]

Mirabilius opus est peccatoris iustificatio quam mundi creatio.

I. Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de conversione Matthaei, quando vocatus a Christo, iustificatus et sanctificatus fuit, factus ex peccatore iustus. Mirabile plane opus multoque mirabilius quam caecorum illuminatio et mortuorum resuscitatio est peccatorum iustificatio. Divus Augustinus tractatu 72 *in Ioannem,* [1*] super illud: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet,* [2] asseveranter ait, quod maius opus est iustificatio peccatoris quam creatio coeli et terrae mundique totius et omnium quae in eo sunt; nam inquit: « *Coelum et terram transibunt* [2*] praedestinatorum autem salus et iustificatio permanebit; in illis tantum opera Dei, in his autem etiam est imago Dei ». Ubi et aliud movet quaesitum: « Quodnam maius sit opus, iustos creare an impios iustificare. Certe, inquit, si aequalis est utrunque potentiae, hoc maioris est misericordiae, hoc enim *magnum est pietatis sacramentum* ». [3] Idem docet Divus Thomas 1ª 2ªᵉ, quaestione 113, [3*] et omnes theologi. Hoc ipsum Regius Vates *Psalmo 144* dicens: *Miserationes eius super omnia opera eius.* [4]

Deus enim pluris facit iustitiam quam totum universum.

Nec immerito id quidem; nam cum divinum iudicium sit certissima mensura rerum, illud necesse est quod sit maius et melius, quod a Deo pluris aestimatur; Deus autem pluris facit iustitiam quam totum universum, nam propterea, cum mundum propter hominem creaverit, propterea unum solum creavit hominem *ad imaginem et similitudinem suam,* [5] ut sciremus quod pluris valet unus homo iustus, Deo similis in iustitia et sanctitate, quam totus mundus.

Hoc Christus apertis docuit verbis: *Quid... prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* [6] Hoc Regius Vates dicens quod Deus omnia subiecit

1) Mt 9, 9. Vulg.: *Et ait illi*, etc. 1*) P. L. 35, 1823-1824. 2) Io 14, 12. 2*) Mt 24, 35. 3) 1 Tim 3, 16. 3*) Art. 9. 4) Vr. 9. 5) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 6) Mt 16, 26. Vulg.: *Si mundum universum*, etc.

quod etiam Christus docuit et S. Scriptura ostendit.

sub pedibus hominis,[7] et propterea ipse tantopere miratur hominis magnitudinem apud Deum dicens: *Quid est homo quod memor es eius? aut filius*, etc.[8] Hominem autem Deus nonnisi propter iustitiam magni facit; hinc primum hominem iustitia destitutum de paradiso eiecit,[9] hinc in diluvio mundum universum subvertit, salvata tantum familia iusti Noe,[10] hinc in Pentapolis incendio nonnisi familiam iusti Loth salvam fecit,[11] et in die iudicii damnabit ad aeternum ignem cum diabolo et angelis eius omnes quos iustitia destitutos reperiet.[12]

Iustitia hominem constituit filium Dei,

Magna res ergo iustitia est apud Deum plurisque pendet quam totum universum. Si in bilanci iustissima ex altera quidem parte mundus totus appenderetur, ex altera vero virtus ipsa iustitiae et gratia Spiritus Sancti, quae hominem divinae facit consortem naturae[13] filiumque Dei constituit, *quasi arena maris haec gravior appareret.*[14]

in iustificatione autem iustitia ipsa creatur,

In conversione autem peccatoris creatur virtus iustitiae hominem sanctificans et Deo similem faciens, sicut in mundi primordiis creavit Deus lucem, quando *terra ... erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi.*[15] Idem enim est apud Deum homo sine iustitia, quod mundus sine luce. Nihil penitus valeret hic mundus sine luce, nam haec est quae mundum pulcrum ornatumque, utilem et delectabilem homini facit: *Vidit Deus lucem quod esset bona:* וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי־טוֹב׃[16] *Vidit Deus lucem quia bonum*, hoc est, quia omne mundi bonum in luce consistit. Si auferat a mundo lucem, nihil in eo remanet boni, nulla fit generatio, pereunt omnia; sic homo sine luce virtutis nihil est apud Deum. Sic Paulus ait: Si *caritatem ... non habeam, nihil sum,*[17] Hoc est quod Divus Psaltes ait: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*[18] Quid valet homo sine corde? corpus absque spiritu?

sine qua homo nihil est apud Deum;

Magnum igitur est opus quod facit Deus in iustificatione pecca-

7) Cf. Ps 8, 8. 8) Ibid. vr. 5. 9) Cf. Gn 3, 22 sqq. 10) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 11) Cf. ibid. 19, 15-29. 12) Cf. Mt 25, 41 sqq. 13) Cf. 2 Petr 1, 4. 14) Iob 6, 3. 15) Gn 1, 2. 16) Ibid. vr. 4. Ms.: *Vaiar Elohim eth haor chi thob.* 17) 1 Cor 13, 2. Vulg.: *Non habuero*, etc. 18) Ps 50, 12.

toris, nam resuscitat mortuum, sanat infirmum, illuminat caecum, redimit captivum, inimicum adoptat in filium.

In iustificatione datur Spiritus Sanctus et inimicus in filium adoptatur.

D i v u s P a u l u s *Romanis* 5 docet quod multo maius opus est iustificare impium quam glorificare iustum, dando ei gloriam paradisi et vitam aeternam. Ait enim: *Commendat autem Deus caritatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus... Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum* adhuc *inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* [19] Nam in iustificatione datur Spiritus Sanctus, quod est bonum infinitum, et multo difficilius est et maius conferre beneficium et animi caritatem inimico quam amico, multoque maius inimicum acceptare in amicum, imo adoptare in filium heredemque instituere, quam filium hereditate donare; multo maius opus est infirmum sanare et mortuum vivificare, quam pauperem ditare. Sed glorificare iustum non est nisi ditare pauperem, sicut Deus ditavit Abraham, [20] Isaac, [21] Iacob, [22] Ioseph, [23] David, [24] Mardochaeum [25] et alios; sed iustificare impium est vivificare mortuum, sicut Christus Lazarum suscitavit. [26]

Sed cum opus invisibile sit, mirabile non apparet.

Cum tamen hoc opus adeo mirabile sit, videmus tamen quod, cum homines maxime mirati fuerint videntes paralyticum magno miraculo divinoque imperio a Christo curatum, accepit omnes stupor, inquit L u c a s , *et repleti sunt stupore dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie,* [27] nihil tamen mirati sunt Matthaei conversionem, quoniam opus hoc spirituale et invisibile est. Omnia enim quae ad iustificationem concurrunt, spiritualia sunt: creatio et infusio gratiae et caritatis, aversio liberi arbitrii a culpa, a vitio, a mundo, conversio ipsius ad Deum, ad summum bonum, et remissio peccati, in qua iustificatio perficitur, spiritualia sunt solique Deo pervia; ideo minime mirati sunt homines, sed Matthaeum iam iustificatum et sanctificatum adhuc peccatorem existimabant, nescientes quod iustificatio, quae quidem in infusione divinae gratiae consistit, in

19) Vrr. 8-10. Vulg.: *Caritatem suam Deus,* etc. 20) Cf. Gn 13, 2. 21) Cf. ibid. 24, 35; 26, 12-13. 22) Cf. ibid. 30, 30 sqq. 23) Cf. ibid. 41, 39-45. 24) Cf. 1 Par 27, 25-31. 25) Cf. Est 8, 15. 26) Cf. Io 11, 38-44. 27) 5, 26. Vulg.: *Repleti sunt timore,* etc.

istanti fit, sicut aeris illuminatio a sole. Deus enim, cum infinitae virtutis sit, non indiget spatio temporis ad operandum; hoc est quod repente, in momento Spiritus Sanctus super Apostolos aliosque Christi discipulos descendit;[28] hoc quod in suscitatione mortui adolescentis statim *resedit qui erat mortuus*,[29] et similiter in Lazari suscitatione *statim prodiit qui fuerat mortuus*;[30] hoc quod hodie legimus, quod statim *secutus est eum.*

Non est autem animus plura verba facere de iustificatione, sed causas disquirere et indagare quibus motus fuit Christus ad vocandum Matthaeum et iustificandum ac sanctificandum eum, ut faceret eum discipulum, evangelistam et apostolum suum.

Quattuor causae assignantur iustificationis et vocationis Matthaei:

II. *Vidit hominem sedentem ad telonium, Matt aeum nomine.* Quattuor hisce in verbis causae vocationis huius assignari videntur. Prima causa benignitas oculorum Christi: *vidit;* secunda est dignitas humanae naturae: *hominem;* tertia est miserabilis animi labes et avaritiae incurabilis infirmitas: publicanum *sedentem ad telonium,* et quarta est praedestinatio et electio quae designatur in nomine: *Matthaeum nomine,* inquit ipse; *Levi,* inquit Lucas;[31] *Levi Alphaei,* inquit Marcus.[32]

a) benignitas oculorum Christi,

Prima causa est benignitas oculorum Christi: *Vidit.* Non sunt adeo benigni atque benefici mundo oculi coeli, sol et luna, duo luminaria magna,[33] quae sunt potissimae causae bonorum omnium quae natura gignuntur, ut sunt oculi Christi humano generi. Oculi hebraice dicuntur עֵינַיִם,[34] fontes, quia sunt veluti fontes luminis visivi in homine et animali, sicut sol et luna in coelo; hinc Christus ait quod *lucerna corporis... est oculus... Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit,*[35] sicut lucerna ardens et lucens totam domum illuminat. Sic oculi Domini perennes quidam sunt fontes divinae bonitatis et misericordiae; hinc ait hodie: *Misericordiam volo et non sacrificium et scientiam Dei magis quam holocausta.*[36] Nunquam fere legimus in Evangelio aspectum oculorum Christi absque opere misericordiae et bonitatis. Vidit turbas esu-

28) Cf. Act 2, 2-4. 29) Lc 7, 15. 30) Io 11, 44. 31) 5, 27. 32) 2, 14. 33) Cf. Gn 1, 16. 34) Ms.: *Henaim.* 35) Mt 6, 22. 36) Os 6, 6. Vulg.: *Misericordiam volui... plus quam holocausta.*

rientes: cibavit eas magno miraculo semel[37] et iterum;[38] vidit caecum a nativitate: illuminavit eum;[39] vidit decem leprosos: mundavit eos;[40] vidit afflictissimam viduam Naim ob mortem unigeniti filii: consolatus est eam filiumque extinctum suscitavit;[41] vidit ad mare Galilaeae Petrum et Andream, Iacobum et Ioannem: vocavit eos apostolosque constituit et hominum piscatores;[42] vidit discipulos laborantes in remigando: adfuit eis auxiliumque praebuit ambulans supra mare.[43] Sic hodie vidit Matthaeum, et vocavit eum, iustificavit dimissis peccatis, sanctificavit collato dono gratiae coelestis, magnificavit eum, quoniam in apostolum elegit.[44] Aspectu suo Christus convertit hodie Matthaeum, sicut aspectu suo Petrum post trinam negationem ad poenitentiam reduxit: *Respexit* Dominus ad *Petrum, et egressus foras ... flevit amare.*[45] Sicut si sol mane oriens nubem inveniat obscuram et tetram, uno momento radiorum suorum luce illustrat et splendore decorat, sic Christus, *Sol iustitiae*,[46] luce oculorum suorum illuminavit tenebrosam mentem Matthaei hodie, ut divinam veritatem, mundi vanitatem Deique bonitatem agnoscens, a mundo aversus ad Deum sese toto corde converteret. Oculi Christi sunt sole millies milliesque illustriores et potentiores; hinc legimus: *Oculi eius tanquam flamma ignis.*[47] Ignis autem suapte natura lucidissimus et potentissimus est, nam sol platonicis omnibusque antiquioribus philosophis igneus est,[48] et in Divinis Litteris sol appellatur חַמָּה,[49] idest calidus, et ignis appellatur aliquando אוּר,[50] idest lux. Haec igitur prima causa est hodiernae conversionis: benignitas oculorum Christi: *Misericordiam volo et non sacrificium.*

Secunda causa est dignitas humanae naturae: *Vidit hominem.*

37) Cf. Mt 14, 15-22.; Mc 6, 34-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 38) Cf. Mt 15, 32-38; Mc 8, 1-9. 18-20. 39) Cf. Io 9, 1-7. 40) Cf. Lc 17, 12-14. 41) Cf. ibid. 7, 11-15. 42) Cf. Mt 4, 18-22; Mc 1, 16-18. 43) Cf. Mt 14, 25-33; Mc 6, 48-51. 44) Cf. Rom 8, 29-30. 45) Lc 22, 61-62. 46) Mal 4, 2. 47) Apc 1, 14; 19, 12.

48) De his cf. Plutarchus *Ethica sive Moralia*, *De Placitis Philosophorum*, lib. 2, cp. 20, pag. 384-385; quibus accedunt multi Sancti Patres, v. g. S. Basilius *In Hexaemeron*, hom. 3, (P. G. 29, 70); Theodoretus *De Providentia*, orat. 1, ibid. 83, 563; Tertullianus *De Anima*, cp. 8, (P. L. 2, 658); Lactantius Firmianus *Divinae Institut.*, lib. 7, cp. 9, ibid. 6, 766; S. Ambrosius *Hexaemeron*, lib. 4, cp. 3, ibid. 14, 191; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 3, cp. 49, ibid. 82, 174-175. 49) Cf. Iob 30, 28; Is 24, 23; 30, 26; Ct 6, 10. Ms.: *Hammah.*

50) Cf. Gn 15, 7; Is 31, 9; 47, 14; 50, 11. Ms.: *Or.*

b) dignitas humanae naturae,

Homo autem quis nesciat quod *ad imaginem et similitudinem Dei* formatus fuit? divinum simulacrum? statua ab excellentissimo sculptore divina arte confecta? Est enim homo veluti statua illa a Nabuchodonosor in somnis visa, habens caput aureum, pectus et brachia argentea, ventrem aeneum, femora tibiasque ferreas et pedes fictiles, quae designabat mundi imperium et monarchiam in quattuor mundi partibus. [51] Homo autem totius universi dominus ab initio constitutus fuit: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [52] Magna res homo est, magnum mundi miraculum, [53] compendium universi, microcosmos, virtute tanto maior macrocosmo quanto minor mole, unde horizon coeli et terrae, nexus temporis et aeternitatis, terra supercoelestis, animal divinum, angelus in carne, princeps ac vicarius Dei in mundo, viva et vera imago Dei. [54] Sed quamdiu in peccatis est, Dei quidem imago est ex aere fusa, sed in terra sepulta, vilissimo loco posita aerugine tota operta ac veluti comesta. Sed eam Christus hodie inventam accepit, mundavit a sordibus, lavit, polivit, argento auroque et lapidibus pretiosis ornavit, ut vivam naturalemque Dei effigiem similitudinemque referret. Sicut si quis vel in luto vel etiam in sterquilinio inveniat aurum, vel lapidem pretiosum, numisma antiquum aeneum, argenteum aut aureum, in quo sit antiqua alicuius imperatoris imago inscriptioque et stemmata gentilitiaque insignia, aut anulum aureum cum sapphiro, pyropo aut adamante, inclinat se et accipit pretiosum illud quod vilissimo loco invenit, ita hodie Christus vilissimo loco sordidissimoque in telonio invenit gemmam pretiosissimam divinique imperatoris numisma, regium anulum, inclinavitque se et accepit inventum in agro thesaurum: *Dixit illi: Sequere me.* Pluris facit Deus hominem quam homo argentum, aurum, lapides pretiosos, magnum thesaurum; pluris facit hominem quam pastor ovem, si paucas habeat, quam mulier tenuis fortunae nummum argenteum vel aureum, quam pater filium, maxime cum nonnisi unum vel duos tantum filios habet; nam Christus apud Lucam tribus parabolis

51) Cf. Dn 2, 31 sqq. 52) Ps 8, 6-8. 53) Sic homo appellatur a Trismegisto, *Asclepius*, cp. 3, pag. 482. 54) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 77, a. 2. In *Indice* sub voce: *Anima*; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 18, col. 83.

tribus hisce rebus hominem comparavit: ovi, drachmae et filio adolescentiori, seipsum autem pastori habenti centum oves, mulieri habenti decem drachmas et homini patrifamilias habenti duos tantum filios carissimos et dilectissimos.[55]

Tertia causa est infirmitas incurabilis, avaritia, quod potentissimum videtur vitium, curatu impossibile. *Vidit hominem* publicanum, *sedentem ad telonium:* sicut aucupes ad rete et laqueum, sicut venator apto loco ad venandum exspectans feram, sicut piscator hamo piscans ad litus maris sedens, sic Matthaeus sedebat ad telonium. Venit autem Christus in mundum ad dissolvenda opera diaboli, ut Ioannes ait;[56] diaboli autem opera in mundo praecipue tria sunt: *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae.*[57] Dissolvit Christus concupiscentiam carnis in Magdalena,[58] superbiam vitae in centurione[59] et regulo,[60] concupiscentiam autem oculorum in Zachaeo[61] et Matthaeo; nam ille princeps publicanorum dimidium bonorum suorum dedit pauperibus propter Deum, hic autem, relictis omnibus, secutus est Christum. O mirabilem et divinam Christi virtutem et potentiam!

c) avaritiae incurabilis infirmitas.

Quarta est, quia Matthaeus erat ab aeterno praedestinatus et electus: *Matthaeum nomine; Novi te ex nomine;*[62] Paulus autem ait quod Deus *quos... praedestinavit, hos et vocavit et... iustificavit.*[63] Vocabatur autem non solum Matthaeus, sed etiam Levi et Alphaeus. Matthaeus autem idem est ac donum, Levi coniunctus, copulatus, Alphaeus princeps et doctor;[64] quia Matthaeus ab aeterno praedestinatus erat ut esset fidelis Christi discipulus ac filius in spiritu, ut esset illi toto corde perfectaque caritate unitus: *Qui... adhaeret Christo, unus spiritus est* cum eo,[65] et ut esset dux, princeps et doctor Ecclesiae; propterea a Christo vocatus est non tantum ad fidem, sed ad discipulatum et apostolatum, ut indivisus comes Christi esset et postea episcopus ac patriarcha doctorque Ecclesiae ut evangelista. Omnes electi dicuntur dona Dei: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet;*[66] *Quos dedisti mihi*

d) praedestinatio et electio divina.

55) Cf. 15, 3 sqq. 56) Cf. 1 Io 3, 8. 57) Ibid. 2, 16. 58) Cf. Lc 7, 37 sqq.
59) Cf. Mt 8, 5-13; 7, 2-6. 60) Cf. Io 4, 46-53. 61) Cf. Lc 19, 2-9.
62) Ex 33, 12. 63) Rom 8, 30. 64) Sic latine haec nomina interpretantur.
65) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Adhaeret Domino*, etc. 66) Io 6, 37.

non perdidi ex eis quemquam;[67] *Nemo venit ad me, nisi Pater* meus, *qui misit me, traxerit eum.*[68] Omnis qui salvari vult, necesse est ut totus sit Christi corpore et spiritu, ut seipsum cum Matthaeo totum dedat Christi servitio. Sic sit vere Matthaeus et Levi, Christo per veram caritatem coniunctus et copulatus, ut sit membrum corporis Christi, et ut, tandem, sit Alphaeus, princeps, ut dominetur sensui, carni omnibusque vitiis et passionibus carnis, sicque vita, moribus et verbis doctor fiat et magister virtutum, ut ignorantes doceat viam salutis, ut Matthaeus fecit.

Ostenditur etiam iustificationis auctor,

III. Ostenditur autem in hodierno Evangelio quisnam sit auctor iustificationis: quod Christus est, qui propterea dicitur medicus: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus,*[69] et ob id Christus dictus est *Salvator: Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[70] Ad hoc Christus venit in mundum, ad iustificandum mundum, ideo dictus est *Sol iustitiae: Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.*[71] Ostenditur quod sit subiectum: quod est homo peccator, sicut subiectum suscipiens sanitatem est homo infirmus, homo male habens: *Non... veni vocare iustos, sed peccatores;*[72] peccator igitur est [qui] iustificatur et sanctificatur a peccato, curatur et sanatur ab infirmitate iniquitatis. Ostenditur quae sit forma: quod sit iustitia, idest perfecta virtus gratiaque Spiritus Sancti, quae est veluti sanitas animae; id enim quod corpori est sanitas, spiritui est sanctitas: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas;*[73] sanctitas ergo est sanitas hominis interioris. Ostenditur quis finis: quod est felicitas, quae per convivium designatur: *Faciet illos discumbere;*[74] *Homo quidam fecit coenam magnam,*[75] hoc est convivium quod in hodierno Evangelio legimus factum post conversionem Matthaei: *Quos iustificavit, illos et magnificavit.*[76] Ostenditur quisnam sit iustificationis effectus: *Surgens* statim *secutus est eum; Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua,* inquit Lucas.[77] Specialis effectus iustificationis

(Margin: **subiectum, forma,** — **finis et effectus.**)

67) Ibid. 18, 9. 68) Ibid. 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire ad me, etc.* 69) Mt 9, 12. 70) Ibid. 1, 21. 71) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis, etc.* 72) Mt 9, 13. 73) Ps 102, 3. 74) Lc 12, 37. 75) Ibid. 14, 16. 76) Rom 8, 30. Vulg.: *Glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 77) 5, 29.

est quod homini dulcem facit poenitentiam et afflictionem carnis, sicut Deus dulcoravit Hebraeis in deserto amarissimas aquas Mara, [78] et Eliseus filiis prophetarum dulcoravit amarissimas herbas, [79] et in Iericho aquas pessimas optimas effecit, immisso sale. [80] Sic Abraham, cum Isaac ablactavit, fecit grande convivium; [81] sic pater, suscepto filio prodigo, diem festum magna cum laetitia celebravit; [82] sic Lazarus resuscitatus cum Christo ad coenam discubuit; [83] sic Deus manna in deserto pluit [84] aquasque de petra eduxit copiosissimas; [85] sic hodie Matthaeus vocatus et conversus ad poenitentiam convivatur.

Hoc est quod in Osea legimus: *Convertentur sedentes in umbra eius, vivent tritico et germinabunt quasi vinea memoriale eius sicut vinum Libani.* [86] Est in his verbis figura, quae graecis ὕστερον πρότερον dicitur, [87] cum prius ponitur quod posterius est. Non enim intelligendum est quod qui prius sedebant sub umbra Dei converterentur, sed quod conversi sedebunt sub umbra Dei, ut sponsa ait in *Canticis: Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo:* [88] hoc est conversi quiescent sub divina protectione et paterna protectione Dei; sedebunt veluti ad mensam paratam et instructam, vivent tritico, pane optimo nutrientur in sanctissimo Eucharistiae Sacramento: *Memoriale eius quasi vinum Libani*, idest vinum praestantissimum et optimum, quale est vinum quod fit in monte Libano, gustui suavissimum, memoria eius: idest memoria Dei ipsis conversis erit sicut vinum optimum gustui, nam: *Memor fui Dei et delectatus sum*, inquit Divus Psaltes; [89] et alibi: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo;* [90] *Dulciora super mel et favum.* [91]

78) Cf. Ex 15, 23-25. 79) Cf. 4 Rg 4, 38-41. 80) Cf. ibid. 2, 19-22.
81) Cf. Gn 21, 8. 82) Cf. Lc 15, 22-23. 83) Cf. Io 12, 1-2. 84) Cf. Ex 16, 14 sqq. 85) Cf. ibid. 17, 5-7; Nm 20, 8-11. 86) 14, 8. 87) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 114). 88) 2, 3. 89) Ps 76, 4.
90) Ps 118, 103. 91) Ps 18, 11. Deinde, reliqua media parte folii et folio sequenti albis relictis, transitur ad Dominicam infra Octavam Ascensionis, quam collector hic inseruit, sed evidentissime ex diversitate calami et magnitudinis filiorum alio tempore scripta fuit. Hanc nos in *Dominicalia* edidimus, utpote aptiore loco, pag. 436-441.

DIES DEDICATIONIS SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris, etc. [1]

Celebratur hodie festum S. Michaelis Archangeli et omnium simul Angelorum.

I. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia festum Sancti Michaelis Archangeli et omnium simul Sanctorum Angelorum, qui in Divinis Litteris designantur per cherubim aureos in sancto sanctorum divini tabernaculi [2] et templi Salomonis. [3] Nam sanctum sanctorum, ubi erat sedes divinae maiestatis et gloriae, coelum empyreum ipsumque paradisum designabat, quod est supra omnes coelos constitutum in dignam habitationem omnium electorum Dei; et ipsum Dei tabernaculum hunc utique mundum designabat triplici parte constantem: elementari, coelesti et supercoelesti ac supermundana, sicut et homo triplici parte constat: inferna, ubi locus est generationis et corruptionis, ventre, inquam, et circum adiacentibus partibus; media, ubi principium est vitae, caloris et motus, pectore, ubi est cor; et suprema, capite, ubi spirituum animalium universitas et ubi mens praecipue residet.

Multis hieroglyphicis designantur Angeli in S. Scriptura.

Multis quidem aliis hieroglyphicis in Divinis Litteris designati sunt, nam apud Zachariam, capite 3, designantur per septem oculos super lapidem unum, [4] et capite 4 per septem lucernas aureas super aureum candelabrum. [5] Apud Ioannem in *Apocalypsi* designantur per septem stellas a dextris Dei, [6] per septem lampades coram Deo ardentes, [7] per septem oculos et per septem cornua agni, quae sunt *septem spiritus Dei missi in omnem terram,* [8] sic enim

1) Pericope huius diei Mt 18, 1-10. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 25, 19-21; 37, 7-9. 3) Cf. 3 Rg 6, 23-27; 2 Par 3, 7-13; 5, 7-8. 4) Cf. vr. 9. 5) Cf. vr. 2. 6) Cf. 1, 16; 2, 1. 7) Cf. 4, 5. 8) 5, 6.

Raphael Angelus Tobiae dixit: *Ego... sum Raphael Angelus, unus ex septem qui astamus ante Dominum.* [9]

Sed praecipuum Angelorum hieroglyphicum est quod diximus, in cherubim enim luculentissime designantur unoque hoc hieroglyphico multa, quae ad angelicam naturam spectant nobisque consideranda sunt, mirabiliter significantur.

sed praecipue per cherubim in sancto sanctorum.

II. Primo quidem, quod spectat ad eorum creationem, non fecit M o y s e s apertam mentionem creationis Angelorum, sicut coeli et terrae, stellarum in coelo et plantarum animaliumque in terra; [10] non enim sicut legimus: *In principio creavit Deus coelum et terram,* [11] ita: in principio creavit Deus Angelos, nihilque penitus manifeste scripsit M o y s e s de Angelorum creatione, nisi forte utrunque insinuare voluit cum dixit: *Perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus,* sive *exercitus eorum.* [12] Nec tamen propterea Angeli increati Deoque coaeterni censendi sunt, sed quod vere simul cum mundo isto a Deo creati sunt. Sic enim cherubim ab uno eodemque artifice, Beseleel, et uno eodemque tempore fabrefacti fuerunt una cum toto tabernaculo. [13]

Angeli creati a Deo fuerunt,

Nec vacat mysterio quod artifex tabernaculi dictus est *Beseleel,* quod est u m b r a D e i ; [14] sed ad designandam magnitudinem divinae potentiae. Sicut enim Petrus Dei spiritu plenus, absque ullo labore, umbra corporis sui sanabat omnes infirmos quibusvis morbis incurabilibus infectos, [15] dicimusque quod umbra Petri dabat infirmis sanitatem et vitam, sic minimo negotio Deus mundum creavit, veluti umbra sua. Hoc est quod in I s a i a legimus: *Ea quae sub ipso erant, fimbriae eius, replebant templum:* [16] minimus gradus divinitatis implet omnia, sicut Christus tactu fimbriae vestis suae sanavit mulierem ab incurabili infirmitate. [17] Hinc M o y s e s docet imperio Dei creata esse omnia, sicut et R e g i u s V a t e s ait: *Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus,* sive *exercitus eorum... Ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt.* [18]

9) Tob 12, 15. 10) Cf. Gn 1, 11-22. 11) Ibid. 1, 1. 12) Ibid. 2, 1.
13) Cf. Ex 37, 1 sqq. 14) Sic latine hoc nomen interpretatur. 15) Cf. Act 5, 15.
16) 6, 1. Ex hebraico. 17) Cf. Mt 9, 20-22; Mc 5, 25-29; Lc 8, 43-44. 18) Ps 32, 6-9.

Creavit igitur Deus Angelos divina virtute sua, sicut et mundum universum, ac tunc creavit Angelos, cum coelum et terram creavit, sicut tunc facti fuerunt cherubim, cum constructum fuit tabernaculum et ab eodem artifice.

una cum mundo isto,

Fecit autem Beseleel cherubim ex auro purissimo: in divino illo tabernaculo quaedam facta fuerunt ex lino et lana pilisque et pellibus animalium, alia ex lignis, alia ex aere, alia ex argento et tandem alia ex auro,[19] quod nobilissimum ac pretiosissimum metallum est; sic in mundo hoc non omnia una eademque materia et substantia constant, sed haec quidem nobiliori, illa autem ignobiliori. Ex terra fecit Deus lapides, metalla, plantas animaliaque terrestria; ex aqua pisces et volucres, ex coelo stellas; Angelos autem ex nobilissima materia constituit. Neque enim existimo Angelos, quamvis incorporei sint, omnino immateriales esse; nam Divus Augustinus libro *De Mirabilibus Sacrae Scripturae*, capite 1, inquit quod omnipotens Deus ex informi materia, quam ipse prius de nihilo condidit, cunctarum rerum, hoc est sensibilium, intellectualium et intellectu carentium, species multiformes divisit;[20] et libro *De Genesi ad Litteram contra Manichaeos* exponens illud: *In principio creavit Deus coelum et terram*, hoc est, inquit, quandam materiam informem, sive quoddam chaos, ex quo factum est coelum, facta est terra, facti sunt Angeli;[21] et propterea Augustinus aliquando docere visus est Angelos esse corporeos et aerea corpora habere, ut doceret non omnino immateriales esse.[22] Nam solus Deus spiritus est omnino incorporeus et immaterialis, propterea nec moveri nec pati aliquid potest; Angelus autem moveri patique potest; quod si spiritus dicitur: *Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis*,[23] aer etiam et ventus dicitur spiritus, et omne corpus, quod visum tactumque fugit, veluti sunt in animali spiritus sensiles et animales. Omne corpus, quod crassa solidaque materia minime constat, spiritus dici consuevit respectu corporis crassa solidaque materia constantis. Cherubim autem ex

ex nobilissima materia;

19) Cf. Ex 37, 1-39, 1 sqq. 20) P. L. 35, 2151. 21) Cp. 3, ibid. 34, 222-224.
22) *Retractat.*, lib. 1, cp. 26, ibid. 32, 626, epist. 9, ibid. 33, 72; epist. 148, cp. 2, ibid. col. 625; serm. 38, cp. 9, ibid. 38, 1262; *De Civitate Dei*, lib. 9, cp. 12-13, ibid. 41, 265-267; *De Trinitate*, lib. 3, cp. 10, ibid. 42, 879. 23) Ps 103, 4; Hebr 1, 7.

aurea materia facti fuerunt; Angeli ex nobilissima omnium ac supercoelesti empyreaque materia.

absque ulla penitus macula, splendore divini luminis fulgentes;

Forma autem cherubim erat infantili aetate, ad designandam Angelorum naturam et puritatem, quod sicut homo creatus fuit *ad imaginem et similitudinem Dei,*[24] ita et Angeli. Sic Divus Dionysius 4 *De Divinis Nominibus* docet, dicens quod «Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, suscipiens, sicut conveniens est, totam speciositatem boniformis Deiformitatis».[25] Qua quidem sententia Dionysius Angelum describit quoad triplex esse, scilicet naturae, gratiae et gloriae. Nam quoad esse naturae dicit quod est «imago Dei et manifestatio occulti luminis», idest intellectualis, quod recipit a Deo sicut luna a sole et ad inferiora diffundit purgando, illuminando et perficiendo. Quoad esse gratiae, quod est «speculum clarum, splendidissimum», idest absque ulla penitus macula cuiusvis peccati, sed claritate et splendore fulgens divini luminis, sicut speculum soli oppositum. Et tandem quoad gloriam, «suscipiens, sicut conveniens est, totam speciositatem boniformis Deiformitatis», nam Angeli beati tota Dei gloria fruuntur.

natura spirituales, quamvis non omnino immateriales.

Quod autem ad naturam spectat, spiritus dicit Dionysius immateriales et incorporeos, hoc est crassa materia minime constantes, sicut etiam docet Caesarius, Gregorii Nazianzeni frater, *Dialogo* 1: «Angelos respectu nostri dici immateriales et incorporeos, quia expertes sunt crassae materiei; habere autem suapte natura corpus, ut ventus, ut ignis, ut aer».[26] Sic etiam intelligendus est Damascenus dum ait quod Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, gratia non natura immortalitatem suscipiens.[27] Ubi definit Damascenus Angelum quoad essentiam, virtutem et operationem: quoad essentiam, substantia incorporea, intellectualis sicut anima nostra; quoad virtutem, semper mobilis, idest semper operari potens, et quoad operationem, Deo ministrans; per gratiam sortitus est vitam aeternam, nam alioqui in nihilum rediret.

24) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 25) P. G. 3, 723. 26) *Interrog.* 48, ibid. 38, 918.
27) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 3, ibid. 94, 866.

Nec tantum humana forma constabant cherubim, sed infantili, quandiu infans nec cogitare nec loqui nec operari malum aliquod novit. Sic innocentia Angelorum hodie Christus declaravit dicens: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum coelorum.* [28] Omnes ergo Angeli innocentia sunt sicut parvuli, absque omni malitia, infantilis nanque aetas omnis malitiei est expers. Hinc Paulus ait: *Malitia parvuli estote;* [29] et Divus Petrus: *Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo.* [30]

Innocentes.

In nomine etiam cherubim latet mysterium, nam cherub interpretatur quasi multitudo; plus enim valet unus Angelus quam innumerabilis exercitus hominum. Sic enim legimus quod unus Angelus percussit omnes primogenitos totius regni Aegypti una nocte; [31] sic unus Angelus ad nihilum redegit omnem exercitum Sennacherib, centum octoginta quinque millium hominum una nocte; [32] regnante David, unus Angelus a Dan usque Bersabee occidit septuaginta millia virorum. [33] Quilibet igitur Angelus valet pro exercitu innumerabili, sicut de Elia legimus: *Pater mi, currus Israel et exercitus eius.* [34] Hoc est ergo nomen cherub.

virtute mirabili praediti,

Duo autem erant cherubim, quoniam duo sunt ordines Angelorum, sicut apud Danielem legimus: *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei,* [35] hoc est innumerabiles Angeli, nam non est numerus militum, [36] millies enim milliesque multo plures sunt Angeli quam stellae coeli et arena maris.

innumerabiles,

Habemus etiam Angelorum officia in cherubim, nam divino propitiatorio semper assistebant illudque perpetuo intuebantur, seinvicem versis vultibus respicientes, et supra propitiatorium alas expandebant. Haec autem officia et actiones Angelorum sunt: assistunt tanquam ministri et cubicularii summi regis: *Omnes enim sunt administratorii spiritus;* [37] assistuntque alis expansis ad ostendendam promptitudinem animi ad exequenda omnia divina man-

ministri Dei,

28) Mt 18, 3. Vulg.: *Efficiamini sicut parvuli, non intrabitis,* etc. 29) 1 Cor 14, 20. 30) 1 Petr 2, 2. Vulg.: *Sicut modo,* etc. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Rationabile.* 31) Cf. Ex 12, 29. 32) Cf. 4 Rg 19, 35. 33) Cf. 2 Rg 24, 15-16. 34) 4 Rg 2, 12. Ex hebraico. 35) 7, 10. 36) Ms.: *Est* bis ponitur. 37) Hebr 1, 14.

data. Alas autem supra divinum propitiatorium expandebant, quoniam omnes cogitationes et omnia desideria Angelorum sunt circa Deum, non cogitant nisi de Deo, nec desiderant nisi quae Deo placent divinamque gloriam promovent. Seipsos mutuo respiciunt, quoniam in divino servitio omnes sunt concordes: *Qui facit concordiam in sublimibus suis;* [38] concordes sunt faciuntque suavissimum concentum divinas canendo laudes: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in saecula saeculorum laudabunt te.* [39] Hinc apud Isaiam Seraphim divinum canebant trisagium dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius;* [40] ubi sex alas dicuntur habere [41] ad designandam in Angelis summam virtutum omnium perfectionem, quoniam natura, gratia et gloria perfectissimi sunt.

Tandem cherubim divinum propitiatorium perpetuo intuebantur: hoc est quod Dominus hodie in Evangelio ait: *Angeli eorum... semper vident faciem Patris.* [42]

eiusque gloria beati.

Sic miro modo cherubim in sancto sanctorum hieroglyphice Angelos in supercoelesti paradiso empyreoque coelo designabant.

Duplex est Angelorum officium: Deo assistere

III. Salomon autem in sancto sanctorum templi sui duos alios cherubim posuit, qui non divinum propitiatorium intuebantur, sed respiciebant ad portam templi; qui et ipsi alas habebant expansas. [43] Nec sine mysterio hoc factum est, sed ut primum quidem hieroglyphicum exprimeret Angelorum officia caritatemque erga Deum, posterius vero officia et caritatem erga mundum, erga homines qui sunt in mundo, necdum ad coelestem patriam pervenerunt; vel forte ut significantius exprimerentur duo Angelorum ordines: assistentium et ministrantium, assistentium Deo et ministrantium mundo. Haec enim duo Christus hodie insinuat dicens: *Angeli eorum... semper vident faciem Patris mei qui in coelis est: Angeli eorum,* scilicet custodes, quorum fidei et diligentiae crediti sunt quibusque cura salutis eorum est demandata, nam: *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* [44]

38) Iob 25, 2. 39) Ps 83, 5. 40) 6, 3. 41) Cf. ibid. vr. 2.
42) Mt 18, 10. 43) Cf. 2 Par 3, 12-13. 44) Ps 90, 11-12.

Hoc est ergo *Angeli eorum.* Deinde *semper vident faciem Patris:* sicut stellae firmamenti semper vident faciem solis eiusque perpetua luce affluentissime perfruuntur et ex hoc aspectu soli similes sunt, hinc *stellae coeli* dicti sunt Angeli et *filii Dei:* Ubi eras *cum me laudarent... astra matutina et iubilarent omnes filii Dei?*[45] Sic dicuntur propter divinam similitudinem in natura, gratia et gloria, quoniam spiritali et intellectuali natura praediti sunt, divina sanctitate et beata felicitate in perpetuas aeternitates. *Angeli eorum,* idest ministri et nuncii Dei, qui alias dicti sunt *virtutes,* sive *exercitus coelorum,*[46] ad designandam eorum potentiam, Cherubim ad designandam sapientiam et Seraphim ad designandum divinae caritatis ardorem.

et mundo ministrare.

Angeli eorum: «Magna dignitas animarum, inquit Divus Hieronymus hoc loco, ut unaquaeque ab ortu nativitatis suae Angelum habeat in sui custodiam delegatum».[47] Magna dignitas humanae naturae! Principes summi non dignantur mittere legatos et nuncios, nisi ad principes magnae auctoritatis; Deus autem, summus rex et imperator: *Rex regum et Dominus dominantium,*[48] mittit legatos ad homines, nam propterea coelestes spiritus vulgato nomine Angeli dicuntur, idest nuncii, quia a Deo ad homines mittuntur; sicut legimus in visione Iacob in Bethel: dormiebat sanctus patriarcha, et ecce in somnis apparuit ei scala, cuius cacumen coelos tangebat Deumque vidit innixum scalae, Angelos vero ascendentes et descendentes per eam: descendebant a Deo ad ipsum Iacob et ab ipso ad Deum ascendebant.[49]

Angelorum custodia potentissima est.

Si rex aut imperator ad aliquem multos principes nuncios mittat atque remittat, vel Summus Pontifex Cardinales legatos, non potest homo ille, qui tanti fit ab imperatore et Pontifice, ad quem tales tantique nuncii et legati mittuntur, non homo esse multae aestimationis magnique valoris. Deus autem ad Abraham tres Angelos misit[50] et ad dormientem Iacob multos; in salutem autem Elisei, ne a ministris regis Syriae caperetur, magnum misit Angelorum exercitum;[51] et etiam in salutem ipsius Iacob, ne ab Esau fratre,

45) Iob 38, 7. 46) Cf. Rom 8, 38; 1 Petr 3, 22. 47) *Comment. in Matth.*, lib. 3, (P. L. 26, 130). 48) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 49) Cf. Gn 28, 12-13. 50) Cf. ibid. 18, 2. 51) Cf. 4 Rg 6, 14-17.

qui cum quadringentis viris veniebat in occursum ipsius [laederetur], exercitum Angelorum misit, fuerunt ei obviam Angeli Dei,[52] quos ut vidit, dixit: *Castra Dei sunt haec.*[53] Sic ubi nos legimus *Psalmo 33*: *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos,* hebraice est: חֹנֶה מַלְאַךְ יְהוָה, *Castrametatur Angelus Domini circa timentes eum.*[54] Quilibet Angelus est tanquam exercitus et, cum opus fuerit, alios etiam Angelos in auxilium advocat, sicut custos arcis, cum solus non potest ab inimicis irrumpentibus arcem defendere, facto signo, advocat ab exercitu militum copias ad arcis defensionem sicque inimici fugantur. Et propterea inquit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis,* quasi plures Angelos in unius iusti hominis custodiam Deus deputarit, quoniam quotiescunque opus fuerit, exercitus Angelorum adveniet. Hoc est quod Christus ait ad Petrum in horto: *An... non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?*[55]

IV. Sicut autem rex pro tuta carissimi filii custodia adhibet hastatos milites, nutritios fideles et optimos magistros morum et scientiarum, sic ait: *Angelis suis mandavit*, sive mandabit de te, ut serviant tibi tanquam hastati milites, *ut custodiant te in omnibus viis tuis,* idest actionibus tuis tanquam magistri morum et paedagogi; *in manibus portabunt te* tanquam fideles nutritii, *ne forte offendat ad lapidem pedem tuum.*[56] Ideo, inquit *non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,* idest: si Deum timueris tanquam filius patrem et dominum optimum, nihil tibi mali continget, etiam in maximis praesentissimisque periculis, qualia sunt in bellis, in peste et contagiis morborum, in bestiarum et serpentum incursionibus; in daemonum et inimicorum omnium tam visibilium quam invisibilium vel occultis insidiis, vel manifestis persecutionibus omnem perniciem[57] securus effugies, *quoniam Angelis suis mandavit de te,* ut eripiant te ab omnibus malis. Sic sanctus patriarcha Iacob benedicens filiis Ioseph ait: *Angelus, qui eri-*

Vere magnus ostenditur amor Dei erga hominem, quem custodiae Angelorum commisit.

Angeli a multis malis corporalibus eripiunt

52) Cf. Gn 32, 1-6. 53) Ibid. vr. 2. 54) Hebraice 34, 8. Ms.: *Honeh maleach Iehovah.* 55) Mt 26, 53. 56) Ps 90 (hebr. 91), 12. 57) Ms.: *Pernicies.*

puit me de cunctis malis, benedicat pueris istis; [58] sic Angeli liberaverunt Loth de incendio Pentapolis; [59] Angelus defendit Hebraeos ab exercitu Pharaonis, [60] Angelus occurrens Baalamo armata manu minitatus fuit ne ad instantiam regis Moab populo Dei mala imprecaretur, [61] Angelus liberavit David a peste grassante in Ierusalem, [62] Angelus Danielem a leonum rabie, [63] Angelus tres pueros de fornace ignis ardentis in Babylone, [64] Angelus salvavit civitatem Ierusalem ab exercitu Sennacherib, [65] Angelus purgavit Isaiam ignito calculo, [66] Angelus illuminavit Moysen, [67] Angelus Abraham perfectum declaravit, [68] Angelus consolatus fuit Agar in deserto semel [69] et iterum, [70] Angelus consolatus Christum in horto, cum *factus in agonia prolixius orabat factusque est sudor eius velut guttae sanguinis.* [71] Angeli pugnant pro nobis contra inimicos nostros; sic enim Angeli excaecaverunt populum Sodomae ne nocerent servo Dei Loth, [72] Angelus occidit omnes primogenitos Aegyptiorum [73] omnemque exercitum Pharaonis perdidit in mari Rubro; [74] Angelus pugnavit contra Chananaeos, hinc post Iordanis transitum Angelus apparuit ipsi Iosue tanquam princeps armatus; [75] Angelus una nocte destruxit omnem exercitum Sennacherib; [76] Angeli liberaverunt Iacob de manu Esau, [77] Eliseum de manibus ministrorum regis Syriae. [78]

et multa beneficia conferunt.

Multaque nobis beneficia conferunt salutaria, nam Angelus per errores deserti duxit populum Dei quadraginta annis in columna nubis per diem et ignis per noctem; [79] Angelus Agar et filio aquam in deserto providit; Angelus Eliae cibum et potum [attulit], cuius fortitudine per quadraginta dies ambulavit usque ad montem sanctum Dei Horeb, ubi in spelunca Deum vidit; [80] Angeli etiam Domino esurienti, post quadraginta dierum ieiunium et victoriam tentationum satanicarum, cibum ministraverunt. [81]

58) Gn 48, 16. Vulg.: *Qui eruit me*, etc. 59) Cf. ibid. 19, 15-17. 60) Cf. Ex 14, 13 sqq. 61) Cf. Nm 22, 22-27. 62) Cf. 2 Rg 24, 11 sqq. 63) Cf. Dn 6, 16-22; 14, 29 sqq. 64) Cf. ibid. 3, 49-50. 65) Cf. 4 Rg 19, 35. 66) Cf. Is 6, 6-7. 67) Cf. Ex 34, 29 sqq. In *Actibus Apostolorum* 7, 53, clare dicitur Moysen ab Angelis accepisse legem in monte Sinai. 68) Cf. Gn 22, 12. 69) Cf. ibid. 16, 1-12. 70) Cf. ibid. 21, 14-19. 71) Lc 22, 43-44. Vulg.: *Et factus est... sicut guttae*, etc. 72) Cf. Gn 19, 1-11. 73) Cf. Ex 12, 29. 74) Cf. ibid. 14, 5 sqq. 75) Cf. Ios 5, 13-14. 76) Cf. 4 Rg 19, 35. 77) Cf. Gn 32, 1-2. 78) Cf. 4 Rg 6, 14-17. 79) Cf. Ex 13, 21 sq.; Nm 14, 14; Dt 1, 33. 80) Cf. 3 Rg 19, 5-14. 81) Cf. Mt 4, 1-11; Mc 1, 13; Lc 4, 1-13.

V. Post ea autem quae ad corporalem custodiam spectant, quoad animam tres actus hierarchicos tribuunt sacri theologi Angelis:[82] purgare, illuminare et perficere, sicut astra coeli suis influxibus, luminibus et ardoribus purgant aerem hunc nostrum ab infectionibus perniciosis et tenebrarum caecitate, illuminant sua claritate atque perficiunt coeloque similem reddunt. Angelus purgavit Isaiam, Angelus illuminavit Tobiam,[83] Angelus Petrum a somno excitavit liberavitque a catenis et carcere atque ad perfectam libertatem perduxit.[84] Ubi omnes tres actus hi typice exprimuntur, nam purgavit eum a somno mortisque imagine et a vinculis liberavit; fugavit tenebras et illuminavit Petrum, nam *lumen refulsit in habitaculo* carceris, eumque perfecit: *Praecingere et calcea te caligas tuas.*[85] Sic Angelus purgavit et illuminavit animum Beati Ioseph, cum apparens ei in somnis, ait: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam*, etc.;[86] sic Angelus illuminavit pastores in nocte natalis Domini: *Angelus Domini stetit iuxta eos et claritas Dei circumfulsit illos...* Annuncio *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator.*[87] Sic Angeli nunciaverunt Christi resurrectionem;[88] Angelus apparuit Cornelio Centurioni eumque monuit ut, accersito Petro, Baptismum et fidem Christi susciperet;[89] Angelus Eliam dormientem sub umbra iuniperi excitavit semel et iterum dicens: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via,*[90] sicque usque ad montem Dei Horeb perduxit. Sic purgavit eum, illuminavit et perfecit.

Quoad animam tres actus Angeli exercent: purgant, illuminant, perficiunt.

VI. *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris*, etc. In his verbis de Angelis quattuor notantur: primum est numerus, secundum ministerium et officium, tertium dignitas et nobilitas, quartum felicitas et gloria. Cum autem in Divinis Litteris saepe fiat mentio de Angelis, quaecunque tamen de eis in sacra theologia traduntur, ad quattuor haec capita rediguntur. *Angeli eorum*, plu-

His verbis insinuatur Angelorum numerus, ministerium, dignitas et gloria.

82) Cf. S. Dionysius *De Coelesti Hierarchia*, cp. 10, (P. G. 3, 271-272); S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 3, ibid. 94, 870-871. 83) Cf. Tob 6, 5-9; 11, 13-15. 84) Cf. Act 12, 1-11. 85) Ibid. vrr. 7-8. 86) Mt 1, 20. 87) Lc 2, 9-10. Vulg.: *Iuxta illos*, etc. 88) Cf. Mt 28, 2-7; Mc 16, 5-7; Lc 24, 3-7. 89) Cf. Act 10, 1-6. 90) 3 Rg 19, 5-8.

rali numero, quoniam multi sunt, millia millium; hinc Regius Vates tradens de Angelis quattuor haec ait: *Dominus in coelo paravit sedem suam et regnum ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Dominum omnes virtutes eius*, idest *exercitus, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* [91] Numerum insinuat Regius Vates, quoniam *exercitus Domini* appellat; ministerium, dum Dei ministros appellat facientes voluntatem et beneplacitum Domini; nobilitatem naturae, dum eos dicit *potentes virtute;* ac tandem gloriam, nam statuit eos circa thronum Dei in coelo et dicit eos audire vocem sermonum Dei, idest cum Deo conversari, familiares Dei esse. Haec etiam quattuor designata sunt in cherubim gloriae, nam quoad numerum erant duo, quoad nobilitatem ex auro, quoad gloriam intuebantur divinum propitiatorium et quoad ministerium stabant alis expansis promptissimi ad exequenda divina mandata. [92]

Angelica natura est nobis ignota.

Angelica natura est nobis ignota; hoc enim est quod apud Isaiam legimus Seraphim, idest igneos Angelos, visos fuisse Divino Vati velata facie, per quam cognoscitur homo, et velatis etiam pedibus, ita ut nec quanta esset staturae magnitudo videri posset. Duo tantum de eis Vati perspecta fuere: eos astare throno divino et expansis alis volare ac si homines essent alati; Angeli nanque vel semper in humana forma apparuere, quoniam imaginem Dei habent sicut homo. At ne putemus eos humanis miseriis subiacere, legimus apparuisse Danieli Angelum in specie viri, [93] idest perfecti hominis, quoniam perfectam Dei imaginem habet Angelus. Erat autem indutus veste candida sicut... [94]

91) Ps 102 (hebr. 103), 19-20. 92) Cf. Ex 37, 7-9. 93) Cf. Dn 8, 15.
94) Hic desinit folium 23 et sic incompleta relinquitur homilia, absque dubio quia a collectore reliqua folia amissa fuerunt, ponuntur enim in calce ultimae voces quibus folium sequens incipere debent.

DIES SERAPHICI PATRIS NOSTRI SANCTI FRANCISCI

Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. [1]

Omnis sanctus et electus Christo similis est;

I. Celebrans hodie Sancta Mater Ecclesia festum gloriosi Seraphicique Patriarchae Francisci, legit sacrosanctum hoc Evangelium, in quo praecipue monet Christus fideles ad perfectam divinae sanctitatis suae imitationem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris,* [2] et ostendat quod Beatus Franciscus verus et perfectus fuit Christi imitator factusque Christo divina virtute simillimus. Omnis sanctus et electus est Christo similis, nam P a u l u s ait quod Deus *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* [3] Sic enim intelligendum illud est: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum,* [4] hoc est, ut O r i g e n e s *super Genesim* [5] et D i v u s H i e r o n y m u s *super Ezechielem,* [6] capite 1, interpretantur, ad imaginem Christi, *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* [7] Quare Christi humanitas, quae prima fuit creatura in mente divina, extitit exemplar archetypum humanae naturae non solum quoad esse naturale, sed etiam quoad supernaturale gratiae et gloriae.

sed specialiter hoc de S. Francisco dicendum est,

Franciscus autem specialiter Christo similis factus est. David inter multos filios unum habuit ex Abigail carmelitide sibi simillimum, ideo appellatus fuit, *2 Regum* 3, *Cheleab,* s i m i l i s p a-

1) Pericope huius diei Mt 11, 25-30. Cf. Missale Rom. 2) Mt 11, 29. 3) Rom 8, 29. Vulg.: *Conformes fieri imaginis,* etc. 4) Gn 1, 27. 5) Hom. 1, (P.G. 12, 156.) 6) Lib. 1, (P. L. 25, 219). 7) Col 1, 15.

tri,[8] qui *1 Paralipomenon* 3 dicitur *Daniel,*[9] idest iudicium Dei.[10] Ne enim censeretur filius Nabal, cuius Abigail fuerat uxor, divino iudicio factus fuit Davidi patri simillimus. Ita Adam filium genuit sibi simillimum; legimus enim *Genesi* 5: *Genuit* Adam *ad imaginem et similitudinem suam, et vocavit nomen eius Seth,*[11] qui fuit tertius filius ipsius, natus ei loco Abel interfecti a scelerato Caino.[12] Sic Christus inter multos Sanctos unum habere voluit sibi simillimum, qui esset veluti alter crucifixus, sicut luna est quasi alter sol in coelo. Et sicut Ionathas filius Saul regis princepsque totius israelitici regni, cum vidisset quod David singulari certamine mirandoque duello occiderat gigantem Goliam, procerum illum et superbum philisthaeum, toti exercitui Israelis formidabilem, magno cordis affectu eum dilexit et in signum amoris omnia vestimenta armaque sua ei dedit illisque eum induit, sic enim legimus *1 Regum* 18: *Anima Ionathae... conglutinata est animae David, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam... inieruntque Ionathas et David foedus, diligebat enim eum quasi animam suam; nam expoliavit se Ionathas tunica* sua, *qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum et usque ad balteum;*[13] – magna vis amoris! si potuisset cor et animam suam illi dare, dedisset utique, adeo eum dilexit ob magnum valorem mirabilemque virtutem cognitam in eo, – sic Christus unigenitus summi regis coelorum totiusque universi imperatoris et monarchae Filius ob conspectam in Francisco mirabilem virtutem qua mundum vicit, summopere dilexit eum sibique simillimum virtutibus effecit. Magnus et formidabilis gigas est mundus iste, inimicus Dei, qui *totus in maligno positus est;*[14] gigas terrificus, quem omnes timent paventque; est veluti Antaeus, ille gigas terrae filius, quem vix Hercules vincere potuit, quoniam in terram proiectus vires validiores sumebat.[15] Philisthaeus autem idem est ac pulverulentus; sic mundus iste terrae filius est vincique non potest nisi mente sublatus a terra pectoreque fortissime constrictus. Di-

quem Christus ob conspectam eius virtutem maxime dilexit.

8) Vr. 3. 9) Vr. 1. 10) Sic latine haec nomina interpretantur. 11) Vr. 3. Vulg.: *Vocavitque nomen*, etc. 12) Cf. ibid. 4, 8. 13) Vrr. 1-4. Vulg.: *Inierunt autem David et Ionathas*, etc. 14) 1 Io 5, 19. 15) Cf. Hyginus *Fabulae, De Antaeo et Hercule*, pag. 136; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 1, pag. 583-584.

cebatur gigas ille *Goliath*, idest captivator;[16] sic mundus iste multos tenet captivos sub lege peccati, vinctos catenis terrenarum cupiditatum, honoris, divitiarum et voluptatum. Vincitur autem mundus spernendo et contemnendo haec ex alto tanquam lutum et stercora, ut Paulus ait: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora.*[17]

Difficile est mundum spernere et superare;

II. Difficillimum autem videtur vere et ex animo spernere mundi honores, dignitates, gradus, laudes, divitias, voluptates et alia mundi bona, quae suapte natura desiderabilia videantur, quoniam timet homo verecundiam, contemptum, iniurias, paupertatem et quaecunque sensum carnis affligunt. Sic mundus iste gigas est supra modum terrificus et formidabilis. Exterruerat Golias cunctum exercitum Israelis, donec venit David, humili quidem loco natus, pastor ovium, iuvenis inermis, sed divina virtute munitus, descendensque in arenam ad singulare certamen cum gigante, eum vicit, prostravit, occidit;[18] sic Franciscus mundum vicit et triumphavit. Nam, inquit Ioannes: *Omne, quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae.*[19]

hoc autem Franciscus fecit,

Franciscus autem omnia haec vitia superavit; nam summopere castitatem et poenitentiam carnisque afflictationem coluit contra concupiscentiam carnis; paupertatem voluntariam, nihil penitus habere et possidere volens in mundo, contra concupiscentiam oculorum; et humilitatem ac subiectionem perpetuam omni creaturae, contra superbiam vitae; suamque Religionem instituens, contra haec tria vitia mundi statuit tria vota humillimae obedientiae et subiectionis, altissimae arctissimaeque paupertatis et mendicitatis et purissimae ac nitidissimae castitatis vitamque instituit arctam valde et asperam ad carnem afflictandam et spiritui subiiciendam.

Videns igitur Christus quod Franciscus sic mundum vicerat ac triumphaverat divina virtute munitus, summopere dilexit eum sibique simillimum non solum spiritu et animo, sed etiam carne et corpore efficere voluit, ut esset Franciscus veluti alter Crucifixus.

16) Cf. 1 Rg 17, 4. Sic latine hoc nomen interpretatur. 17) Phil 3, 8. 18) Cf. 1 Rg 17, 44-51. 19) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est*, etc.

ideo summe Christus eum honoravit.

Sic mysticus Ionathas mysticum hunc Davidem induit vestimentis suis armaque sua donavit ei; sic Rebecca induit Iacob, minorem filium, vestibus Esau, filii maioris et primogeniti,[20] ita ut Iacob veluti alter Esau videretur. Rex Aegypti volens honorare Ioseph de carcere eductum, comperto quod in eo esset spiritus Dei, induit eum regalibus indumentis regiumque anulum dedit in manu ipsius et regiam torquem in collo ipsius impositumque super currum suum secundum, iussit ut ab omnibus honoraretur et adoraretur;[21] Assuerus rex volens honorare et magnificare Mardochaeum propter magnam fidelitatem erga regem, iussit eum indui vestibus regis impositumque super equum regium duci per civitatem et ab omnibus honorari;[22] Balthassar rex Chaldaeorum Danielem regiis vestimentis indutum constituit tertium principem in regno, eo quod divino spiritu plenus esset.[23] Sic Christus honoravit Franciscum magnumque in Ecclesia sua principem constituit.

Franciscus per Angelum *Apocalypsis* figuratus,

III. Hic est ille Angelus, de quo in *Apocalypsi* legimus: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quattuor Angelis, quibus datum est nocere terrae et mari, dicens: Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*[24] Quis non videat Franciscum natura hominem, gratia Angelum, habentem signum Dei vivi, quam similis est Christo Filio Dei? Sicut in coelo sunt duo luminaria magna, ita in Ecclesia habemus duos mirabiles crucifixos: Christum et Franciscum, qui Christi imago est ad vivum et naturalem, sicut parelium[24a] in nube speculari solis imago et sicut vultus hominis in speculo optimo et nitidissimo. Quamvis autem sicut sol infinitis prope gradibus lumen excedit lunae, sic Christus infinitis partibus excedit sanctitatem Francisci, hic enim humilis servus est, ille sublimis Dominus, *Rex regum et Dominus dominantium;*[25] tamen, sicut ipse Christus ait: Qui in me credunt, haec facient et maiora horum facient;[26] nam Petrus umbra corporis sui sanabat infirmos,[27] quod non fecit Christus, et

20) Cf. Gn 27, 5-16. 21) Cf. Ibid. 41, 37-45. 22) Cf. Est 6, 8-11. 23) Cf. Dn 5, 29. 24) 7, 2-3. 24a) Ms.: *Paraelius.* 25) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 26) Cf. Io 14, 12. 27) Cf. Act 5, 15.

una concione convertit tria millia hominum,[28] altera vero quinque millia,[29] quod de Christo non legimus; et sicut nobilioribus aliquando vestibus induitur servus quam dominus, sic licebit mihi dicere quod mirabilior crucifixus est Franciscus quam Christus, Deo sic disponente, ad maiorem gloriam suam.

est enim vera et mirabilis Christi crucifixi imago.

Quod manifeste elucebit si consideremus a quibus artificibus, quibus instrumentis et quomodo uterque factus sit crucifixus. Primus crucifixus factus est ab imperitissimis artificibus, a Iudaeis: *Si ... cognovissent nunquam Dominum gloriae crucifixissent;*[30] *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;*[31] *Scio, fratres, quod per ignorantiam fecistis* vos *et principes vestri;*[32] hic autem factus est ab artifice sapientissimo rerum omnium, Christo; ille factus arte diaboli, hic autem sapientia Dei; ille manibus hominum et ferro, iste divina manu divinaque virtute; ille ictibus malleorum, iste obtutibus divinorum oculorum; ille tandem crucifixus fuit super lignum mortis, sed Franciscus super lignum vitae, super ipsum Christum: *Christo confixus sum cruci; vivo* ego, *iam non ego, vivit vero in me Christus.*[33] O mirabilem crucifixum, veram et naturalem crucifixi imaginem!

Christus et Franciscus figurati per duos Seraphim apud Isaiam.

Apud Isaiam duos Seraphim legimus in crucis formam expandentes alas atque volantes mediis alis, nam *sex alae uni et sex alae alteri;* duabus operiebant caput, duabus pedes et duabus volabant, *et clamabant alter ad alterum... Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus ... exercituum.*[34] Duo Seraphim, duo crucifixi: Christus et Franciscus; Seraph est Christus, totus ardens caritate erga Deum et hominem, hinc prae gaudio gloriae Dei et salutis humanae hodie exultavit, sic enim Lucas ait quod *in ipsa hora exultavit* in *Spiritu Sancto.*[35] *In ipsa hora,* qua reversi discipuli a praedicatione referebant Christo quod daemonia subiecerant sibi eiecerantque in nomine Christi,[36] *exultavit* ipse in *Spiritu Sancto* pro gloria Dei et salute mundi, hinc ait: *Confiteor tibi,* laudo te, gratias tibi ago, *Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis,* haec scilicet mysteria regni

28) Cf. Ibid. 2, 41. 29) Cf. Ibid 4, 4. 30) 1 Cor 2, 8. 31) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis, non enim sciunt,* etc. 32) Act 3, 17. Vulg.: *Fratres, scio, quia,* etc. 33) Gal 2, 19-20. 34) 6, 2-3. 35) 10, 21. 36) Ibid. vr. 17.

Christus seraph est totus ardens caritate erga Deum et homines.

coelorum aeternaeque salutis: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*[37] In hoc ostendit Christus caritatem suam erga Deum. Erga mundum vero dum ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*[38] Sic Christus Seraph est totus ardens caritate.

Habet autem sex alas, idest perfectionem summam virtutum, quae requiruntur ut homo perfectus sit erga Deum. Erga seipsum et erga proximum. Sic enim in hodierno Evangelio Christus virtutibus perfectus ostenditur erga Deum, dum ei gratias agit eumque laudat pro operibus divinae tum misericordiae tum iustitiae iuxta beneplacitum divinae voluntatis; itemque cognitio beneficiorum: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo;*[39] erga seipsum; *Quia mitis sum et humilis corde:*[40] *mitis* in adversis et *humilis* in prosperis; erga proximos, compatiens eis in malis et bona eis desiderans: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris.*[41]

Ita Franciscus, perfectus in omnibus virtutibus theologicis

Franciscus autem est alter in crucis modum seraph sex alas habens, seraph, inquam, totus ardens caritate, nam huius ardore totus in Christum transformatus est. In Seraphim illis gemina conspicitur caritas: in Deum, quem iugiter laudabant dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus... exercituum,* et in proximum, nam unus ex eis ignito calculo purgavit labia Isaiae prophetae.[42] Sic magna fuit Francisci caritas in Deum, cuius amore omnia reliquit Christumque secutus fuit; magna in proximum, vita et doctrina pro animarum salute poenitentiam praedicando sacramque Religionem instituendo.

Habuit et sex alas sex aliarum virtutum: fidei, spei, iustitiae, prudentiae, fortitudinis et temperantiae; habuit perfectionem omnium virtutum, quae requiruntur ut homo perfectus sit erga Deum, erga proximum et erga seipsum. Erga Deum religio pietasque: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae.* Maximam temporis partem Sanctus iste in oratione expendebat Deoque pro acceptis beneficiis gratias agebat: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Erga Deum magna praeditus fuit fide magnaque spe, sed cum

37) Mt 11, 26. Vulg.: *Fuit placitum,* etc. 38) Ibid. vr. 28. 39) Ibid. vr. 27. 40) Ibid. vr. 29. 41) Ibid. 42) Cf. Is 6, 7.

humilitate et timore Domini, divinam cognoscens tum misericordiam tum iustitiam. Ex magnitudine enim fidei et spei in Deum suam instituit Religionem in summa paupertate, tanquam alter Ionadab, pater Rechabitarum, qui filios suos iussit ut in summa paupertate viverent, [43] nihil habentes, nec domos, nec possessiones, et ut nec vinum biberent, volens ut universa Religio semper a divina providentia dependeret, ut nihil habentes fratres omnia possiderent. [44]

Deinde vere potuit dicere Franciscus: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* fuit enim veluti alter Moyses, Hebraeorum dux per desertum, mitissimus et humillimus; [45] hic enim multos eduxit de Aegypto mundi huius in desertum sacrae Religionis, a servitute diaboli ducens ad servitutem Dei benedicti. Mitissimus fuit Franciscus et patientissimus, fortissimo animo praeditus in perferendis superandisque adversis; quin et martyrii desiderantissimus fuit; perfectissima ergo mansuetudine praeditus; eo enim aberat a vindicandis iniuriis, ut maximas etiam pati desideraret. Fuit et humillimus in prosperis fugiens honores, non secus quam honorum avidissimus quisque ignominias; hinc Fratres suos Minores appellavit. Sic etiam omnes fugit mundi divitias carnisque delicias et voluptates; modestissimus, abstinentissimus, castissimus semper sanctissimus ipsius animus fuit. Erga seipsum rigidissimus et severissimus, erga alios vero clementissimus et pientissimus. Sic semper Franciscus sobrie, iuste et pie vixit in hoc saeculo: [46] sobrie quoad seipsum, iuste quoad proximum et pie quoad Deum. et moralibus;

Sic Franciscus Christo simillimus fuit natura, virtute, operatione. Natura, homo Christus, homo Franciscus; homo divinitati unitus Christus per naturam, homo divinitati unitus Franciscus per gratiam: *Qui ... adhaeret Deo, unus spiritus est* [47] cum eo; *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes;* [48] *Magna et pretiosa nobis dona donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* [49] Spiritu Sancto plenus Christus, Spiritu Sancto plenus Franciscus; sanctus Christus, sanctus Franciscus per gratiam Christi; auctor et caput

sic simillimus Christo effectus natura, virtute et operatione.

43) Cf. Ier 36, 6 sqq. 44) Cf. 1 Cor 6, 10. 45) Cf. Nm 12, 3. 46) Cf. Tit 2, 12. 47) 1 Cor 6, 17. 48) Ps 81, 6. 49) 2 Petr 1, 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit,* etc.

Ecclesiae Christus, auctor et caput sanctae Religionis Franciscus; instituit legem evangelicam Christus, instituit regulam evangelicam Franciscus; super nihilo fundavit Ecclesiam suam Christus, nam passio et mors Christi fundamentum Ecclesiae est, sicut Deus super nihilo fundavit mundum, nam extra mundum nihil est; ita et Franciscus super nihilo fundavit Religionem suam, in summa paupertate, praecipiens ut universa Religio nihil penitus habere aut possidere posset in mundo. Contempsit omnia mundi bona Christus, divitias, dignitates, voluptates, eligens paupertatem, humilitatem, passiones et poenas; similiter Franciscus in summa voluit vivere paupertate, humilitate et poenitentia, sicque suam instituit Religionem. Vicit diabolum, mundum et carnem Christus, vicit et Franciscus per gratiam Christi. Et sicut in Christo accidit quod in mundo quidem usque ad mortem humillimus fuit, post mortem autem gloriosissimus, et qui prius ab omnibus contemnebatur, postea ab omnibus adoratus est, sic et in Francisco accidit: in mundo usque ad mortem humillimus et abiectissimus, post mortem autem gloriosissimus, ab universo mundo colitur, honoratur, adoratur, glorificatur. Multa operatus fuit miracula Christus divina virtute sua: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt;* [50] multa Franciscus virtute Christi.

Ideo recte appellatus alter Christus.

Sic Franciscus seraph extitit Christo simillimus, alter cherub in sancto sanctorum divini tabernaculi, nam et cherubim illi expansis alis stabant in crucifixi formam, [51] sicut et Salomon intra oraculum templi sui alios duos cherubim posuit similiter expansis alis in formam crucifixi. Franciscus alter est crucifixus, post Christum, qui cum Paulo vere aiebat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo:* [53] crucifixus, non factus infinita Iudaeorum crudelitate, sed infinita Dei caritate.

IV. *Mirabilis Deus in sanctis suis,* [54] quoniam si mirabilia sunt opera naturae, multo mirabiliora sunt opera gratiae; si mirabilis Deus in mundi creatione, multo mirabilior in recreatione et consti-

50) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 51) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9. 52) Cf. 3 Rg 8, 7; 2 Par 3, 10. 53) Gal 6, 14. 54) Ps 67, 36.

Mirabilis Deus est in operibus naturae, mirabilior in operibus gratiae.

tutione mystici mundi sacrosanctae Ecclesiae. *Mirabilis ... in sanctis suis*, in eorum praedestinatione et electione, in creatione et vocatione, dum eos vocat et adducit ad esse naturae et esse gratiae. Mirabilis in iustificatione et sanctificatione, dum gratiam largitur quae homines deificat participesque efficit divinae naturae; nec tantum largitur, sed in dies magis magisque adauget. Mirabilis tandem in magnificatione et glorificatione, tum in Ecclesia militante tum in triumphante, Sanctos enim suos Deus tum vivos tum mortuos magnificat, quomodo in mundo magnificavit Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysen, Iosue, David, Eliam, Eliseum, Danielem, Petrum Apostolosque omnes et discipulos suos.

sed supra modum mirabilior in Francisco,

Sed *mirabilis* supra modum in Francisco, cui singulari modo competit nomen sanctitatis, sicut specialiter factus est ad imaginem et similitudinem Christi. Sanctus enim in Divinis Litteris idem est ac mundus et ab omni pollutione purus: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem;* [55] *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*, inquit Paulus; [56] hinc sanctus graece dicitur ἅγιος, [57] quasi sine terra, nam a terra oritur omnis immundities. Sic animus sanctus est qui purus est a terrenis contagionibus; diligendo enim terrena bona polluitur animus superbia, avaritia, luxuria, in bonis honorabilibus, utilibus et voluptuariis. Franciscus autem omnia a se abdicavit per vota obedientiae, paupertatis et castitatis, vitam ducens in voluntaria humilitate, mendicitate et poenitentia asperrima. Latine dicitur sanctus quasi sancitus, confirmatus, nam sanctus est qui in fide, spe et caritate confirmatus est, ut cum Apostolo dicat: *Quis... nos separabit a caritate Christi?* [58] Talis fuit Franciscus, unitus Christo, concrucifixus Christo.

qui omnibus virtutibus singulariter praeditus fuit,

Hebraice sanctus dicitur קדוש, [59] idest praeparatus, ornatus, similis mulieri praeparatae et ornatae ad suscipiendum amasium et militi parato ad bellum, ut in agone duello cum hoste confligat. Sic sanctus est quicunque virtutibus omnibus ornatus est; Franciscus autem singulari modo omnibus instructus virtu-

55) 1 Thess 4, 7. 56) 1 Cor 7, 14. 57) Ms.: *Aghios.* 58) Rom 8, 35.
59) Ms.: *Kadosc.*

tibus fuit Seraph sex habens alas. Alae animae nostrae sunt cogitationes et desideria; his enim alis volat anima nostra, malis quidem ad inferna, bonis autem ad coelestia. Bonitas autem perfecta in eo consistit, ut abstineat et caveat homo pro virili ab omni penitus malo et omne quod potest instanter operetur bonum;[60] sic enim habet anima vim irascibilem ad fugiendum mala et concupiscibilem ad prosequendum bona. Ille perfectus est vir qui abstinet ab omni offensa Dei, suae conscientiae et proximi sui; qui Deo in omnibus placere studet, bona gratiae et gloriae sibi desiderat et thesaurizat et proximos in quibus potest iuvat, vel saltem iuvare desiderat. Hae sunt sex alae: duae ad caput, duae ad corpus et duae ad pedes. His omnibus instructus fuit Franciscus: duabus superioribus, quia placuit Deo: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te;* sed: *Beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius.*[61] His alis[62] in oratione et contemplatione operum divinae tum misericordiae tum iustitiae volabat ad Deum, viva fide et caritate vigens, et in omnibus gratias agebat Deo. Duabus mediis: *Quia mitis sum et humilis corde,* custodiebat seipsum ab omni malo in adversis per mansuetudinem et in prosperis per humilitatem, ne unquam in aliquo propriam conscientiam laederet, et in schola Christi proficiendo, virtutes omnes sibi comparabat sibique thesaurizabat in coelo. Et tandem duabus infimis studens semper ne proximum vel facto vel dicto, imo ne animo vel minima cogitatione laederet, sed in malis compatiebatur omnibus qui laborabant et onerati erant omnesque pro viribus iuvabat: *Ego reficiam vos* summa cum benignitate et pietate. Sic iugum Christi portavit, servavit divinam legem, quae tota caritas, pietas et benignitas est: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis; haec est enim lex et Prophetae.*[63] Sic omnibus virtutibus cumulatissime praeditus et instructus fuit Franciscus.

fide et caritate in Deum,

mansuetudine et humilitate,

benignitate et pietate in proximum.

60) Cf. Ps 36, 27; 1 Petr 3, 10-11. 61) Ps 146, 11. 62) Ms.: *Ad Deum* additur quod postea ponitur. 63) Mt 7, 12.

II. ALIA HOMILIA

Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. [1]

I. Multa sunt mysteria hodierni Evangelii, agitur enim hic de imperscrutabili mysterio divinae praedestinationis et reprobationis, ita ut utriusque causa altissima assignetur: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te,* [2] sive bonum placitum, bona voluntas, εὐδοκία [3] graece, nam quod Deo placet, non potest non esse iustum et bonum. Ubi etiam docet quod reprobationis quidem causa est superbia, quae Angelum deiecit de coelesti paradiso [4] et hominem de terrestri expulit: [5] *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus* in oculis suis. Vae qui sapientes sunt in oculis suis! [6] Praedestinatio autem ex sola Dei bonitate est, absque ullis meritis: *Revelasti ea parvulis,* idest hominibus qui parvulorum instar nihil meruerunt. Hic mysterium divinitatis Christi ac consubstantialitatis et aequalitatis: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo;* [7] *Data est mihi omnis potestas;* [8] *Omnia dedit ei Pater in manus,* [9] et *nemo novit Filium nisi Pater,* nemo novit quis sit Filius nisi Pater, nam incomprehensibilis est Christi divinitas, *neque Patrem quis novit nisi Filius* naturali cognitione, *et cui* per gratiam *voluerit Filius revelare.* [10] Simul ergo Pater et Filius, tota simul Trinitas revelat electis evangelica mysteria.

Agitur hic de mysterio praedestinationis.

Agitur de mysterio vocationis: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos,* [11] idest recreabo, refocillabo, refrigerium et quietem praestabo. Ubi ostenditur quod vocatio fit per revelationem et per divinam mentis illuminationem, sicut qui invenit thesaurum in agro, *vadit et vendit omnia quae habet et emit agrum illum,* [12] comperto cognitoque thesauro.

vocationis

Agitur de iustificatione: *Tollite iugum meum super vos et di-*

et iustificationis.

1) Mt 11, 25. 2) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Fuit placitum,* etc. 3) Ms.: *Eudochia.* 4) Cf. Is 14, 12-15; Ez 28, 12-16. 5) Cf. Gn 3, 1 sqq. 6) Cf. Is 5, 21. 7) Mt 11, 27. 8) Ibid. 28, 18. 9) Io 13, 3. 10) Mt 11, 27. 11) Ibid. vr. 28. 12) Ibid. 13, 44. Vulg.: *Vendit universa,* etc.

scite a me, quia mitis sum et humilis corde. Tandem de beatificatione: *Invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[13] Haec sunt mysteria quae P a u l u s *ad Romanos* aperit: *Nam* Deus *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit,* idest beatificavit *et glorificavit.*[14]

Quoad haec mysteria *mirabilis* admodum *Deus* est *in sanctis suis,*[15] sed praecipue in Francisco, quem mirabiliter ab aeterno praedestinavit, mirabiliter vocavit, mirabilius iustificavit et mirabilissime glorificavit.

Quoad haec mysteria Deus supra modum mirabilis ostenditur in B. Francisco.

II. Quoad primum ait: *Confiteor tibi, Pater,* idest gratias tibi ago *Domine coeli et terrae,* creator omnium, *quia abscondisti haec* mysteria regni coelorum, thesauros omnium bonorum, *a sapientibus et prudentibus* secundum carnem, *et revelasti ea parvulis,* idest humilibus, simplicibus, idiotis piscatoribus. Sed quidnam est? Laetatur Dominus de damnatione reproborum? Minime, inquit C h r y s o s t o m u s homilia 30 *in Matthaeum,* sed tantum de salute electorum,[16] sicut P a u l u s *Romanis* ait: *Gratias* ago *Deo* meo, *quoniam fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde ... in quam traditi estis formam doctrinae.*[17] Non gaudet Paulus quod fuerint servi peccati, sed quod, cum tales fuerint, facti sint cultores iustitiae; at cum scriptum sit: *Laetabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris,*[18] sicut laetatus fuit universus Israel de submersione Pharaonis et totius exercitus eius in mari Rubro,[19] laetata Ierusalem de perditione exercitus Sennacherib,[20] laetantur fideles de perditione infidelium, cum parta fuerit contra eos victoria ab exercitu christiano, et D a v i d in *Psalmis* saepe expetit vindictam et ultionem inimicorum Dei: *Exurgat Deus et dissipentur inimici eius et fugiant qui oderunt eum a facie eius; sicut*

13) Ibid. 11, 29 sq. 14) 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis,* etc. *Magnificavit* lect. cod. 15) Ps 67, 36. 16) P. G. 57, 363-365. 17) 6, 17. Vulg.: *Quoniam fuistis... ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis.* 18) Ps 57, 11. 19) Cf. Ex 14, 23 sqq. 20) Cf. 4 Rg 19, 35.

deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei; [21] quid mirum igitur si laetetur Christus de perditione reproborum? Non enim minus elucet et resplendet gloria Dei in operibus iustitiae quam misericordiae; nam iustitia misericordiae aequalis est, aequa enim lance Deus bonum diligit et malum odit, diligit virtutem et odit vitium. Laudat igitur Christus Patrem de operibus tum iustitiae tum misericordiae, nam princeps non solum cum bonos praemiat et extollit digne laudatur, sed etiam cum malos punit et perdit reipublicae pestes: *Ita, Pater quoniam sic placitum fuit ante te,* quoniam divinae voluntati et, iustitia et misericordia placet: iustitia contra reprobos superbos, misericordia autem erga humiles simplicesque: *Beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius.* [22]

Hoc primum est encomium, haec prima laus Beatissimi Francisci, quod fuit tanquam alter Enoch Deo placens, [23] gratus Deo; tanquam alter Iacob dilectus Dei: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* [24] quod ab aeterno sit praedestinatus et electus a Deo ex infinita bonitate Dei; quod fuit parvulus, nam: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum,* [25] sicut parvuli innocentes et simplices, qui nec facere nec desiderare aut cogitare noverunt malum. Innocentia simplici laetatur Deus.

quem ab aeterno praedestinavit et elegit,

Praeparavit Deus ab aeterno donum hoc gratiae suae, innocentiae, puritatis, simplicitatis et humilitatis servo suo Francisco, nam praedestinatio et electio praeparatio est donorum Dei ex divina miseratione et bonitate, sine praecedentibus meritis; nam homo antequam sit, operari non potest; si non operari, profecto nec mereri, nam bene operando meretur homo. Praeparavit hoc donum ei Christus, qui verus est Deus, Patri consubstantialis, coaeternus et coaequalis: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo et nemo novit Filium,* quatenus Deus est per naturam, *nisi Pater,* qui genuit suaque omnia ei dedit, *neque Patrem quis* naturaliter *novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;* nam: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius* eius, *qui est in sinu Patris, ipse manifestavit* nobis. [26]

virtutibus eum exornans;

21) Ps 67, 2-3. 22) Ps 146, 11. 23) Cf. Gn 5, 22-24. 24) Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 25) Mt 18, 3. 26) Io 1, 18. Vulg.: *Ipse enarravit.*

Hoc igitur primum mysterium est electionis ex beneplacito divinae voluntatis, absque ullis meritis.

vocavit amore suo,

III. Secundum autem est mysterium vocationis: *Quos... praedestinavit, hos et vocavit; Venite ad me omnes.* Vocationem Christus divinum tractum appellavit: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*[27] Tractus autem hic est tractus amoris, nam Deus cor amore et desiderio boni movet, amor autem sine praevia cognitione esse non potest. Hoc est: *Revelasti ea parvulis; Cui voluerit Filius revelare* thesaurum absconditum in agro. Est ergo vocatio divinus tractus per cognitionem et amorem a mundo ad Deum, ab Aegypto et dura servitute Pharaonis ad sacrum desertum divinumque servitium;[28] hinc ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos,* sicut Hebraeis accidit, qui in Aegypto laborabant oneratique erant, sed in deserto divinitus recreati, refocillati et refecti.[29]

ipsum trahens ad perfectam legis evangelicae observantiam,

Et forte intelligit Dominus hoc loco onus mosaicae legis, de quo ipse ait: *Alligant enim onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum;*[30] et Petrus: *Quid tentatis... imponere super cervices discipulorum onus quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?*[31] Moyses enim graves manus habebat;[32] erat illa lex timoris, poenam statuens talionis,[33] multas pro peccatis infligens poenas et mortem; lex autem evangelica lex amoris est et caritatis, lex non servitutis sed libertatis, non servorum sed filiorum; nam et si tunc Hebraei in gratia constituti filii erant Dei, non tamen in statu filiorum sed servorum erant, nec spiritum habebant filiorum erga Deum, sed servorum; sicut filii principis, qui nondum sunt declarati nec sciunt se principis filios, quamvis vere sint filii, tamen in domo tanquam servi manent, nec nisi spiritum servorum habent;[34] et sicut pater graviori ac rigidiori disciplina regit filium puerili aetate sub minis, sub virga, sub tutoribus, paedagogis et magistris, ut virtutes addiscat, aetate autem iuvenili atque virili

27) Ibid. 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire ad me,* etc. 28) Cf. Ex 3, 7-10.
29) Cf. ibid. 16, 13 sqq. 30) Mt 23, 4. 31) Act 15, 10. Vulg.: *Imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos,* etc. 32) Cf. Ex 17, 12.
33) Cf. ibid. 21, 24 sqq.; Lv 24, 17-21; Dt 19, 21. 34) Cf. Rom 8, 1-21; Gal 4, 24-26.

multo leniori, sic Deus gravi iugo regebat Hebraeos cum veluti pueri essent sub Moyse paedagogo, levi autem et suavi placidoque sub Christo nos regit atque gubernat, tanquam filios iam adulta perfectaque aetate. Sic Paulus docet quod Christus factus est sub lege, *ut eos qui sub lege erant redimeret et adoptionem filiorum reciperemus.* [35]

Sed praeter hoc onus sunt etiam onera carnis, onera mundi, onera vitiorum et peccatorum. Magnum onus cura carnis iis qui secundum carnem longe a Deo vivere volunt: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* [36] Christi autem servitus has curas vel omnino aufert vel magna ex parte minuit mitigatque, quoniam, inquit, *scit... Pater vester quia his omnibus indigetis;* [37] *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet.* [38] Magnum est onus vivere secundum mundum mundique vanitatibus et pompis inservire; at Christi servus mundum nihili curat, sed ex alto contemnit cum Christo. Sic Franciscus cum Paulo aiebat: *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo;* [39] *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* [40] Sunt etiam onera peccatorum: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me;* [41] sunt et onera tribulationum quas Deus in poenas peccatorum immittit, sicut legimus *onus Babylonis,* [42] *onus Moab,* [43] *onus Tyri,* [44] *onus Aegypti.* [45] Ab his omnibus oneribus Christus alleviat: *Et ego reficiam vos,* refrigerium quietemque praestabo, sicut Hebraeis in deserto sub divina protectione absque ulla cura victus et vestitus viventibus; [46] sic Divus Franciscus vocatus a Deo Religionem suam instituit ut tanquam coelestis Patris peculiaris familia, absque ullo mundi aut carnis onere tota a Deo penderet.

et avocans a cura carnis, a vanitatibus mundi, a vitiis et peccatis ad servitium Christi;

IV. Tertium mysterium est iustificationis: *Quos vocavit, illos et iustificavit,* per divinae legis observantiam gratia sua iustos omnino effecit: *Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum*

iustificavit perfectum eum reddens Christi virtutum imitatorem,

35) Gal 4, 5. Vulg.: *Ut adoptionem,* etc. 36) Mt 6, 31. 37) Ibid. vr. 32.
38) Ps 54, 23. Vulg.: *Iacta super Dominum curam tuam,* etc. Affert ex Missale Rom. Dominica 3 post Pent., *Introitus.* 39) Gal 6, 14. 40) Phil 3, 8. 41) Ps 37, 5.
42) Is 13, 1. 43) Ibid. 15, 1. 44) Ibid. 23, 1. 45) Ibid. 19, 1.
46) Cf. Dt 29, 2-6.

et humilis corde. [47] Schola Christi schola virtutum est, non philosophiae naturalis, sed moralis et divinae, ubi non addiscitur sapientia vana et mundana, sed coelestis et divina. Magister et exemplar virtutum Christus est. In hac schola omnes Sancti didicerunt perfectam iustitiam et sanctitatem virtutumque omnium perfectionem; sed praecipue Franciscus, virtutum Christi diligentissimus et perfectissimus imitator, sic summam virtutum integritatem adeptus est ad apicemque et culmen perfectionis christianae pervenit. Quoniam sicut quisquis scientiae alicuius aut disciplinae vel artis perfectionem desiderat adipisci, ut in ea professione excellentissimus fiat, non terit tempus, frequentat scholam, studet dies noctesque, singulis diebus nititur addiscere aliquid et in professione semper magis magisque proficere, sic necesse est ut faciat quicunque vult christianam philosophiam in Christi schola perfecte adipisci: *In lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte.* [48] Sic igitur Franciscus evasit perfectissimus Christi discipulus, factusque est insignis magister et doctor christianae perfectionis, et adeo singularis, ut ab ipsomet Christo personaliter institutus doctor, ab ipso acceperit privilegium et insignia doctoratus.

praesertim humilitatis et mansuetudinis;

Sed quomodo Christus ait se mitem et humilem corde, si humilitas est sui ipsius contemptus ex cognitione propriae vilitatis? Quaenam in Christo vilitas est ex cuius cognitione humilis sit ac veluti nihili in oculis suis? An non ipse in omnibus et per omnia Deo aequalis? Sed humilis dicitur Christus quia nihil sibi arrogat, nihil sibi tribuit, sed omnia Patri. Multi enim de donis Dei superbiunt et gloriosi fiunt: *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* [49] At vero Christus hodie manifeste ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo:* nihil sibi tribuit Christus, omnia recognoscit a Patre; hinc non suum quaerebat aut ambiebat honorem, sed Patris; hinc vitam humillimam duxit in mundo, absque ullo fastu aut elatione, sed cum omnibus humillime conversabatur, neminem contemnebat, neminem aspernabatur; *humilis corde,* [50] quia cum esset aequalis Deo, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem*

47) Mt 11, 29. 48) Ps 1, 2. 49) 1 Cor 4, 7. Vulg.: *Si autem accepisti,* etc.
50) Mt 11, 29.

autem crucis. [51] Humilitatem autem et mansuetudinem, quae in tota ipsius vita manifestissimae sunt, proponit ut imitemur, quoniam humilitas et mansuetudo veluti bases et fundamenta sunt omnium virtutum, sicut ex animi ferocitate et elatione omnia alia vitia oriuntur: ambitio, cupiditas, quae radix est malorum omnium, [52] vind ctae, libido, irae, rixae, invidiae, etc.

Divus Franciscus duas has virtutes quam maxime coluit, ut esset Christo mansuetudine et humilitate simillimus.

V. Quartum tandem mysterium: *Quos... iustificavit, illos et magnificavit,* tum in praesenti saeculo tum in futuro. *Invenietis requiem animabus vestris:* requiem in praesenti, quia *iugum... meum suave,* placidum *est, et onus meum leve;* hinc Ieremias ait: *Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* [53] *Bonum est: Dicite iusto quoniam bene,* כִּי־טוֹב, *quoniam bonum;* [54] hinc Petrus supra montem excelsum videns gloriam transfigurationis ait: *Domine, bonum est nos hic esse;* [55] hinc rursus Ieremias ait: *Haec dicit Dominus: State super vias* vestras *et videte et interrogate de semitis antiquis quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium,* idest quietem *animabus vestris,* [56] et quietem in futura vita, nam: *Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* [57] Hinc paradisus dicitur requies aeterna, propterea in lege praefiguratur in sabbato, in quo nullum licebat laborem pati aut onus portare. [58]

et tandem glorificavit tum in praesenti saeculo tum in futuro.

VI. *Confiteor tibi Pater,* etc. Cum tria sint in universum quae in Divinis Litteris produntur: mysteria ad credendum, promissa ad sperandum et praecepta ad exequendum, in hodierno Evangelio simul omnia habemus: mysteria, promissa, mandata, ad credendum, sperandum, agendum, ut per haec sciamus Franciscum ascendisse in coelum, quia credidit mysteria, speravit promissa, servavit praecepta.

Tria praecipue traduntur in hoc Evangelio:

51) Phil 2, 8. 52) Cf. 1 Tim 6, 10. 53) Thr 3, 27. 54) Is 3, 10. Ms.: *Chi tob.* 55) Mt 17, 4; Mc 9, 4; Lc 9, 33. 56) 6, 16. 57) Apc 14, 13.
58) Cf. Ex 20, 8-11; Dt 5, 12-15; Ier 17. 8-11. Quae sub numero sequenti continentur, in posterum, eadem tamen manu, adiecta fuerunt, ut patet ex diversitate styli et atramenti.

mysteria credenda,

Sunt in hodierno Evangelio mysteria multa credenda: quod Deus sit Pater Christi singulariter, quia solus Christus est naturalis Filius Dei, quod sit Dominus omnium, quia omnium moderator et conditor; quod incomprehensibilia sunt iudicia Dei: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus;*[59] *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei ! quam incomprehensibilia,* etc.;[60] quod Christus constitutus est Dominus universorum a Patre: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo;*[61] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[62] *Omnia subiecisti sub pedibus eius;*[63] quod incomprehensibilis sit Christi persona: *Nemo novit Filium, nisi Pater,* sicut incomprehensibilis Dei natura, *neque Patrem quis novit, nisi Filius,* cognitione utique comprehensionis; quod Christus revelator est mysteriorum Dei: *Cui voluerit Filius revelare;*[64] quod Christus mitis sit et humilis corde, idest totus sanctus, pius, benignus; quod lex evangelica non solum possibilis, verum etiam facilis sit et suavis: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[65]

promissa speranda,

Promissa vero in hoc Evangelio sunt: *Ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris.*[66] Quae quidem non minima sunt promissa, sed duplicem continent consolationem, in praesenti et in futuro, duplicem paradisum: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti !*[67] *Dabo* eis *manna absconditum;*[68] *Dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.*[69]

praecepta exequenda, quibus Franciscus viam coeli sibi paravit.

Praecepta tandem sunt: *Venite ad me omnes... tollite iugum meum super vos... discite a me, quia mitis sum.* Haec praecepta Franciscus servavit, quia mundum propter Christum reliquit, tulit iugum Christi, didicit virtutes Christi factus Christi perfectus imitator, ut Christo per omnia similis fieret in sanctitate et virtutibus. Cum autem Franciscus divinae huic philosophiae et scientiae: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* ex animo operam daret, ut ad summum christianae perfectionis apicem promotus Christo quam simillimus fieret in omni divinarum virtutum genere, meruit ut in exteriori etiam corporis figura crucifixo similis divinitus fieret speciali praerogativa. Nam omnes sancti sunt similes Christo: *Quos*

59) Mt 11, 25. 60) Rom 11, 33. 61) Mt 11, 27. 62) Ibid. 28, 18.
63) Ps 8, 8. 64) Mt 11, 27. 65) Ibid. vr. 30. 66) Ibid. vrr. 28-29.
67) Ps 30, 20. 68) Apc 2, 17. 69) Ibid. vr. 7.

enim *praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, Franciscus autem privilegio singulari anima, corpore, virtutibus, dignitatibus et operibus, praeter enim divinam in eo vitae sanctitatem, qua veluti perpetuo in coelis conversabatur, multis etiam miraculis claruit. [70]

III. ALIA HOMILIA

Confiteor, tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis, etc. [1]

I. Placuerunt semper Deo parvuli, quoniam humilitate et innocentia animique puritate plurimum delectatur Deus. Divus Franciscus propterea Deo placuit eique acceptissimus et gratissimus fuit, quoniam humillimus et purissimo animo fuit. Exaltavit eum Deus, quoniam ipse, qui superbos humiliat, humiles supra modum exaltat: *Ego Deus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile;* [2] *Omnis* enim *qui se humiliat exaltabitur ;* [3] quia Divus Franciscus humilis fuit in terra inter homines, propterea nunc sublimis est in coelo inter Angelos. Exaltavit eum Deus in paradiso, quoniam ipse seipsum humiliavit in mundo; magnus est apud Deum, quoniam parvus fuit in mundo apud homines. *Revelasti ea parvulis ; Malitia parvuli estote ;* [4] *Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* [5] Hodie parvulus iste Franciscus a Salomone datus est verae matri: *Illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra.* [6]

Franciscus maxime a Deo exaltatus est, quia seipsum maxime humiliavit.

Simile quid accidisse visum est mihi hodie ac cum duae mulieres coram Salomone apparuerunt litigantes de puerulo, nam utraque dicebat suum esse infantulum. Cognita autem Salomon vera matre, ei filium dedit, non ei quae dormiens filium suum occiderat ac suffocaverat. [7] In unoquoque enim viro Divus Paulus duos

In homine duplex homo invenitur: exterior carnalis, interior spiritualis.

70) Alba relicta reliqua media parte folii, transitur ad sequentem homiliam.

1) Mt 11, 25. 2) Ez 17, 24. Vulg.: *Ego Dominus.* 3) Lc 14, 11. 4) 1 Cor 14, 20. 5) 1 Petr 2, 2. Vulg.: *Sicut modo... rationabile. Rationabiles* legitur in veteribus editionibus Vulg.: cf. *Biblia Lovaniensis.* 6) Gal 4, 26. 7) Cf. 3 Rg 3, 16-26.

esse homines docet: alterum exteriorem, carnalem, corruptibilem, alterum vero interiorem, spiritualem, immortalem et incorruptibilem; sic enim ait 2 *Corinthiis* 4: *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* [8] Homo exterior est corpus istud terrenum, carnale et animale; homo autem interior est animus coelestis, spiritualis, angelicus, divinus; mater hominis exterioris est natura terrena, mater autem interioris est gratia coelestis, hinc Baptisma dicitur sacramentum regenerationis, [9] et Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.* [10]

Franciscus hodie moritur carne,

Hodie mater exterioris hominis, natura terrena, occidit filium suum in Francisco, qui secundum carnem, corpore tantum mortuus est in oculis mundi huius, spiritu autem, quo filius est coelestis Ierusalem, nequaquam mortuus est, sed cum Deo immortalis in aeternum vivit. Et quidem natura saepe sibi ipsi tribuit divinas animi virtutes, complexioni vel educationi, industriae et diligentiae humanaeque virtuti, non coelesti divinaeque gratiae. Natura terrena suum dicebat filium esse Franciscum, quoniam ipsa eum in lucem ediderat, ipsa conceperat, ipsa pepererat, ipsa nutriverat et educaverat, ipsa vitam, sensum rationemque ei dederat. Quis nesciat, aiebat, quod homo a Deo ex meis visceribus formatus est? *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae;* [11] Franciscus autem homo est, ergo meus filius. Cur ergo mihi verae matri ablatus coelo detur?

spiritu autem in aeternum vivit,

At contra dicebat coelestis gratia: Franciscus animo, virtutibus, moribus, vita et conversatione totus coelestis est, ergo meus est filius, nam: *Qui de terra est... de terra loquitur,* [12] de terra cogitat, terrena desiderat; at Francisci cogitationes, desideria, affectus, virtutes, studia, verba, opera omnia coelestia sunt, ut etiam innumera ipsius miracula coelesti virtute operata declarant, quae nonnisi divina virtute fieri possunt. Quomodo ergo Franciscus terrenus et non coelestis est homo, si vita et virtutibus totus divinus est? Fateor quod secundum carnem tuus est filius, nec eum ego modo secundum carnem requiro, nam tu eum secundum carnem occidisti;

8) Vr. 6. 9) Cf. Tit 3, 5. 10) Io 3, 5. 11) Gn 2, 7. 12) Io 3, 31. Vulg.: *Qui est de terra*, etc.

iam corpore mortuus est; spiritu autem vivit. Spiritum autem non tu dedisti, non tu concepisti aut pepigisti vel formasti aut educasti, sed ego. Praedestinatio, electio, vocatio, iustificatio, sanctificatio et divinarum omnium virtutum perfectio non sunt opera naturae, sed gratiae coelestis. Franciscus autem praedestinatus est, electus est, iustificatus, sanctificatus, magnificatus est, Deo et Christo vita et virtutibus factus simillimus; ergo non terrenus, sed coelestis est homo, non naturae filius, sed gratiae secundum interiorem hominem. Non vides quam similis Christo Franciscus est? Quis negare potest ex tali tantaque similitudine et mutuo reciprocoque amore Franciscum Christo fratrem carissimum esse? Sicut Beniamin Ioseph principis Aegypti quam carissimus extitit frater, quamvis natu fratrum omnium minimus erat, prae cunctis tamen fratribus maiora dona ab eo accepit, nam aliis fratribus dedit Ioseph unicuique binas stolas, at Beniamino dedit quinque et adhuc trecentos argenteos,[13] et in convivio dedit unicuique fratrum partem, sed Beniamino multo maiorem, ita ut quinque partibus excederet partes singulas aliorum,[14] solumque in sacco Beniamin iussit poni scyphum suum argenteum in signum singularissimae dilectionis, quoniam carissimus frater ipsius erat, ex eodem patre eademque matre natus;[15] sic, inquam, Christus Francisco in signum specialissimae dilectionis dedit quinque stigmata corporis sui, signa redemptionis nostrae, multoque abundantiorem gratiam et caritatem. Quid num dices Christum unigenitum Filium Dei non esse meum filium? Si ergo Christus verus meus est filius et Franciscus Christo est frater simillimus atque carissimus, ergo meus est filius. Iudicet ergo Dominus inter nos, quoniam iudex est veritatis et iustitiae.

Datus est ergo filius coelesti Ierusalem tanquam verae matri.

Sic hodie coelestis Ierusalem Francisci spiritum suscipiens et amplexans, secum duxit magna Angelorum multitudine comitata in coelum, ad aeternas delicias paradisi, ad gloriam coelestis regni. Sicut enim cum mortuus fuit Lazarus ille mendicus, portatus fuit ab Angelis in sinum Abrahae, in locum perpetuae consolationis,[16]

ad coelestis regni gloriam evectus.

13) Cf. Gn 45, 22. 14) Cf. ibid. 43, 34. 15) Cf. ibid. 44, 2. 16) Cf. Lc 16, 22.

ita Beato Francisco defuncto, sanctissimus spiritus eius ab Angelis paradisi delatus fuit in sinum coelestis Patris Dei, qui pater est animarum et *Deus totius consolationis,*[17] ut una cum beatis spiritibus ipse quoque Deum perpetuo laudaret: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in saecula saeculorum laudabunt te.*[18] Ita morti proximus aiebat Beatus Pater: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; me expectant iusti donec retribuas mihi,* ubi hebraice est: *Educ de clausura,* sive de carcere, *animam meam ad laudandum nomen tuum; me coronabunt iusti, quoniam retribues mihi,* sive *in me* aut *propter me coronabunt se iusti, cum retribueris mihi.*[19] Erat mundus hic Francisco veluti carcer, quare mortem desiderabat qua de hoc mundo exiret, sicut qui diu in carcere detentus est naturaliter summopere libertatem desiderat, tanquam avis de cavea et aviario ad volandum per aera: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*[20] Et quamvis corpus ipsius esset veluti sacrum Spiritus Sancti templum, cuius ostium erat lateris plaga, manuum vero et pedum stigmata veluti quattuor fenestrae templi huius, tamen spiritui eius tenebrosus obscurusque carcer videbatur: *Educ de carcere animam meam ad confitendum* cum sanctis Angelis et beatis spiritibus *nomini tuo; me* enim *expectant iusti* sanctique omnes in coelo et sancti religiosi Ordinis mei de me facient sibi coronam honoris et gloriae, nam gloriabuntur se talem tantumque Patrem et Patriarcham habere, cum tantam gloriam tu retribueris mihi in terra et in coelo, in mundo et in paradiso.

Hodie B. Franciscus de terra in coelum translatus est veluti Enoch et Moyses,

II. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me,* etc.[21] Sicut sanctum Enoch ob virtutis meritum tulit Deus, morte non intercedente, de mundo hoc ad meliorem et beatiorem vitam, quoniam secundum nomen suum Deo se totum dedicavit[22] ambulavitque cum Deo in via iustitiae et sanctitatis et Deo placuit, propterea non legimus eum mortuum, sed translatum a Deo ad melio-

17) 2 Cor 1, 3. 18) Ps 83, 5. 19) Ps 141 (hebr. 142), 8. Cf. S. Bonaventura *Legenda S. Francisci*, t. 8, cp. 14, pag. 517; Thomas a Celano *S. Francisci Assisiensis Vita et Miracula, Legenda 1*, cp. 8, pag. 114. 20) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens*, etc.
21) Mt 11, 28-29. 22) Enoch enim latine *dedicatio* interpretatur.

rem vitam,[23] ad significandum, ut adnotavit Chrysostomus, quod virtuti debetur immortalitas vitaque aeterna, sicut peccato mors,[24] nam: *Stipendia... peccati mors,* ut ait Apostolus,[25] et per peccatum mors intravit in mundum,[26] sic hodie Divus Franciscus ob meritum sanctitatis translatus est de terra in coelum, de mundo hoc terreno in supercoelestem paradisum, quoniam seipsum totum interius et exterius divino cultui dedicavit. Et sicut Moyses, dux Hebraeorum, in fine peregrinationis suae ascendit in cacumen montis excelsi ad contemplandam inde felicem ac beatam terram promissionis,[27] ita hodie Franciscus coelum ascendit ad divinitatem ipsam contemplandam; nam in hac contemplatione beatitudo consistit et gloria omnium Sanctorum. Tandem sicut Elias igneo curru in coelum raptus fuit,[28] ita hodie Franciscus, qui in mundo duplici spiritu Eliae plenus et superplenus fuit. Ecce currus: *Tollite iugum meum super vos.* Bos sub iugo dicitur dum currum iugo alligatus trahit; currus igneus est lex evangelica, quoniam tota in caritate consistit: *In dextera eius ignea lex;*[29] quoniam vero nil levius igne nec suavius dum frigus urget, recte ait: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[30] Ignis enim hic non comburit, sed illuminat et suaviter calefacit, sicut sol et sicut ignis rubi Moysi.[31]

veluti Elias igneo curru,

Currus est igneus Evangelium Christi, habens quattuor rotas quattuor cardinalium virtutum, quibus praeditus animus facillime legem divinam servat, sicut bos facile trahit levem currum bonas rotas habentem. Propterea sicut non unus tantum bos, sed duo currum trahunt, ita duplici spiritu opus est ad servandam divinam legem: humano virtutibus omnibus instructo, et divino, sine quo humanus spiritus, quamvis omnibus tum cardinalibus tum theologicis virtutibus praeditus, divinam legem servare minime potest. Sicut nec oculus, licet perfecto sensu visus gaudeat, sine externo tamen lumine videre nil potest, quare ad videndum duplici opus est lumine, ita duplici spiritu ad divinam legem servandam. Du-

ob merita sanctitatis

23) Cf. Gn 5, 21-24; Eccli 44, 16. 24) *In Genesim*, hom. 21, (P. G. 53, 180-181); hom. 24, ibid. col. 211. 25) Rom 6, 23. 26) Cf. ibid. 5, 12. 27) Cf. Dt 32, 49. 28) Cf. 4 Rg 2, 11. 29) Dt 33, 2. 30) Mt 11, 30. 31) Cf. Ex 3, 2.

plex autem iste spiritus, humanus et divinus, facillime supra modum currum hunc trahit; nec tantum currere, sed volare facit. Hoc est quod legimus: *Currus igneus et equi ignei.*[32] Equi enim ignei sunt duo hi spiritus, divinus et humanus. Sic igitur Divus Franciscus tulit iugum hoc suave et leve onus, traxit Spiritu Sancto adiutus currum hunc igneum eoque in coelum subvectus est raptusque in paradisum Dei.

32) 4 Rg 2, 11.

DIES SANCTI LUCAE EVANGELISTAE

Designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, etc. [1]

I. Celebramus hodie festum Sancti Evangelistae Lucae, qui tanquam lux mundi et splendida coeli stella magnumque luminare firmamenti splendidissima luce divinae sapientiae coelestisque doctrinae mundum illustravit. Hic ille sacer est bos apud Ezechielem,[2] qui 10 capite eiusdem vaticinii dicitur specialiter *cherub.* Cum enim ibi Divinus Vates eandem visionem referat mirabilis illius animalis quam 1 capite retulerat: *Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel,*[3] ait: *Quattuor autem facies habebat unum: facies una facies cherub et facies secunda facies hominis et in tertio facies leonis et in quarto facies aquilae. Et elevata sunt cherubim; ipsum est animal quod videram iuxta fluvium Chobar.*[4] Ubi omnes quidem Evangelistae dicuntur cherubim ob multitudinem et plenitudinem divinae scientiae et sapientiae, sed specialiter Lucas hoc appellatur nomine, quoniam ipse solus excultus fuit scientiis et doctrinis humanitus acquisitis, veluti alter Moyses *eruditus* in *omni sapientia Aegyptiorum.*[5] Fuit enim philosophus medicus, ut Paulus ait *ad Colossenses: Salutat vos Lucas medicus carissimus;*[6] quare scientia et arte humanitus acquisita medicus fuit corporum, scientia autem divinitus infusa medicus animarum. Sic speciali ratione Lucas dictus est *cherub.*

Divus Lucas ab Ezechiele descriptus fuit sub hieroplyphico bovis et cherub,

quia excultus scientiis et doctrinis humanitus acquisitis, fuit enim medicus

1) Pericope huius diei Lc 10, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 1, 10. 3) Vr. 20. 4) Vrr. 14-15. 5) Act 7, 22. 6) 4, 14.

N i c e p h o r u s autem, libro 2, capite 43 *Ecclesiasticae Historiae,*[7] refert eum non solum medicum fuisse, verum etiam pictorem egregium quodque multas coloribus effigiavit[8] imagines Christi Domini nostri, Sanctissimae Matris Virginis Mariae Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli. Sic in Evangelio suo veluti depinxit nobis vivis coloribus et delicatissimo penicillo vitam Domini, in *Actis* vero vitam Apostolorum, post acceptum Spiritum Sanctum, maxime vero vitam Petri et Pauli, qui Apostolorum principes extitere. Sic Lucas cherub fuit omni humana scientia divinaque sapientia imbutus.

et pictor egregius.

Operae pretium autem erit divinum hoc hieroglyphicum interpretari, ut inde laudum et virtutum sanctissimi huius Evangelistae panegyricum componamus.

II. Est quidem bos aut vitulus in Divinis Litteris animal mundum sanctumque et in sacrificiis Deo carum acceptumque, nam ungulam bifidam habet et cibum, quo nutritur et vivit, diligenter ruminat.[9] Quod quidem significat discrete vivere discernendo bona a malis animi affectu divinaque meditari: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte*[10] Bos fuit Lucas natus ad portandum iugum Christi: *Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[11]

Bos animal mundum in Lege.

Apud Aegyptios erat bos hieroglyphicum temperantiae, modestiae, iustitiae et fortitudinis, quae simul cum mansuetudine coniuncta est.[12] In Divinis autem Litteris symbolum est hominis iusti operantis bona; sic enim P a u l u s interpretatur illud *Deuteronomii : Non alligabis os bovi trituranti,*[13] quod dignus sit operarius mercede sua,[14] debetur praemium bene operanti. S a l o m o n autem per bovem designat virum fortem constantemque ad perferendos labores, quibus divitiae multae comparantur: *Ubi... plurimae* sunt *segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis,*[15] nam, ut alibi

hieroglyphicum temperantiae, fortitudinis et mansuetudinis.

7) P. G. 145, 785; lib. 6, cp. 16, ibid. col. 1162. 8) De hoc verbo cf. Io. Forcellini *Lexicon Totius Latinitatis.* 9) Cf. Lv 11, 1-8. 10) Ps 1, 1-2. 11) Mt 11, 29. 12) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica,* lib. 3, De Tauro. 13) 25, 4; 1 Cor 9, 9; 1 Tim 5, 18. 14) Cf. 1 Cor 9, 9-14. 15) Prv 14, 4.

idem ait: *Manus ... fortium divitias parat.* [16] Ioseph patriarcha sanctissimus a Moyse bovis symbolo est insignitus; sic enim de eo ait *Deuteronomio* 33: *Quasi primogeniti tauri pulcritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius.* [17] Sed et Christus ipse in Divinis Litteris bos est appellatus, praefiguratus in vitulo illo, quem magnus sacerdos in die expiationis offerebat Domino pro remissione omnium peccatorum totius israelitici populi, [18] ipseque est vitulus saginatus in Evangelio. [19]

III. Nunc autem qualis sit sacer iste vitulus, qui mysterio Divum Lucam significat, aperiendum nobis est. Quattuor animalia vidit Ezechiel in coelo, non in terra, sub firmamento coeli, quae veluti currum gloriae divinae maiestatis, spiritu Dei auriga et moderatore, gestabant. Unumquodque autem animal habebat quattuor facies et quattuor alas ac sub alis quattuor manus brachiaque humana, singula autem omni ex parte plena erant igneis oculis et tanquam ignis splendebant; pedes habebant rectos et planos ad instar pedum vitulorum et pernicissime [20] velocissimeque ad instar fulguris currebant. [21] Sacer ergo iste vitulus non terrenus est sed coelestis, totus igneus, totus plenus igneis oculis; habet quattuor facies, quattuor alas et quattuor manus, pedes autem rectos, planos, rotundos ut vitulus. Haec sunt mysteria aperienda nobis.

Aperiuntur mysteria huius hieroglyphici.

Vitulus est animal mundum et sanctum, Deo ex Legis praescripto carum. [Lucas] homo electus, praedestinatus, vocatus et iustificatus a Deo, vitulus coelestis [est]: *Nostra autem conversatio in coelis est;* [22] non enim ad instar animalium hominum vitam ducebat in terra, sed quasi Angelus in carne coelestem vivebat vitam. Est autem vitulus igneus, ad ignis instar totus ardens et splendens ob magnitudinem Spiritus Sancti, qui in igne datus fuit discipulis, [23] ob quam etiam rationem Christus Ioannem Baptistam appellavit lucernam ardentem et lucentem: *Ille erat lucerna ardens et lucens;* [24] totus igneus, divina plenus caritate, nam: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* [25]

Lucas coelestem vitam agebat in terra.

16) Ibid. 10, 4. 17) Vr. 17. 18) Cf. Lv 16, 1-16. 19) Cf. Lc 15, 23 sqq. 20) Ms.: *Perniciosissime.* 21) Cf. Ez 1, 1 sqq. 22) Phil 3, 20. 23) Cf. Act 2, 2-4. 24) Io 5, 35. 25) Rom 5, 5.

plenus Spiritu Sancto et divina caritate,

ardens illo igne de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ?*[26] et de quo ipsemet Lucas ait: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret... Scripturas ?*[27] Ignis est Deus, idest caritas: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo ;*[28] *Aspectus eorum sicut* aspectus *carbonum... ardentium et sicut aspectus lampadarum*[29] ardebant et lucebant.

et divinarum humanarumque rerum scientia.

Totus undequaque plenus oculis sicut coelum astris omni ex parte ornatum. Per oculos autem prudentiam et sapientiam designari nemo est qui nesciat. Fuit ergo Lucas veluti apud poetas Argus centoculus,[30] omni tum divinarum tum humanarum rerum cognitione et sapientia plenus. Cognovit mysteria omnia utriusque Testamenti, omnia fidei sacramenta, omnem habuit naturalium et supernaturalium rerum scientiam.

Evangelistae Lucae tribuitur hieroglyphicum bovis, quia de sacerdotio Christi specialiter agit.

Habet autem quattuor facies quilibet Evangelista, quoniam quilibet ostendit et describit quattuor Christi mysteria: incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem, quilibet Christi ostendit humanitatem, sanctitatem, felicitatem gloriae et divinitatem; quod Christus fuerit verus homo, rex et pontifex, summus ac verus Deus; haec Matthaeus, haec Marcus, haec Ioannes, haec Lucas de Christo ostendit. Sed sicut in divina theologia, quamvis singulis Personis Sanctissimae Trinitatis attributa omnia vere conveniant, quaelibet enim infinita potestate, sapientia et bonitate praedita est, specialiter tamen per quandam convenientiam tribuitur potentia Patri, sapientia Filio et bonitas Spiritui Sancto; sic quamvis omnes Evangelistae eodem Spiritu Dei pleni eadem scripserint salutis nostrae mysteria, unde apud Ezechielem unumquodque animal habet quattuor facies, specialiter tamen tribuitur facies hominis Matthaeo, leonis Marco, aquilae Ioanni et bovis Lucae, ut apud Ioannem in *Apocalypsi*, capite 4, legimus,[31] quoniam specialius videtur Matthaeus tractare de humanitate, Ioannes de divinitate, Marcus de regali potestate et Lucas de sacerdotio et pontificali dignitate Christi.[32]

26) Lc 12, 49. Vulg.: *Nisi ut accendatur.* 27) 24, 32. 28) 1 Io 4, 16. 29) Ez 1, 13. Vulg.: *Quasi carbonum... et quasi*, etc. 30) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 8, cp. 18, pag. 763. 31) Cf. vr. 7. 32) Cf. S. Hieronymus *Adver-*

Quattuor facies coelestis animalis significant quadruplicem sensum Evangelii,

Habet etiam Evangelista quilibet quattuor facies, quoniam totum fere Evangelium quadruplici sensu constat: litterali, allegorico, tropologico et anagogico. Habet et quattuor alas. Apud Platonem in *Symposio* alatum legimus animum, alatum amorem.[33] Sunt autem alae, quibus animus volat, cogitationes et desideria, quibus verum meditatur et bonum diligit; in his autem animi cogitationibus et desideriis virtus omnis consistit, hisce optime regulatis. Quattuor igitur alae quattuor virtutes cardineas designant caritati coniunctas. Nam haec sunt quattuor flumina, in quae fluvius paradisi dividitur.[34] In *Apocalypsi* animalia haec senas habere alas dicuntur,[35] sicut et Seraphim apud Isaiam,[36] quoniam sex virtutes sunt cum caritate coniunctae: fides et spes erga Deum, iustitia et prudentia erga proximum, fortitudo et temperantia erga seipsum.

quattuor alae quattuor virtutes cardinales,

Dicitur autem apud Ezechielem quod animalia illa duabus alis volabant et duabus tegebant corpora sua, nam homo caritate praeditus fortitudine et temperantia custodit seipsum ab omni vitio et peccato tum in prosperis tum in adversis; iustitia vero et prudentia erga proximum bona operatur, hoc est quod sub pennis habebant manus, quae opera designant. Non sufficit habere habitus virtutum, sed necesse est etiam habere opera iugiterque virtutes animi operibus exercere, sicut artifices operibus exercent artes, alioquin quid prosunt?

manus sub pennis rectam intentionem in operibus,

Manus autem sub pennis habebant absconditas, quoniam necesse est ut semper secundum virtutum regulas operemur, ut sint omnia opera nostra informata virtutibus et ut sint ab oculis hominum occulta, ne fiant in oculis hominum ad sanctitatem ostendendam ex appetitu gloriae laudisque humanae, sed ut omnia opera nostra pura, recta et sancta intentione et animo ad Deum dirigantur eoque animo fiant, ut Deo placeamus. Hoc est quod animalia haec divina pedes habebant rectos firmosque, quales sunt bovilli pedes.

Et mirabile est quod de pedibus hisce dicitur, quod promptissimi erant ad quaqueversum ambulandum: *Non revertebantur*

sus Iovinianum, lib. 1, (P. L. 23, 248); S. Augustinus *In Ioannem*, tract. 36, ibid. 35, 1665-1666; S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 31, cp. 47, ibid. 76, 625; *In Ezechielem*, lib. 1, hom. 4, ibid. col. 815. 33) *In Convivio*, pag. 240. 34) Cf. Gn 2, 10.
35) Cf. 4, 8. 36) Cf. 6, 2.

pedes recti perseverantiam in caritate.

cum ambularent,[36a] non sese vertebant sicut homo et quodvis animal, non enim facile retro ambulare potest vel ad dexteram aut ad sinistram, sed vertit se, si eo ambulandum ei est. Non sic autem coelestia haec animalia, sed sicut unumquodque quattuor facies habebat, unam ante, alteram retro, unam a dextris et alteram a sinistris, ita et pedes unumquodque habebat aptos ad promptissime optimeque quaqueversum ambulandum, ita ut non opus haberet ut sese verteret qua parte gradiendum illi erat. Hoc est quod Paulus *2 ad Corinthios* ait: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus... in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam,*[37] ut sit animus viri iusti sicut corpus quadratum, quod quacunque vertatur parte firmum manet sibique semper simile; ut eadem animi promptitudine homo in prosperis et adversis eadem semper voluntate et caritate serviat Deo.

Sic fuit Beatus Lucas, qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro divini nominis gloria et honore portavit,[38] multa passus propter fidem et praedicationem Evangelii una cum Paulo.

Cherub lineo indutum Divum Paulum designabat,

Speciale autem quod de Luca apud Ezechielem adhuc legimus capite 10. Refert enim Vates capite 9 se vidisse hominem indutum lineis byssinis vestibus, missum a Deo ut signaret signum *thau* super frontes electorum;[39] postea vero iussum ut ingrederetur in medium rotarum et cherubim ad accipiendum ignem et effundendum in medio civitatis, aitque capite 10 quod, cum accessisset ille iuxta rotas et cherubim, *extendit cherub manum de medio cherubim ad ignem, qui erat inter cherubim, et sumpsit et dedit in manus eius qui erat indutus lineis.*[40] Vir ille indutus lineis specialiter et singulariter missus ad signandum signum *thau* super frontes electorum, insignem praedicatorem significat Paulum, qui ad hoc singulariter missus fuit a Christo, ad praedicandam gentibus ipsius gloriam, ad praedicandam crucem, ad praedicandam evangelicam legem, nam lex תּוֹרָה[41] dicitur hebraice, incipit a littera *thau.*

qui a Luca Evangelium accepit quod praedicabat.

36a) Ez 1, 12. Vulg.: *Non revertebantur,* etc. 37) 6, 4-8. 38) Cf. Breviarium Rom., Orat. huius Festi. 39) Cf. vrr. 1 sqq. 40) Vrr. 1-7. Vulg.: *Indutus erat lineis.* 41) Ms.: תורה.

Paulus autem Evangelium secundum Lucam praedicabat Lucaeque Evangelium dicebat Evangelium suum quod praedicabat.[42] Iste ergo cherub dedit ignem viro huic lineis induto, nam lex evangelica est lex ignea a dextris Dei, ut in *Deuteronomio* legimus: *In dextera eius ignea lex,*[43] quia tota caritas est, tota divinus amor.

Tandem unumquodque animal habebat iuxta se rotam oculis plenam, quae instar pilae corporisque sphaerici ad quamcunque partem volvebatur; rota autem perfectionem significat omnium vitutum, perfectam sanctitatem et perfectam scientiam ac sapientiam divinorum.

Multa habet Lucas cum aliis Evangelistis communia.

IV. Habet igitur Lucas cum aliis Evangelistis multa communia: quod sit animal trahens currum triumphalem gloriae Christi, nam veluti triumphalem currum gloriae Christi vidit ibi Ezechiel, ut etiam Ecclesiasticus ait;[44] Evangelium autem est triumphalis currus Christi, hoc enim ubique ostenditur et praedicatur divina Christi gloria, qua verus est homo et verus Deus aequalis Patri. Quattuor autem Evangelistae sunt veluti quattuor currus huius animalia et quattuor rotae, auriga autem Spiritus Sanctus. Habet commune cum aliis quod sit animal igneum, ardens sicut ignis et splendens sicut lampas; habet cum aliis quattuor facies, quattuor alas, quattuor manus, pedes rectos, totum corpus oculis plenum; habet etiam velocissimum motum, quia *animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*[45]

sed speciale ipsius est quod prae aliis plenus fuit scientia naturali

Specialia autem ipsius sunt, quod singulariter dicitur *cherub*, et cum hoc nomine appellatur, ponitur primo loco *Facies cherub facies una... facies secunda facies hominis... in tertio facies leonis et in quarto facies aquilae,*[46] cum 1 capite, ubi vitulus dicitur, tenuerit tertium locum: *Similitudo* quattuor animalium *facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quattuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quattuor et facies aquilae desuper ipsorum quattuor,*[47] quoniam Lucas inter Evangelistas in plenitudine scientiae tenuit principatum, propterea quod non so-

42) Cf. Rom 2, 16; 2 Tim 2, 8; S. Hieronymus *De Viris Illustribus*, cp. 11, (P. L. 23, 621).
43) 33, 2. 44) Cf. 49, 10. 45) Ez 1, 14. 46) Vr. 14. Vulg.: *Facies una facies cherub*. 47) Vr. 10.

lum cum ceteris habuit plenitudinem scientiae divinae supernaturaliter infusam, sed etiam plenitudinem scientiae naturalis humanitus acquisitam.

et Evangelium suum Paulo subministravit,

Aliud vero speciale ipsius est, quod ipse singulariter subministravit ignem evangelicae legis de medio cherubim viro lineis induto et singulariter misso ad scribendum signum *thau* super frontes electorum, idest Divo Paulo, quem solum legimus a Christo personaliter vocatum post gloriosam ascensionem et missum ad praedicandum Evangelium a Christo in gloria sedente supra omnem angelicam hierarchiam ad dexteram Dei; [48] nam homo ille missus fuit a Deo in forma hominis ignei sedente super currum hunc triumphalem; Paulus autem Evangelium secundum Lucam praedicavit.

solus mysteria incarnationis, nativitatis, ascensionis Christi historice describit,

Adhuc autem et aliud speciale de eo legimus Ezechiele 10. Ait enim: *Et elevata est gloria Domini super cherub ad limen domus,* [49] idest templi Domini, quod sacra erat figura Ecclesiae; gloria autem Dei Christus est. Sed quid est quod specialiter super cherub exaltata et elevata est gloria Domini? et ad limen, ad ostium domus, in ingressu templi? Templum illud vel militantem, vel triumphantem Ecclesiam designat. Militantem Ecclesiam ingressus est Christus in incarnatione et nativitate, triumphantem vero post redivivam resurrectionem, in mirabili et gloriosa ascensione in coelum, cum *assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.* [50] Utrunque autem ingressum solus Lucas historice describit, nam ipse solus litteris consignavit historiam annunciationis, [51] ipse solus historiam nativitatis Christi: [52] quomodo mox natus in Bethlehem, adoratus fuit ab Angelis: *Gloria in excelsis Deo,* [53] et quomodo Christi nativitas nunciata fuit pastoribus ab Angelo: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo,* etc.; [54] solus etiam Lucas perpetuis monumentis mandavit historiam gloriosae ascensionis Christi in coelum in suis *Actis Apostolicis.* [55]

Et si porta huius templi significat Sanctissimam et Beatissimam Virginem Deiparam, solus Lucas veluti cancellarius ipsius

48) Cf Act 9, 1-16. 49) Vr. 4. Vulg.: *Desuper cherub,* etc. 50) Mc 16, 19. 51) Cf. 1, 26-38. 52) Cf. 2, 1-7. 53) Ibid. vr. 14. Vulg.: *In altissimis Deo. In excelsis* ex Liturgia Ecclesiae. 54) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Evangelizo vobis,* etc. 55) Cf. 1, 9-11.

fuit. Ipse solus scripsit de eius annunciatione, de partu virginali, de circumcisione, de praesentatione ad templum, [56] de visitatione Elisabeth; ipse solus descripsit canticum Virginis; [57] ipse solus quod eum amissum invenit in templo [58] et solus ipse innuit quidnam Virgo Sanctissima egerit post ascensionem Christi in coelum, quod erat perseverans in oratione. [59]

et solus scripsit quae scimus de Virgine Maria.

Sic verum est quod *elevata est gloria Domini super cherub ad limen domus,* ad portam divini templi, nam Maria est porta illa, de qua idem E z e c h i e l ait: *Porta haec clausa erit* et *non aperietur . . . quoniam Dominus Deus . . . ingressus est per eam.* [60] *Elevata est gloria Domini super cherub,* super Lucam omni [61] scientia plenum, qua vere fuit Lucas lux mundi mirabili doctrina et sapientia sua. Si enim nullum alium haberemus divinarum rerum scriptorem atque doctorem, solus Lucas sufficeret ad illuminandum universum mundum lumine fidei et christianae doctrinae, quae vera est sapientia altissimaque theologia, scientiarum omnium regina. [62] Sic Lucas natus est in mundo ut esset lux mundi, magnum luminare coeli; hic veluti taurus coelestis est constans splendidissimis ac fulgidissimis astris, signum quod dominatur in corde placidissimi temporis, floridi ridentisque veris.

Ita ut solus ipse sufficeret ad illuminandum mundum lumine fidei.

ALIA HOMILIA

Designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, etc. [1]

I. Duae electiones a Christo Domino nostro factae designantur primo in hodierno Evangelio: electio Apostolorum et electio discipulorum, qui post Apostolos secundum tenerent gradum in ecclesiastica hierarchia: *Designavit Dominus et alios,* idest, cum duodecim elegisset Apostolos, designavit alios *septuaginta duos* discipulos,

Agitur in hodierno Evangelio de electione Apostolorum et discipulorum Christi.

56) Cf. 2, 21-39. 57) Cf. 1, 39-55. 58) Cf. 2, 41 sqq. 59) Cf. Act 1, 14. 60) 44, 2. 61) Ms.: *Omnia.* 62) Sic theologia appellatur a S. Io Damasceno *Dialectica*, cp. 2-3, (P. G. 94, 434).

1) Lc 10, 1.

quos ad praedicandum Evangelium destinavit, ut sicut synagoga Hebraeorum, postquam egressa fuit ex Aegypto, post transitum maris Rubri, ingressa sacrum desertum, invenit in Elim duodecim fontes viventium aquarum et septuaginta palmas suavissimis fructibus onustas,[2] sic Ecclesia Christi, translata de tenebris in admirabile lumen Dei,[3] ingressa in sacrum desertum vitae christianae, inveniret duodecim hos fontes divinae sapientiae et has septuaginta palmas, electas arbores, nam iustus quisque per frugiferam arborem designatur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo;*[4] sed specialiter per palmam: *Iustus ut palma florebit,* idest fructificabit et prospere aget, *sicut cedrus Libani multiplicabitur,*[5] idest crescet. Hinc per palmam in *Canticis* designata Ecclesia est, dicente sponso: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius;*[6] imo Christus ipse dictus est palma, sic enim Spiritu Sancto afflatus Regius Vates de Christo specialiter dixit: *Iustus ut palma florebit.*

Discipuli per palmam designantur.

Nec sine mysterio Christus dictus est palma et similiter Ecclesia: *Statura tua assimilata est palmae,*[7] sed ad designandum sponsalitium et matrimonium inter Christum et Ecclesiam; nam, ut naturales observarunt, est palma mas et femina, nec fructificare possunt, nisi se mutuo vel aspicere possint, etsi a longinquo;[8] sic ait Christus: *Sine me nihil potestis facere.*[9]

Palma etiam figura est Christi et Ecclesiae,

Fuit etiam palma apud antiquos hieroglyphicum virtutis, fortitudinis, iustitiae atque victoriae;[10] virtutis quidem, quoniam palma trunco et stipite aspera valde visuque minime iucunda arbor est, fructus autem eius dulcissimi sunt, nectare veluti et ambrosia pleni et, ramis in cacumine expansis, pulcrum spectaculum exhibet; ita et virtus principio quidem aspera, sed tandem suavissima. Hinc nonnulli dixerunt virtutem sitam esse in vertice palmae, quae super montem asperrimum superatuque difficillimum plantata sit,[11] ad designandum quod nonnisi multis laboribus multaque temporis diuturnitate virtus perfecta comparari potest, sicut in

hieroglyphicum virtutis,

2) Cf. Ex 15, 27. 3) Cf. 1 Petr 2, 9. 4) Ps 1, 3. 5) Ps 91, 13.
6) 7, 8. 7) Ibd. vr. 7. 8) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 50, De Palma.
9) Io 15, 5. 10) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 50, De Palma.
11) Cf. ibid.; Io. Wirt *Historia Plantarum*, t. 1, lib. 3, cp. 159, pag. 352.

quavis scientia conspicuum est et in quavis arte nobili et ingenua.

Hieroglyphicum etiam iustitiae, quoniam arbor est incorrupta semperque aestate et hieme eandem exhibet speciem et folia nunquam dimittit, nisi vi tollantur ac praecidantur; ponderibus resistit et contra vim ponderum incurvatur nihil cedens. Talis necesse est ut sit iustitia in iudicibus et rerumpublicarum administratoribus, ut sint rectissimo semper animo, sicut palma sursum tendentes mente et cogitatione in Deum, omnino incorruptibiles in administratione iustitiae et contra pondera niti; pondera sunt spes et timor, affectio et passio, amor et odium.[12] iustitiae,

Tandem hieroglyphicum fortitudinis et victoriae, quoniam vi minime cedit, nec deorsum onerata flectitur, sed contra pondera insurgit et in contrarium nititur. Salomon universum templum intrinsecus ornavit figuris cherubim et palmarum,[13] ad designandum quales oporteat esse fideles, ut vitam ducant sicut Angeli in coelo innocentem et tentationes ac vitia vincant. Sic Ioannes in *Apocalypsi* multos ac innumeros vidit Christi fideles qui erant *amicti stolis albis et palmae in manibus eorum.*[14] fortitudinis atque victoriae.

Fuerunt igitur hi septuaginta discipuli palmae septuaginta propter perfectionem iustitiae: *Iustus ut palma florebit,* et Iob ait: *Sicut palma multiplicabo dies.*[15]

II. Aliud quoque in hodierno Evangelio habemus hieroglyphicum discipulorum Christi: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*[16] Agnos appellat ovesque, sicut Apostolis ait: *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos,*[17] ut sint Christo simillimi, qui Agnus est Dei, *qui tollit peccata mundi,*[18] et ovis quae ad occisionem ducta est et tanquam agnus non aperuit os suum;[19] ad designandam innocentiam, puritatem et simplicitatem animi, innatam mansuetudinem et bonorum operum fecunditatem, iustitia enim velut ovis fecunda est, quae nulli nocumento est et multam affert pastori uti- Designantur etiam per oves et agnos,

12) In margine haec adiecta fuerunt: « Sic legimus in libro *Iudicum* quod Debora prophetes, quae populum Israel iudicabat, sedebat sub palma ». 13) Cf. 3 Rg 6, 29.
14) 7, 9. 15) 29, 18. 16) Lc 10, 3. 17) Mt 10, 16. Vulg.: *In medio luporum.*
18) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.
19) Cf. Is 53, 7.

litatem lana, lacte et partu; ad designandam legalem iustitiam: *Declina a malo et fac bonum.*[20]

ovis enim, animal mundum in Lege, multas virtutes significat,

Animal hoc in Lege mundum reputatur, quia dividit ungulas et ruminat, sanctum reputatur Deoque carum in sacrificiis.[21] Tales fuerunt Christi discipuli, quorum vitam ipse describens ait: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.*[22] Oves dicuntur et agni, ad designandum quanti faciat electos suos Christus: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Ego sum pastor bonus.*[23] Ad designandam etiam divinam providentiam, nam pastori incumbit cura et studium pascendi oves ac providendi eis[24] omnia necessaria; hinc ait hodie: *Nolite portare sacculum, neque peram:*[25] interdicit eis omnem providentiam humanarum rerum, iuxta illud: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet.*[26]

quas Christus a suis discipulis requirit.

Multas a discipulis suis Christus virtutes requirit in hodierno Evangelio. Primo quidem obedientiam: *Misit illos.* Secundo mutuam caritatem, ideo binos misit, ut inquit G r e g o r i u s :[27] *Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma;*[28] *Vae soli! quoniam cum ceciderit, non habet sublevantem se.*[29] Tertio praedicationem fidei: *In omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus;*[30] *Dicite... Appropinquavit in vos regnum Dei,*[31] et forte illud: *Ante faciem suam,* fidem exigit divinitatis Christi ubique praesentis. Quarto orationem: *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.*[32] Quinto mansuetudinem et humilitatem: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Sexto spem divinae providentiae: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta et neminem per viam salutaveritis,*[33] ad conciliandas amicitias hominum, in quibus saepe confidere solemus; ubi etiam alludit Dominus ad mysterium, quod mittebat hos discipulos ad suscitandum mortuos praedicatione Evangelii,

20) Ps 33, 15. Vulg.: *Diverte*, etc. 21) Cf. Lv 11, 3. 22) Io 10, 27-28. 23) Ibid. vr. 11. Ordine inverso affert has pericopas. 24) Ms.: *Et.* 25) Lc 10, 4. 26) Ps 54, 23. Vulg.: *Iacta super Dominum curam tuam*, etc. Affert ex Liturgia Ecclesiae, cf. Missale Rom., Dom. 3 post Pent., *Introitus.* 27) *In Evangelia*, lib. 1, hom. 17, (P. L. 76, 1139). 28) Prv 18, 19. 29) Eccle 4, 10. Vulg.: *Quia cum cediderit*, etc. 30) Lc 10, 1. 31) Ibid. vr. 9. 32) Ibid. vr. 2. 33) Ibid. vr. 4.

sicut Eliseus misit Giezi ministrum suum ad suscitandum filium mulieris sunamitidis dicens ei: Neminem per viam salutaveris.[34] Septimo ut operarentur miracula: *Curate infirmos qui in illa sunt;*[35] dedit enim eis potestatem supernaturalem et divinam ad operandum miracula, sicut Eliseus dedit Giezi baculum suum ad mortuum suscitandum. Hoc forte est quod, cum prohibuerit portare baculum, Marcus ait quod iussit portare virgam,[36] utique virgam divinae virtutis, sicut Moysi Deus ait: *Virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*[37]

34) Cf. 4 Rg 4, 29-31. 35) Lc 10, 9. 36) Cf. 6, 8. 37) Ex 4, 17.

DIES SANCTORUM SIMONIS ET IUDAE APOSTOLORUM

Haec mando vobis, ut diligatis invicem... Si de mundo fuissetis, mundus quod suum, etc. [1]

Caritas corona et regina virtutum est,

I. Sicut inter innumeras arbores, quas Deus in terrestri paradiso plantavit, una princeps extitit quae sola suffecisset, si innocens permansisset homo, humanam vitam suo nutrimento sustentare perpetuoque immortalem conservare – *Sumat... de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum* [2] – unde et propterea dicta est *arbor vitae,* [3] sic in mystico paradiso Sanctae Ecclesiae – *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus,* [4] – inter innumeras virtutes, quae sunt coelestes arbores fructus aureos afferentes, unam constituit, caritatem, quae est sicut sol in coelo inter astra innumera. Sicut enim nihil penitus splenderent nihilque prodessent astra sine sole, sol autem, etiam si nullum aliud esset astrum, solus posset mundum illustrare, ornare et conservare, sic est caritas, virtutum omnium excellentissima, virtutum corona reginaque, sine qua nihil apud Deum valent ceterae virtutes omnes: *Si linguis hominum loquar et Angelorum... et si habuero... omnem scientiam,* prophetiam et *omnem fidem... caritatem autem non habeam, nihil sum; et si distribuero,* etc., *nihil mihi prodest.* [5] Sola una caritas sufficit, nam caritas suapte natura *patiens est, benigna est... non aemulatur, non agit perperam... non irritatur, non est ambitiosa... non cogitat malum,* etc. [6]

sine qua ceterae nihil valent apud Deum;

Propterea Christus a suis solam videtur exigere caritatem: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem; Hoc est praeceptum meum,*

1) Pericope huius diei Io 15, 17-25. Cf. Missale Rom. 2) Gn 3, 22. 3) Cf. Ibid. 2, 9. 4) Ct 4, 12-13. 5) 1 Cor 13, 1-3. Vulg.: *Caritatem non habuero,* etc. 6) Ibid. vrr. 4-5. Vulg.: *Non est ambitiosa... non irritatur,* etc.

ut diligatis invicem sicut dilexi vos; [7] *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos invicem diligatis. In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* [8] Hoc signo, hoc charactere voluit suas oves Christus insignitas esse. Nec qualemcunque praecipit caritatem Christus, sed magnam; hoc est quod ait: *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos; Maiorem caritatem,* sive *dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [9]

propterea Christus a suis maxime caritatem requirit.

II. Sed quidnam, quaeso, est quod caritatem tantopere praecipit Christus? Possemus dicere quoniam, ut Paulus ait, *finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta,* [10] et quoniam, ut idem ait, *plenitudo... legis est dilectio;* [11] et Christus ipse ait quod in caritate, ex qua emanat veluti ex fonte duplex rivus et ex arbore duplex ramus, amor erga Deum et erga hominem propter Deum, *universa lex pendet et Prophetae;* [12] vel quia caritas virtutum omnium excellentissima est: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.* [13] Sed prima et potissima causa mihi videtur, quoniam omne simile appetit sibi simile: [14] ignis naturali quodam desiderio appetit omnia in igneam naturam convertere, omnia ignire sibique similia facere; sol suis radiis stellas omnes reddit sibi similes; parentes omnes cupiunt filios sibi esse quam simillimos, et hoc naturalissimum opus est omnium viventium, sibi similia generare. Caritas autem similitudo quaedam Dei est, quod liquido patebit si consideremus quidnam sit Deus.

Caritas similitudo quaedam Dei est.

Nec tamen est animus figere oculos in solem infinitae lucis: *Qui... lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest,* [15] ut velimus vel praesumamus quod vix Angeli possunt declarare quid sit Deus. Hoc enim ineffabile et incomprehensibile est, et si Angelum paradisi principemque supremae hierarchiae,

Nulla mens creata declarare potest quid Deus sit.

7) Io 15, 12. 8) Ibid. 13, 34-35. Vulg.: *Vos diligetis invicem... cognoscent omnes quia discipuli mei estis,* etc. 9) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. Affert ex Breviario Rom., Com. Apost. 2 antiph. ad 1 *Vesperas.* 10) 1 Tim 1, 5. 11) Rom 13, 10. 12) Mt 22, 40. 13) 1 Cor 13, 13. 14) Sententia ex Eccli 13, 19, et ex S. Thoma *S. Theolog.,* 1ª 2ªᵉ, q. 27, a. 3; q. 99, a. 2. 15) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat... nullus hominum,* etc.

qui Deo proximus omnium est, interrogaremus: quid est Deus? puto quod idipsum ageret quod Simonides a quodam rege interrogatus hoc ipsum, quid sit Deus; petiit enim unius diei spatium ad respondendum, postea vero duos dies, quibus elapsis, alios quattuor postulavit semperque spatium temporis duplicabat, ut refert Cicero libro 1 *De Natura Deorum*. Interrogatus autem a tyranno cur sic faceret, respondit: Quia, inquit, quanto magis considero, tanto mihi res videtur obscurior; vel, ut alii dicunt quod, cum admiratus tyrannus dixisset processum esse in infinitum, responderit philosophus hoc ipsum esse Deum, ens infinitum.[16] Ita, inquam, idipsum Angelus ageret et responderet. Nam hoc est quod Trismegistus[17] et Empedocles[18] docuerunt dicentes Deum esse sphaeram sempiternam, cuius centrum ubique et circumferentia nusquam.

dici tamen potest quod sit infinitus amor.

Sufficiet nobis id quod Ioannes divinissimus theologus ait, quod *Deus caritas est et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo;*[19] nam hoc ipsum est quod idem ait: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae;*[20] quod Christus dixit: *Deus Spiritus est;*[21] quod Moyses ait: *Deus... ignis... est,*[22] et Deus ipse de medio ignis Moysi dicit: *Ego sum qui sum,*[23] increatus ignis, aeterna caritas, infinitus amor. Hinc Deus Ezechieli visus est supra omnem coelestem hierarchiam in specie hominis, qui totus tanquam purissimus ignis splendebat,[24] quoniam Deus totus est ignis, totus caritas et amor. Cum autem Deus ignis sit, amor videtur esse calor divini huius ignis, et cum Deus sit sol, pater omnium luminum,[25] amor est tanquam radius divini huius solis omnia illustrans.

Amor ergo quaedam Dei imago est, nam, sicut Deus, universum mundum implet,

Quare amor divina quaedam imago et similitudo est; nam si Deus spiritus est, amor quoque spiritus est, non corpus; et si Deus infinitus magnitudine est, mundum universum implens: *Coelum et terram ego adimpleo,*[26] amor etiam sua magnitudine mundum implet. Nam omnia quae in mundo sunt ad seinvicem comparata, vel superiora sunt et causae, veluti in familia parentes et domini, vel inferiora et effectus, uti filii et servi, vel tandem aequalia sibique

16) T. 4, col. 183. 17) *Pymander*, lib. 4, Comment. 12, pag. 381. 18) Cf. Huetius *Alnetanae Quaestiones*, lib. 2, cp. 2, pag. 62; Corn. A Lapide *Prooemium in Genesim*, cp. 2, n. 18. 19) 1 Io 4, 16. 20) Ibid. 1, 5. 21) Io 4, 24. Vulg.: *Spiritus est Deus.* 22) Dt 4, 24. 23) Ex 3, 14. 24) Cf. Ez 1, 26 sqq. 25) Cf. Iac 1, 17. 26) Ier 23, 24. Vulg.: *Impleo.*

similia, eiusdem naturae participia, ut fratres et conservi. At superiora diligunt inferiora, sicut parentes filios, causae suos effectus; inferiora diligunt superiora, sicut filii parentes; quaecunque autem aequalia sunt, tanquam fratres seinvicem diligunt. Sic mundus iste est veluti magnum animal, magnus homo; partes autem mundi omnes sunt amore connexae, uti in animali partes et membra. Quare amor est veluti platonica mundi anima, [27] nam manifestissime cernimus naturales appetitus in elementis et ceteris quibusvis naturalibus rebus.

Si item Deus creator est omnium rerum, amor est omnium genitor, effector et conservator: amore coniunguntur animalia et generant, amore nutriunt partus atque sustentant omniaque artificialia ab amore tanquam a summo artifice adinventa sunt. Nemo enim aliquid agit nisi vel delectatione operis motus, vel desiderio aliquid consequendi; omne agens agit propter finem, [28] sed finis movet tanquam desideratum et amatum. *omnia generat et conservat,*

Virtutum omnium artifex et effector est amor; nulla enim virtus sine amore, sed omnis virtus amor est boni illius, quod est virtutis obiectum. Hic sanctificat homines in mundo, hic beatificat Angelos in coelo, nam tum gratia tum gloria, quae non est nisi gratia consummata atque perfecta, in caritate et summi boni perfecta dilectione consistit. Deus est dominus rerum omnium: amor omnibus dominatur, nam sive animalia sive homines sive Angeli sive Deus ipse quidquid agunt, amore et desiderio boni alicuius agunt. *omnia regit,*

Deus omnipotens est infinitaeque virtutis et fortitudinis: amor autem virtute sua omnia vincit, potentissimus est, nihil ei potest resistere; potentissimus ad superandas difficultates, ad tollerandos labores; vincit fortitudinem leonum, vincit fortitudinem Samsonis [29] et Herculis. [30] *virtute sua omnia vincit,*

Deus sapientissimus est: amor est inventor omnium scientiarum, omnium artium, veluti fons omnis sapientiae; nam sapientiae amore inventae sunt scientiae, amore acquiruntur, amore communicantur; *sapientissimus est et prudentissimus,*

27) Cf. Plato *Timaeus*, pag. 406. 28) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Beda *Sententiae*, (P. L. 90, 1032). 29) Cf. Idc 14, 16; 15, 14; 16, 9 sqq. 30) Iuxta mythologiam fortissimus monstrorum domitor. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 1, pag. 581-592.

hinc sapientes dicti sunt philosophi, amatores sapientiae, nam ab amore orta est sapientia, quia omnis homo natura scire desiderat. Est etiam prudentissimus et oculatissimus amor tanquam Argus[31] erga suum obiectum.

sanctissimus et optimus.

Tandem Deus sanctissimus est et optimus, semper beneficus: ita et amor; non loquor de turpi libidine, sed de amore simpliciter, quatenus est boni pulcrique desiderium. Amor enim suapte natura nonnisi bonum desiderat pulcrumque; ut eius bonitate et gratia fruatur; non cogitat malum, non cupit malum, non agit malum, nam haec sunt odii opera, sed bona semper. Ergo amor optimus est et suapte natura sanctissimus, nisi quis eo abutatur. Nam et lux solaris suapte natura clarissima et splendidissima est; si quis tamen ea abutatur, tenebras parit oculosque caecitate replet, omni lumine privat. Sic et amor optimus est; nisi tamen quis eo male utatur, sicut et calor ignis optimus est et saluberrimus, sed bono eget usu.

Sicut autem sol, totus cum sit lux, nonnisi lucem emittit, et ignis, cum sit totus calor, non emittit nisi calorem, sic Deus, cum non sit nisi caritas et amor, nonnisi amorem produxit.

In regno naturae, gratiae et gloriae Deus nonnisi amorem produxit

Tria opera Deus extra se operatus est: mundum, Ecclesiam et paradisum, naturam, gratiam et gloriam.[32] Natura non est nisi amor, gratia nonnisi caritas, gloria perfecta summaque dilectio. Nec nisi propter amorem Deus mundum creavit, nam somaticum hunc corporeum mundum Deus creavit propter hominem; pneumaticum autem, spiritualem, invisibilem supra hunc mundum, propter Angelum; sed ab hominibus et Angelis non requirit nisi amorem, ut diligant Deum et seinvicem diligant.

ideo solam caritatem Christus praecipit,

Haec igitur potissima causa est ob quam Deus non praecipit nisi amorem et caritatem: non solum quia finis totius legis est caritas et quia totius legis compendium, summa et plenitudo est, vel quia, ut Divus Gregorius ait, radix est omnium virtutum, quae sunt veluti huius arboris rami;[33] nec tantum quia, ut Divus Augustinus ait tractatu 87 *in Ioannem*, omnia opera bona

31) Cf. ibid. lib. 8, cp. 18, pag. 763. 32) Ms.: *Mundus, Ecclesia, et paradisus, natura, gratia et gloria.* 33) *In Evangelia*, lib. 2, hom. 27, (P. L. 76, 1205).

fructus et effectus sunt caritatis,[34] ut Paulus ait: *Fructus autem spiritus est caritas,* idest amor, *gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia,* etc.;[35] sed quia similitudo quaedam Dei est Deoque nos simillimos facit, sicut solaris radius lunam soli et calor in candenti ferro ipsum ferrum ignitum igni. Hinc Spiritus Sanctus in igne descendit[36] ad caritatem pectoribus Christi fidelium infundendam: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis;*[37] hinc Petrus ait quod *maxima nobis et pretiosa promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae;*[38] hinc viri caritate et gratia praediti in Sacris Litteris *filii Dei* et *dii* sunt appellati: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes.*[39] Hanc igitur ob causam tantopere Deus caritatem commendat et ob id Christus nonnisi caritatem et dilectionem praecipit.

quia haec virtus simillimos Deo nos facit.

III. *Haec mando vobis, ut diligatis invicem,* sed *sicut dilexi vos. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Praecipit Christus ut divinam ipsius caritatem imitemur.

Caritas similes nos efficit etiam Christo, qui totus caritas est.

Postquam iussit Deus in constructione tabernaculi ut fieret propitiatorium ex auro purissimo, iussit ut ex auro fierent duo cherubim, qui propitiatorium hinc et inde manibus tenerent alisque operirent versisque vultibus in propitiatorium seipsos mutuo aspicerent.[40] Divinum illud tabernaculum triplici parte distinctum, atrio subdiali, tabernaculo exteriori, quod dicebatur sanctum, et interiori, quod erat sanctum sanctorum,[41] typus erat Ecclesiae sub triplici statu: sub lege naturae, lege Moysi et lege gratiae. Quare illud sanctum sanctorum designabat Ecclesiam sub Evangelio;[42] nam arca, in qua erant tabulae legis,[43] ipsam evangelicam legem praefigurabat, quae secum habet virgam divinae virtutis[44] et manna divinae dulcedinis et consolationis:[45] *Iugum enim meum suave est et onus meum leve; invenietis requiem animabus ve-*

34) Ibid. 35, 1852-1853. 35) Gal 5, 22-23. Vulg.: *Patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,* etc. 36) Cf. Act 2, 2-4. 37) Rom 5, 5. 38) 2 Petr 1, 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa nobis,* etc. 39) Ps 81, 6. 40) Cf. Ex 25, 17-22. 41) Cf. ibid. 26, 1 sqq. 42) Ms.: *Designabat* repetitur. 43) Cf. Ex 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 44) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 45) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.

stris.[46] Propitiatorium autem Christus est, nam: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris;*[47] designatur autem per aurum, quod in Divinis Litteris est symbolum caritatis: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum ut locuples fias,*[48] quoniam Christus totus caritas est; hinc apud Ezechielem visus est in forma hominis ignei.[49] Cherubim etiam voluit aureos esse, nam: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus:*[50] vult Deus nos Christo similes esse tanquam fratres fratri. Iussit ut cherubim alis propitiatorium tegerent, quoniam fidelium cogitationes et desideria semper debent circa Christum versari. Tandem specialissime praecepit ut cherubim versis vultibus in propitiatorium seipsos mutuo aspicerent, quia [fideles] tenentur Christum Deum super omnia et seipsos invicem mutua caritate diligere: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem.* Mutuus ille aspectus mutuam caritatem designat, nam quos odio habemus vix aspicere possumus gratusque oculorum aspectus indicium clarum veri amoris et benevolentiae in animo est.

Amor quem Christus nobis praecipit erga proximum, rationalis esse debet et honestus, verus et fortis.

IV. Sed qualem, quaeso, amorem requirit a nobis Christus, quo nos invicem diligamus? Extitit apud antiquos insigne amoris inter amicos hieroglyphicum. Pingebatur iuvenis florida aetate, indutus veste humili asperaque, capite aperto, pectore fenestrato, ita ut cor videri posset quod digito ostendebat, in quo scriptum erat: «longe et prope»; in fronte etiam scriptum habebat: «aestas et hiems»; et in fimbria vestimenti: «vita et mors».[51] Pulcherrimum plane hieroglyphicum. Pingebatur amor humana forma, quoniam inter amicos rationalis honestusque requiritur amor, non animalis et cupidineus; sexu masculeo, non femineo, ut sit amor virilis et fortis; aetate non senili, sed iuvenili et florida, ut sit amor semper virens recensque ac viribus ad agendum potens validusque; indutus humili abiectaque veste, ut non diligatur amicus propter divitias vel dignitates; multi enim non amicos diligunt, sed bona illorum; hi ad Chaldaeorum instar non regem Nabuchodonosor

46) Mt 11, 29 sq. Ordine inverso affert hos vrr. 47) 1 Io 2, 2. 48) Apc 3, 18. 49) Cf. 1, 26 sqq. 50) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 51) Cf. Petr. Rebuffus *De Variis Verbis Iuris, De Privilegiis Scholarium*, priv. 104, t. 18, f. 52b.

adorant, [52] sed statuam auream ipsius, hinc vulgo dicitur:

« Tempore felici [53] multi numerantur amici,

sed

si fortuna perit, nullus amicus erit. » [54]

Pectus habet apertum et fenestratum, ut videatur cor, quod indice demonstratur, ut sit amor verus, cordialis, ex animo, non fictus, non simulatus; ut amico semper manifestus sit animus et consilium cordis et manu ostendatur cor, nam « probatio dilectionis exhibitio est operis »: [55] *Non diligamus* nos *verbo neque lingua, sed opere et veritate.* [56] Quoniam vero non tantum praesens, sed etiam absens, omni loco omnique tempore diligendus amicus est, hoc illae inscriptiones designant: « longe et prope, aestate et hieme, vita et mors », idest omni loco, omni tempore, omni fortuna diligendus amicus est. Apertum autem caput significat ut honorabilis sit amicitia honestaque, absque ulla pudoris nota; sic enim qui semper honeste vixit et nullius criminis reus est, dicimus quod potest aperto fronte, idest absque ullo pudore ubique ambulare; et etiam ut amicus pro amico paratus sit prompto animo subire etiam capitis mortisque periculum, *ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Talem Christus requirit amorem: rationalem, virilem, purum, fortem, verum, perpetuum perfectumque.

ut indicant etiam antiquorum hieroglyphica.

Habemus apud Platonem etiam in *Symposio* [57] picturam ac hieroglyphicum amoris, sed non est consilium eam nunc diligentius in examen vocatam interpretari, quomodo duplici describatur specie et forma. Nunc enim depingitur iuvenis pulcher, delicatus, agilis ac veluti alatus, nitidus, pulcherrimi coloris et ornatus, describiturque oculatus, prudens, sagax, sapientissimus philosophus sophista, magus, semper vigilans, valde dives fortisque et viribus potens; nunc, e contra, deformis, macilentus, squalidus, debilis, pauper, humilis, nudis pedibus ac toto veluti corpore dormiens, caecus, semper egenus, nec domum, nec locum habens, simplex, incautus, inermis, despicatissimus, quoniam amantis animus totus est in eo quod amat, cetera vero, quaecunque sint illa, nihili curat,

et describitur etiam in Platone.

52) Cf. Dn 3, 1-7. 53) Ms.: *Fel.* 54) Axioma antiquum, de quo Cf. Io. Buchlerus apud Tob. Lohner *Bibliotheca Concionatoria*, t. 1, pag. 57 sub voce: *Amicitia.*
55) S. Gregorius M. *In Evangelia*, lib. 2, hom. 30, (P. L. 76, 1220). 56) 1 Io 3, 18.
75) Cf. supra, in dies S. Lucae, pag. 193, not. 33.

nihili facit, nec seipsum quidem. Haec natura amoris est: ad sequendum amatum alas habet aquileas, in reliquis tardior testudine [58] ac pigerrimus est; ad videndum amatum centum, mille oculos habet, in reliquis caecus est ac veluti dormiens, incuriosus, incautus. Sed mittamus aliena, tractemus nostra.

Habemus in Isaia imaginem pulcherrimam geminae caritatis.

Habemus apud Isaiam geminae caritatis hieroglyphica in picturis seraphicis. Vidit enim iuxta thronum Dei Isaias duos Seraphim, qui *clamabant alter ad alterum ... Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus ... exercituum, plena est omnis terra gloria eius;* [59] uterque autem sex alas habebat et unus descendit ad purgandum labia Isaiae calculo ignito. [60] Hic Seraph designat caritatem erga proximum, ille vero erga Deum. Erant Seraphim illi aequales, quoniam utraque caritas aequalis est meriti apud Deum; nil enim minus meretur qui diligit proximum propter Deum, quam diligens Deum propter seipsum. Uterque erat Seraph, qui sunt supremi spiritus, omnium nobilissimi et excellentissimi, Deo proximi: utraque caritas virtutum regina est; uterque Seraph ardens: utraque caritas divinus est ignis; uterque volabat: utraque caritas operatur et virtutum meritis ad coelestia volat; uterque sex alas habebat: utraque caritas sex virtutes requirit: fidem, spem, iustitiam, prudentiam, fortitudinem et temperantiam. Et si senarius numerus perfectionem significat, [61] sicut sex diebus Deus mundum perfecit, [61a] utraque virtus perfecta est apud Deum meritis et virtutibus. Manet caritas inter virtutes sex sicut in coelo sol inter sex planetas et sicut in aureo candelabro divini tabernaculi lucerna principalis inter sex alias lucernas. [62] Uterque Seraph Deum laudabat et glorificabat: utraque caritas Dei gloriam promovet et extollit; uterque Seraph erat iuxta thronum Dei in coelo: utraque caritas meretur gloriam vitamque aeternam in paradiso. Per Seraph designatur caritas per ignem, nam sic Christus ait: *Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur?* [63] ut ardeat? Hic ignis est in rubo ardens, sed non consumens; [64] hic ignis in specie gladii in manu Cherubim; [65] hic ignis de quo Salomon: *Fortis est ut mors dile-*

58) Adagium, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 515. 59) 6, 3. 60) Cf. ibid. 2, 6-7. 61) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a, q. 74, a. 1. 61a) Cf. Gn 1, 1 sqq. 62) Cf. Ex 37, 23; Nm 8, 2. 63) Lc 12, 49. 64) Cf. Ex 3, 2. 65) Cf. Gn 3, 24.

ctio, dura sicut infernus aemulatio, idest zelus; *lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem nec flumina obruent illam.*[66] Ignis est caritas, non terrenus sed coelestis et divinus; cupiditas ignis est terrenus et infernalis, omnia consumens, ignis sulphureus Pentapolim comburens,[67] ignis alienus, cuius causa duo filii Aaron, Nadab et Abiu, consumpti fuerunt igne divinae iustitiae,[68] quoniam ignem sacrum requirit Deus in cordium nostrorum thuribulis.

Praeceptum hoc dicitur novum, quia etiam inimicum iubemur diligere,

V. Sed, ut clarius loquamur, interpretemur paulo diligentius verba Salvatoris in hodierno Evangelio: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem.*[69] Sed quo amore? quali? quanto? *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*[70] *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos,*[71] amore divino, spiritali, maximo, novo. Quid est: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ?* An hoc non mandatum est vetus Antiquae Legis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum ?*[72] Utique, sed Christus veteri mandato addidit ut non solum proximi nomine intelligatur amicus, sed etiam inimicus; et si mandatum est novum novae legis, praeterea novum, inquit Cyrillus libro 9 *in Ioannem,* capite 23, quia veteri quidem lege iubemur diligere proximum sicut nos ipsos, sed nova iubemur diligere etiam supra nos ipsos, sicut et Christus pro salute nostra moriens supra seipsum nos diligere visus est.[73] Hinc Ioannes ait: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam... posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere :*[74] sicut, inquit, Christus salutem animarum nostrarum vitae, honori et omnibus temporalibus bonis praeposuit, ita et nos facere debemus, nam: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.*[75] Et sicut absque ullis meritis nostris Christus nos dilexit, inquit Chrysostomus homilia

et non solum sicut nos ipsos, sed supra nos ipsos,

66) Ct 8, 6-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non potuerunt.*
67) Cf. Gn 19, 24-25. 68) Cf. Lv 10, 1-2; 16, 1; Nm 3, 4; 26, 61. 69) Io 15, 17.
70) Ibid. vrr. 12-13. 71) Ibid. 13, 34. 72) Lv 19, 18. Vulg.: *Diliges amicum,* etc.
73) P. G. 74, 162. 74) 1 Io 3, 16. Vulg.: *Ille animam,* etc. 75) 1 Petr 2, 21.

71 *in Ioannem,* ita nos proximos debemus diligere propter Christum. [76]

Novum etiam dicitur, quia novo spiritu, novo corde implendum est, datum a novo Homine in Nova Lege, in novo statu, non servorum sed filiorum Dei.

et propter Christum, tanquam membra unius corporis Ecclesiae,

Sed tandem novum dicitur mandatum, ut diligamus invicem speciali dilectione, non illa generali, qua omnes homines tenemur diligere desiderando eis bona gratiae et gloriae, sed speciali, inquam, dilectione tanquam membra unius corporis Ecclesiae, sub uno capite Christo: *In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* [77] Sic legimus in *Actis Apostolorum* divini huius praecepti perfectam observantiam: *Multitudinis,* inquit, *credentium erat cor unum et anima una.* [78]

Haec mando vobis, ut diligatis invicem, specialissimo amore tanquam coniunctissimos amicos, tanquam fratres carissimos, tanquam membra unius corporis; omnes unum corpus sumus in Christo, invicem autem membra de membro. [79]

omnibus desiderando primo bona gratiae et gloriae,

Sic igitur novum requirit amorem novum cor, novum spiritum, ut sit amor spiritualis: *Sicut dilexi vos.* Non dilexit Christus nos carnali amore, sed spirituali: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos,* [80] ex mera gratia et caritate, gratuito amore. Non desideravit nec quaesivit Christus electis suis temporalia, mundana, terrena bona, sed spiritualia, coelestia, divina, aeterna. *Sicut dilexi vos,* amore maximo et ardentissimo: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* hoc enim signum est evidens quod carior ei amicus est quam propria vita.

qualis fuit caritas Christi.

Et quidem Christus non tantum amicos, sed etiam inimicos dilexit, et cum adhuc inimici essemus, dilexit nos et tradidit animam suam pro nobis. [81] Maxima ergo nos caritate dilexit et qua maior aestimari non potest. Qui enim aliquid supra honorem, supra omnia quae possidet bona, supra vitam propriam aliquid diligit et magni facit, profecto nihil potest esse quod magis aestimet maiorique pretio habeat.

76) P. G. 59, 385-386. 77) Io 13, 35. Vulg.: *Cognoscent omnes,* etc. 78) 4, 32.
79) Cf. 1 Cor 12, 27. 80) Io 15, 9. 81) Cf. Rom 5, 10; Gal 2, 20.

Non praecipit Christus amorem carnalem et intensivum,

VI. Divinam hanc caritatem suam Christus vult ut contemplemur et ut imitemur, ut ea nos invicem diligamus, maiori quo possimus amore, post Deum et animam nostram. Non requirit a nobis Christus erga proximos amorem carnalem et sensualem, sed spiritualem et rationalem, ab animo et a voluntate rationali; nec amoris huius magnitudinem intensae cuiusdam vehementiae, quae in animi quadam suavitate consistit, unde oritur dulcissima conversatio inter amicos coniunctissimos et mutua complacentia inter amantes, inter sponsum et sponsam; sed magnitudinem amoris quae in aestimatione et pretio consistit. Non enim quae vehementius amamus, illa pluris facimus et aestimamus semper, nam iuvenis vehementer amat amicum, sed pluris facit optimum patrem, quamvis dulcius cum amico quam cum patre versetur; parentes intensius diligunt teneros filios, sed pluris faciunt iam adultos. Hunc ergo amorem a nobis requirit Deus, requirit Christus: Deus, ut proximos diligamus sicut nos ipsos, Christus autem, ut fratres nostros secundum spiritum, secundum fidem diligamus, etiam supra nos ipsos, sicut ipse Christus egit pro salute nostra moriens. Praecipit Christus ut pluris faciamus proximos nostros quam alia quaecunque bona nostra, praeter animam, pluris etiam quam vitam nostram, ut, si opus fuerit, pro salute proximi parati simus etiam vitam periculo mortis exponere. [82]

sed spiritualem et aestimativum.

82) In charta parva folio 36ᵃ agglutinata haec inveniuntur: « *Haec mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio,* etc. Celebramus hodie festum Sanctorum ac Beatissimorum Apostolorum Christi Simonis et Iudae, qui nunc gloriosissime cum Christo regnant in coelo in aeternum victuri, quoniam igneo curru divinae caritatis ad instar Eliae assumpti in coelum sunt, divinum hoc praeceptum servantes: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem.* Nam currus ille igneus caritatis hieroglyphicum est, nam sola caritas potest animas nostras in paradisum vehere. Nec tamen Sanctorum horum Apostolorum nomina mysteriis vacare credendum est. Simon etiam Chananaeus vocatur, Iudas autem etiam Thaddaeus et Lebbaeus ». Deinde, reliqua parte folii alba relicta, transitur ad diem Omnium Sanctorum.

DIES OMNIUM SANCTORUM

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent. [1]

Hodierna festivitas magno gaudio celebratur in coelesti Ierusalem,

I. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia magna cum solemnitate, gaudio et exultatione spiritus diem festum sub honore omnium Sanctorum Christi et electorum Dei, de quorum solemnitate Angeli quoque gaudent in coelo magnumque festum agitur hodie in paradiso, sicut solemnissima festivitas celebrata fuit in gloriosissima civitate Susan, metropoli totius orientis, cum maximus ille rex et imperator Assuerus, ad ostendendam barbaricam superbiam, gloriam et magnificentiam potentiae et divitiarum suarum, fecit universis principibus, heroibus, ducibus, equitibus et primatibus regni sui exercituumque suorum et universo populo civitatis regiae et imperialis Susan lautissimum splendidissimumque convivium, plus quam in Apolline, [2] cum magnificentissimo apparatu et infinita pompa, apertis omnibus thesauris gloriae suae. [3] Sic hodie coelestis civitas paradisi, quae vere est Susan, rosa pulcherrima, [4] civitas illa Ioanni in *Apocalypsi* visa, cuius muri et plateae ex auro sunt, fundamenta ex lapidibus pretiosissimis gemmisque splendidissimis; ornatae erant duodecim civitatis portae, [5] sicut regiae coronae ornari quam ditissime solent: haec, inquam, civitas hodie festivissimum ac supra modum solemnissimum agit diem, quoniam

hodie enim Christus electis suis divinissimum paravit convivium,

Christus summus rex, imperator et monarcha totius universi, omnibus

1) Pericope huius diei Mt 5, 1-12. Cf. Missale Rom. 2) Modus proverbialis significans convivium splendidissimum. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 12, cp. 18, col. 645. 3) Cf. Est 1, 1-8. 4) Sic nomen hoc latine interpretatur. 5) Cf. 21, 10-21.

electis suis divinissimum paravit convivium: *Beati servi illi quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis;*[6] *Tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata: venite ad nuptias.*[7] Hoc illud convivium est, de quo per Isaiam Dominus ait: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium... vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae. Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos et telam quam orditus est super omnes nationes. Praecipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de omni terra, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum et salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus et laetabimur in salutari eius.*[8]

Duo praecipuae requiruntur in convivio: optimi cibi et optima vina. Quoad utrunque: *Convivium pinguium medullatorum; Tauri mei et altilia*, optimi cibi; *Convivium vindemiae defaecatae*, שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים,[9] *vinorum asservatorum*, optimorum; nam vinum vetus novo melius est;[10] nullumque reperietur malorum genus in hoc convivio, sed omne bonum, omne gaudium, omne genus laetitiae et exultationis.

In quo omne bonum et omne genus laetitiae reperitur.

Hodie celebratur festum, quo omnis populus electorum Dei, finito cursu peregrinationis in deserto mundi huius, transito Iordane, fluvio iudicii,[11] ingressus est in felicissimam terram promissionis lacte et melle fluentem;[12] hodie sanctissimus rex Iosias celebrat cum universo populo Israel solemnissimum phase,[13] festum transitus a servitute in libertatem in sancta civitate Ierusalem; hodie Christus omnes electos suos ex Aegypto mundi huius egressos, manna coelesti, pane Angelorum pascit.[14]

Agitur in hodierno Evangelio de beatitudine aeterna perfectaque felicitate omnium electorum Dei et de via perveniendi ad hanc felicitatem. Aperitur mysterium illud, quomodo sanctus patriarcha

Hodie nobis paradisus ostenditur et via qua ad illum pervenitur.

6) Lc 12, 37-38. 7) Mt 22, 4. 8) 25, 6-9. Vulg.: *Auferet de universa terra... Et salvabit nos*, etc. 9) Ms.: *Scemarim mezukakim.* 10) Cf. Lc 5, 39. 11) Sic nomen hoc latine interpretatur. 12) Cf. Ios 3, 1 sqq. 13) Cf. 4 Rg 23, 21-23. 14) Cf. Ex 16, 13 sqq.; Sap 16, 20,

Iacob in Bethel coelum vidit apertum et scalam, per quam Angeli in paradisum ascendebant;[15] sic hodie Christus in sacro Evangelio paradisum nobis ostendit apertum, sanctum sanctorum revelatum; sed et scalam per quam nobis in coclum ascendendum est tradit.

Videamus prius et contemplemur apertum hunc paradisum gloriae Dei, et postea de scala paradisi aliquid dicemus, favente et opitulante gratia Dei.

Beatitudo est cumulus omnium bonorum,

II. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Beatitudo, ex theologorum sententia, est «status omnium bonorum cumulatione perfectus».[16] Est enim velut sanitas corporis, quam necesse est omnino integram perfectamque esse in omnibus partibus extrinsecis et intrinsecis, nam unius dentis dolor sufficit ad sanitatem bonamque valetudinem corrumpendam vel infirmandam; sic beatitudo «status est omnium bonorum cumulatione perfectus»; veluti convivium, si bonis omnibus refertissimum sit et tantum sal desit in mensa, fere nihil valet.

quem Christus expressit octo sententiis.

Cumulum autem hunc omnium bonorum Christus sententiis octo expressit: *Quoniam ipsorum est regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi saturabuntur... ipsi misericordiam consequentur... ipsi Deum videbunt,* ipsi *filii Dei vocabuntur... ipsorum est regnum coelorum... Gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelis.*[17] Haec sunt bona quae in universum animus humanus avidissime desiderare videtur, arbitratus, et merito, quod in his vera et beata felicitas omnibus numeris absoluta consistat.

Symbolum huius beatitudinis propitiatorium in tabernaculo Moysi.

Ut autem mysteria haec clariora fiant, ex Veteri Testamento sacram adducemus figuram, quae [est] symbolum hieroglyphicum gloriae paradisi. Qui symbolicae theologiae sacramenta norunt, sciunt quod in habitaculo Domini, quod ipse iussit sibi fieri, dato exemplari ipsius sancto Moysi,[18] mundus hic designabatur, qui domus Dei est et locus divinae habitationis. Hinc ipse per I s a i a m ait: *Coelum sedes mea et terra scabellum pedum meorum; quae*

15) Cf. Gn 28, 12-13. 16) Boetius *De Consolatione Philosophiae*, lib. 3, prosa 2, (P. L. 63, 724). 17) Mt 5, 3-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 18) Cf. Ex 26, 1-3.

est ista domus quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meae? [19] Triplici distinctum erat parte habitaculum illud: atrio, sancto et sancto sanctorum, quoniam triplici parte constat mundus iste: terra, coelo et paradiso empyreo supra coelum hoc mobile, quae sunt veluti in homine venter inferior pars corporis, pectus media et caput suprema. Mundus iste elementalis, qui locus est corruptionis et mortis, designabatur per atrium, qui locus erat subdialis, ubi altare sacrificiorum, ubi occidebantur animalia pro sacrificiis, ubi erat altare terreum, vasa aquea et ignis perpetuo ardens sub divo, in aperto aere; [20] mundus coelestis effigiabatur in sancto, ubi erant septem aureae lucernae ad designandos septem planetas et in aurea mensa duodecim panes propositionis ad insinuanda duodecim signa coelestia; tandem supercoelestis mundus per sanctum sanctorum figurabatur, ubi erat divinum propitiatorium in medio cherubim, paradisus enim specialis locus est habitationis Dei et Angelorum. Hic etiam arca erat ex lignis facta, vili quidem materia, corruptioni et interitui obnoxia, sed erat interius exteriusque optimo auro vestita et aurea etiam desuper corona ornata; continebat tabulas legis, virgam Moysi et vas plenum manna; posita erat immediate sub divino propitiatorio in medio cherubim. [21] Haec sunt hodierni Evangelii mysteria.

Beatitudo coelestis est felicitas immensa,

III. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Quid est *regnum coelorum?* Regnum utique maximum, incorruptibile et sempiternum, nam coelum corpus est immensae magnitudinis, suapte natura incorruptibile et perpetuum.

vita immortalis et impassibilis,

Id quod primo omnium requirit felicitas, vita est; hanc omnes desiderant; mors omnibus horribilis est, haec ultimum est terribilium. [22] Vitam autem desiderant homines absque infirmitate ulla aut dolore, sine ulla passione, vitam, si possibile est, immortalem et impassibilem. Ecce arca ex ligno quidem facta corruptibili, sed incorruptibili ac impassibili auro induta intrinsecus et extrinsecus. Omnis homo in coelo immortali et impassibili vita donandus

19) 66, 1. Vulg.: *Terra autem*, etc. 20) Cf. Ex 27, 1 sqq. 21) Cf. Ex 25, 10 sqq.; Hebr 9, 2-4. 22) Aristot. *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20.

est, nulli penitus vel minimae passioni obnoxia, vita coelesti et aeterna, sicut coelum perpetua substantia est.

maxima gloria,

Desiderant homines una cum vita honores et dignitates, nec unquam quiescit desiderium hoc, nisi ad supremos perveniatur honores, altissimas dignitates, quales sunt in Ecclesia papalis et imperatoria. Sed ecce arca coronata auro: *Ipsorum est regnum,* non qualecunque, sed *coelorum,* regnum maximum et infinitum regnum Dei; non erit superior dignitas expetenda.

thesaurus omnium divitiarum,

Desiderant homines divitias; tota arca induta auro erat omni ex parte. Regnum autem quid est nisi thesaurus immensarum divitiarum? *Ipsorum est regnum coelorum,* et: *Ipsi possidebunt terram,* habebunt regni non tantum rectum dominium, sed etiam utile, *possidebunt terram* viventium. Ecce virga Moysi in arca, virga cuius nutui obediebant coeli et elementa. Sic quilibet electus taliter a Deo ponetur in possessione huius regni, ut ei omnis corporalis creatura obediat, ut possit et miracula facere, quae fecisse legimus Moysen,[23] Iosue,[24] Samuelem,[25] Eliam,[26] Eliseum[27] et alios. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* De Moyse legimus quod vir mitissimus erat in terra,[28] virga autem de manu Dei accepta,[29] omnibus creaturis imperabat.[30]

affluentia omnium consolationum,

Desiderant homines animi consolationem: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* ecce manna in arca; sic legimus de Lazaro mendico quod in sinu Abrahae consolabatur.[31] Nec tantum consolationem cordis desideramus, sed perfectam consolationem, cupimus enim habere cor omni consolatione plenum. Sic ait: *Quoniam ipsi saturabuntur.*

perfecta omnium virtutum possessio,

Non tantum erat in arca manna, sed vas plenum manna. Sed quis nesciat quam desiderabilis sit suapte natura virtus? quam gloriosum sanctitatis nomen? quomodo quisque gaudet nomine, fama et opinione virtutis? ipsum vel nomen vitii quam sit odiosum? Ergo ad perfectam felicitatem virtus etiam perfecta requiritur, perfecta sanctitas, perfecta virtutum omnium possessio; hoc est quod ait: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabun-*

23) Cf. Dt 34, 10 sqq.; Eccli 45, 1-3. 24) Cf. Eccli 46, 1-8. 25) Cf. ibid. vrr. 16-22.
26) Cf. ibid. 48, 1-13. 27) Cf. ibid. vrr. 13 sqq. 28) Cf. Nm 12, 3.
29) Ms.: *Accepti.* 30) Cf. Ex 4, 17. 31) Cf. Lc 16, 20-22.

tur.[32] Hoc est quod in arca ambae simul erant tabulae divinae legis digito Dei scriptae, non una aut altera tantum. Erit omnis beatus perfectissima praeditus caritate erga Deum et erga proximum, erit quisque perfectissima sanctitate donatus, Spiritu Sancto cumulatissime plenus, erit quisque divinissimum Spiritus Sancti templum.

Desiderant etiam homines magnopere gratiam suorum principum, regum, imperatorum, Pontificum eamque magni faciunt tanquam magnum et inaestimabilem thesaurum, maxime si forte fortuna crimen aliquod admiserint laesae maiestatis, quo principis iram et indignationem incurrerint, ira enim regis mortis indicium est. Electi autem omnes, quamvis divinam maiestatem multis offenderint, aeternam tamen misericordiam et gratiam consequentur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*[33] gratiamque in oculis Domini invenient, sicut Enoch,[34] Noe[35] et Moyses,[36] ut Deo gratissimi et acceptissimi sint, in perpetuum, per mortem et sanguinem Christi remissione peccatorum accepta, Deo reconciliati paceque et caritate perfectissima uniti; *misericordiam consequentur*, utique Dei, quae infinitus thesaurus est omnium bonorum. Hoc est quod arca foederis manebat immediate sub divino propitiatorio, quod totum aureum erat. Dicebatur autem *propitiatorium*, quoniam inde Deus, acceptis sacrificiis, peccata populi condonabat populoque suo reconciliabatur.[37]

Intima cum Deo unio per caritatem.

Adhuc, desiderant homines naturali desiderio, et quidem vehementi et magno, scientiam et rerum omnium veram certamque cognitionem, maxime vero desiderat mens nostra divinam cognitionem, utpote quae ad divinam imaginem et similitudinem creata est.[38] Sed: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, idest cognoscent certissime et clarissime, sicut ea quae oculis videntur. Tunc autem perfecte aliquid cognoscitur cum scitur quid sit, quid possit et quid operatum sit, cum plene cognoscitur rei substantia essentiaque, virtus, facultas atque potentia et tandem operatio ipsius. Sic Deum videbunt, perfectissime cognoscent et in eo omnia: *Ego ostendam tibi omne bonum;*[39] Deus enim speculum est purissi-

Plena rerum naturalium et divinarum scientia et cognitio.

32) Mt 5, 6. 33) Ibid. vr. 7. 34) Cf. Gn 5, 22-24. 35) Cf. ibid. 6, 8.
36) Cf. Nm 12, 7-8; Dt 34, 10. 37) Cf. Lv 16, 1 sqq. 38) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 39) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.*

mum, in quo perfectissime relucent omnia. Hoc est quod cherubim divinum propitiatorium, divinitatis symbolum, intuebantur, quia omnes electi, qui erunt in coelo sicut Angeli Dei,[40] non *per speculum in aenigmate,*[41] sed clarissime Deum videbunt et cum eo tanquam amici carissimi familiarissime conversabuntur eiusque praesentia, eloquio et gratia dulcissime ac iucundissime perfruentur. Quod si sapientissima regina Saba, visa gloria regis Salomonis, dixit: *Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam,*[42] quanto beatiores existimandi sunt qui stant semper coram Deo divinaque perfruuntur praesentia, maiestate et gloria?

sempiterna et iucundissima divinae gloriae contemplatio,

Et quidem videre faciem alicuius est phrasis Divinae Scripturae estque frui gratia et amicitia alicuius, familiari conversatione. Sic legimus quod rex David, cum revocasset filium suum Absalom ab exilio in civitatem Ierusalem, dixit: *Revertatur* Absalom *in domum suam et faciem meam non videat. Reversusque est Absalom in domum suam et faciem regis non vidit,*[43] idest non licebat ei regis adire praesentiam cum regis gratia et benevolentia. Quod quidem tam graviter ferebat Absalom, quod mori potius voluisset; hinc aiebat: *Quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi esse. Obsecro ergo ut videam faciem regis; quod si memor est iniquitatis meae, interficiat me.* Et tandem, cum, Ioab principe intercedente, obtinuit ut regis faciem videre posset, inquit Divina Scriptura quod *intravit ad regem et osculatus est rex Absalom.*[44] Hoc igitur est videre faciem regis, frui eius praesentia et conversatione. Sic etiam legimus quod Samuel *non vidit ultra* regem *Saul, usque ad diem mortis suae,*[45] idest non accessit ultra ad regis curiam, nec amplius, sicut prius, cum rege conversatus est. Sic Pharao dixit Moysi: *Recede a me et cave ne ultra videas faciem meam,*[46] hoc est ne ultra compareas ad praesentiam et conspectum meum; sic Ioseph fratribus suis dixit: *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.*[47] Hoc igitur est quod ait: *Ipsi Deum videbunt:* perpetuo

40) Cf. Mt 22, 30; Mc 12, 25; Lc 20, 36. 41) 1 Cor 13, 12. 42) 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7. 43) 2 Rg 14, 24. Vulg.: *Reversus est itaque,* etc. 44) Ibid. vrr. 32 sq. Vulg.: *Osculatusque est,* etc. 45) 1 Rg 15, 35. 46) Ex 10, 28. 47) Gn 43, 5. Vulg.: *Absque fratre vestro minimo.*

dulcissima Dei praesentia summa cum gratia perfruentur, ita ut visione hac simul et mens et animus et intellectus et affectus pascatur repleaturque intellectus omni scientia et sapientia, affectus vero omni dulcedine et gratia. Imo divina hac visione Deo simillimi efficiuntur, sicut luna solis aspectu efficitur ei simillima veluti alter sol. Hoc est quod ait: *Quoniam filii Dei vocabuntur; Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus; scimus* autem *quoniam cum apparuerit, tunc similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*[48] *Filii Dei sumus,* quoniam, ut idem ait: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus!*[49]

Desiderant summopere homines nobilitatem generis: en summa nobilitas: *Filii Dei vocabuntur.* Ab ipsomet Deo, a Christo, ab Angelis diligentur, et tractabuntur a Deo omnes electi tanquam filii carissimi, a Christo tanquam dilectissimi fratres, honorabuntur ab Angelis tanquam filii Dei et fratres Christi, gaudebunt gloriosissimo titulo, privilegio et honore filiorum summi Dei.

summa nobilitas

Tandem ad primam sententiam revertitur: *Quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Veluti circulum facit Christus de beatitudine disserens, ad ostendendam beatitudinis perfectionem, cui nihil omnino desit nihilque penitus addi possit, sicut circulari figurae perfectae nulla pars deest nihilque addi potest: *Ipsorum est regnum coelorum; Gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelis.*[50] Siquidem Deus ipse merces est Beatorum. Sic Deus Abrahamo dixit: *Noli timere, Abraham; ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.*[51] Quam magna merces haec? Dici non potest. *Dicite iusto quoniam bene,* inquit Isaias, *quoniam fructum adinventionum suarum comedet:* אִמְרוּ צַדִּיק כִּי־טוֹב, *dicite iusto quoniam bonum.*[52]

merces enim Beatorum Deus ipse est, bonum infinitum.

Quidnam est bonum? quale? quantum bonum hoc? Similis est haec forma dicendi illi: *Ego sum qui sum,*[53] quia in Deo omnis gradus et perfectio entis, sic in eo omnis gradus et perfectio desiderabilis bonitatis. *Merces vestra magna ... in coelis; Beatus ille servus quem, cum venerit Dominus eius, invenerit vigilantem; amen dico*

48) 1 Io 3, 2. 49) Ibid. vr. 1. 50) Mt 5, 12. 51) Gn 15, 1. Vulg.: *Abram,* Postea enim mutatum illi nomen fuit, cf. ibid. 17, 5. 52) 3, 10. Ms.: *Imru zadik chi tob.* 53) Ex 3, 14.

vobis . . . super omnia bona sua constituet eum.[54] Haec est magnitudo mercedis: *omnia bona* Dei; *merces vestra magna est in coelis,* una cum Angelis Dei, quorum dulcissima ac suavissima conversatione et familiaritate perpetua, qualis esse solet inter carissimos et devinctissimos amicos, quorum una sit anima, unus spiritus, unum cor, iugiter perfruentur omnes electi; nam hoc est quod erat arca in medio cherubim aureorum.

Hodiernam festivitatem praesensit in spiritu ac celebravit Regius Vates.

IV. O gloriam ineffabilem indicibilemque felicitatem omnium Sanctorum! O Sanctos omnes ter quaterque beatos! Regius Vates hodiernam hanc solemnitatem praesensit in spiritu ac celebravit: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! In saecula saeculorum laudabunt te.*[55] Et alibi: *Laetamini in Domino et exultate iusti et gloriamini omnes recti corde.*[56] Sed praecipue cum in fine *Psalmi 148* dixisset: *Hymnus omnibus Sanctis eius, filiis Israel, populo appropinquanti sibi,*[57] quasi fuerint haec verba quasi dulcissimus favus mellis in ore ipsius, statim subsequentem *Psalmum* totum cecinit in gloriam omnium Sanctorum: *Cantate Domino canticum novum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Laetetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo. Laudent nomen eius in choro, in tympano et psalterio psallant ei.* Sed cur, sancte rex, tantam ab universo populo Dei requiris exultationem et laetitiam? *Quia,* inquit, *beneplacitum est Domino in populo suo et exaltavit mansuetos in salutem. Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis. Exaltationes Dei in gutture eorum et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis; ut faciant in eis iudicium conscriptum. Gloria haec est omnibus sanctis eius.*[58] Quibus verbis Regius Vates veluti depingit gloriam et triumphum omnium Sanctorum.

Olim apud Gentes, maxime vero apud Romanos, duces victores, post multos labores multaque incommoda belli, honorabantur

54) Mt 24, 46-47. Vulg.: *Invenerit sic facientem,* etc. 55) Ps 83, 5. 56) Ps 31, 11. 57) Vr. 14. 58) Ps 149, 1 sqq. Sic legitur in Veteribus editionibus Vulg. cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Exaltabit mansuetos* etc.

gloria triumphi summoque cum honore, applausu et pompa a senatu et populo universo recipiebantur in civitatem, erectis triumphalibus archis et obeliscis, in quibus esset rerum gestarum insculpta historia. Decantabantur eorum laudes epitaphiis et caenotaphiis, soluta oratione et metro, populique vocibus applaudentibus victori. Ducebantur triumphali curru aureo, ditissimis phaleris ornato multisque equis tracto, summa cum magnificentia et pompa. Pendebant aurea triumphantium arma scutaque a curribus, et tandem ipsi hostes bello victi, catenis devincti pro trophaeo ante, retro et a lateribus triumphalis currus ducebantur. [59] Sic, inquit Regius Vates: *Exultabunt sancti in gloria... quia beneplacitum est Domino in populo suo et exaltavit mansuetos in salutem.*

triumphum describens quem Deus Beatis parat in coelo,

Exultabunt... in gloria triumphi sicut David, cum ingressus fuit in civitatem Ierusalem triumphali honore ob devictum occisumque gigantem Goliam, [60] et Saul ob devictos Amalecitas erexit sibi fornicem triumphalem, [61] idest arcum triumphalem. Deus autem unicuique Sanctorum ex duobus lapidibus, vel lapideis tabulis legis, erigit [61a] fornicem triumphalem ex gemina caritate, ubi insculpta sint omnia opera bona actusque heroicarum virtutum. Caritas ergo divinaeque legis observantia, quae in caritate consistit – *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae,* [62] – erit veluti arcus triumphalis erectus ad perpetuam memoriam aeternamque gloriam omnium Sanctorum. Nam caritas est veluti iris coelestis, arcus foederis Domini, [63] triplici constans colore; caritati enim fides et spes coniuncta est. In coelo autem, etsi nec fides erit nec spes, erit tamen utriusque virtutis meritum praemiatum; sic vidit Moyses sub pedibus Dei quasi triumphalem fornicem ex lateribus sapphirinis. [64] Israelitae sub tyrannica Pharaonis servitute lateres cogebantur iugiter facere; [65] sed Deus lateres illos luteos in coelestes lapides mirabili metamorphosi conversos in opus redegerat atque in honorem et gloriam electorum suorum

59) Cf. Blondus Flavius *De Roma Triumphante*, lib. 10, f. 146b-167a; Onuph. Panvinius *De Triumphis*, pag. 137-148; Io. Bapt. Casalius *De Urbis ac Romani olim Imperii Splendore*, part. 2, *De Triumphis Romanorum*, cp. 1, pag. 173-190. 60) Cf. 1 Rg 18, 6-7.
61) Cf. ibid. 15, 12. 61a) Ms.: *Cuilibet Sanctorum* adiicitur. 62) Mt 22, 40.
63) Cf. Gn 9, 13. 64) Cf. Ex 24, 10. 65) Cf. ibid. 1, 14; 5, 6-19.

veluti arcum triumphalem ex gemmis pretiosissimis coelestibusque marmoribus erexerat.

Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis. Corpus est veluti cubile animae eritque veluti currus triumphalis auratus, imo totus intrinsecus et extrinsecus auro vestitus, sicut arca testamenti, nam: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum,*[66] sicut Christus apparuit in gloriosa transfiguratione: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[67] Sic et facies Moysi splendida facta fuit;[68] Elias igneo coelestique curru raptus in paradisum fuit[69] et Dominus in coelum lucidissima nube;[70] sic quilibet Sanctorum in cubili corporis sui gloriosi exultabit veluti dux victor in triumphali curru gloriose triumphans. Gloria enim donantur omnes Sancti ob superatos hostes: carnem: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;*[71] *Caro ... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur*[72] et carnalia desideria *militant adversus animam,* ut Petrus ait;[73] mundum, siquidem: *Quod natum est ex Deo vincit mundum, et haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra;*[74] *Confidite, ego vici mundum;*[75] et tandem daemones: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus;*[76] *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;*[77] *Certa bonum certamen iustitiae, apprehende vitam aeternam.*[78] Sic omnes Sancti ob victoriam spiritualium inimicorum glorioso triumpho in aeternum donati sunt in coelesti Ierusalem.

iugiter Deum collaudantibus et a Deo collaudatis.

Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in faucibus eorum, quibus Deum iugiter collaudant et ipsi a Deo et Christo mirifice collaudantur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* etc.;[79] *Euge serve bone*

66) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt,* etc. 67) Ibid. 17, 2. 68) Cf. Ex 36, 30 sqq. 69) Cf. 4 Rg 2, 11. 70) Cf. Act 1, 9. 71) Gal 5, 24. 72) Ibid. vr. 17. 73) 1 Petr 2, 11. 74) 1 Io 5, 4. 75) Io 16, 33. 76) Eph 6, 12. 77) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. *Coronabitur* lect. cod. 78) 1 Tim 6, 12. Vulg.: *Certamen fidei.* 79) Mt 25, 34-35. Vulg.: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi,* etc.

et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. [80] *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus: Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo,* [81] galea salutis scutum fidei, thorax iustitiae, gladius spiritus, *quod est verbum Dei.* [82] Et tandem: *Ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis; ad faciendum in eis iudicium conscriptum. Gloria haec est omnibus sanctis eius.* Hic est, inquit, Sanctorum omnium triumphus, et nesciens quodammodo finem facere Regius Vates cantandi et celebrandi divinum hunc Sanctorum omnium triumphum, iterum ait: *Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius, laudate eum in virtutibus eius.* [83] Cur laudandus Dominus in Sanctis? Quia *mirabilis Deus in Sanctis suis,* [84] mirabilis in praedestinatione, in creatione, in vocatione, in iustificatione et magnificatione et tandem in beata et aeterna glorificatione. In praedestinatione quidem, qua eos ab aeterno dilexit: *Caritate perpetua dilexi te;* [85] et sicut pontifex Antiquae Legis in pectore supra cor portabat nomina omnium tribuum Israel sculpta in lapidibus pretiosis, sic Deus ab aeterno electos omnes veluti sculptos habuit in corde; et sicut pontifex tum maxime nomina illa gestabat in pectore et etiam super scapulas in duobus lapidibus onychinis cum sanctum sanctorum ingrediebatur, [86] sic Christus post iudicium omnes electos in paradisum Dei introducet, anima et corpore glorificatos, ex divina caritate sua et merito passionis et crucis suae.

Sancti in coelo Dei gratia et gloria perfruuntur.

V. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [87] Gaudet hodie Sancta Mater Ecclesia celebrans festivitatem omnium Sanctorum; causa autem laetitiae in Evangelio ponitur: quoniam omnes Sancti beati sunt in coelo: *Quoniam ipsorum est regnum coelorum,* possident terram viventium, consolantur, saturantur, misericordia Dei fruuntur, Deum vident et Dei filii nominantur. Sunt Sancti in coelesti paradiso, quem latroni in cruce

80) Ibid. vrr. 21. 23. Vulg.: *Super multa,* etc. 81) 2 Cor 10, 4. 82) Eph 6, 16-17. 83) Ps 150, 1-2. 84) Ps 67, 36. 85) Ier 31, 3. 86) Cf. Ex 28, 9-30. 87) Mt 5, 3.

Dominus promisit dicens: *Hodie mecum eris in paradiso,* [88] unde Paulus cupiebat *dissolvi et esse cum Christo.* [89] Sic: *Iustorum... animae in manu Dei sunt,* licet enim visi sint *oculis insipientium mori, illi* tamen *sunt in pace;* [90] sicut enim anima Lazari ab Angelis portata fuit in sinum Abrahae, ubi consolabatur, [91] ita anima cuiuscunque sancti. Cum enim Deus propensior multo sit ad miserendum quam ad puniendum, sicut animae impiorum in morte ad inferna descendunt, uti de Core, Dathan et Abiron [92] deque epulone legimus, [93] ita et multo potius animae iustorum in coelum ascendunt, sicut Angeli per scalam Iacob [94] et sicut Elias igneo curru; [95] sic iustorum animae sunt *sicut Angeli Dei in coelo.* [96]

Gloriam hanc descripsit Ioannes in *Apocalypsi.*

Sanctorum autem gloriam revelavit Deus Ioanni in *Apocalypsi;* nam cum vidisset gloriam Dei, vidit etiam gloriam Sanctorum. Vidit, inquam, Ioannes gloriam Dei in coelo instar regiae maiestatis pro tribunali sedentis et in circuitu sedis, idest throni divini, inquit, *sedilia vingintiquattuor et super thronos vigintiquattuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis et in capitibus eorum coronae aureae.* [97] Ait etiam postea se vidisse seniores hos habentes in manibus *citharas et phialas aureas, plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum.* [98] Ubi Ioannes veluti depingit Sanctorum gloriam in coelo dum eos facit Dei ipsius consessores ac veluti collegas, summa, inquam, apud Deum dignitate et auctoritate praeditos. Assignat eis apud Deum regales thronos, aureas coronas, vestes candidas, quae antiquitus regum et principum erant; [99] hinc cum Pharao constituit Ioseph principem Aegypti, albis vestibus eum induit. [100] Hac de causa Deus visus fuit Danieli candida veste indutus [101] et Christus in transfiguratione, cum accepit a Deo Patre honorem et gloriam. [102] Sic Sanctos Deo similes facit, non quidem aequales, nec veros deos, ita ut, quemadmodum impie nugantur haeretici, Sanctorum cultus genus sit idololatriae, [103] sed Deo si-

88) Lc 23, 43. 89) Phil 1, 23. 90) Sap 3, 1-3. 91) Cf. Lc 16, 20-22. 92) Cf. Nm 16, 30-33. 93) Cf. Lc 16, 22. 94) Cf. Gn 28, 12. 95) Cf. 4 Rg 2, 11. 96) Mt 22, 30. 97) 4, 4. 98) Ibid. 5, 8. 99) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 19, cp. 30, (P. L. 82, 697-698); *Differentiae*, lib. 1, ibid. 83, 62-63; Aug. Calmet *Comment. in Evang. S. Lucae*, 23, 11. 100) Cf. Gn 41, 42. 101) Cf. Dn 7, 9. 102) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 2; Lc 9, 29; 2 Petr 1, 17. 103) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 2, pag. 313-314.

miles facit Deumque ipsum summa veneratione adorantes; positis enim coronis et e thronis assurgentes ac coram Deo procidentes, ipsum adorant et gratias agentes Deo dicunt: *Redemisti nos*, Domine Deus, *in sanguine tuo... et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes et regnabimus super terram.* [104] Hinc habent in manibus citharas ad laudandum Deum; ubi alluditur ad citharam David qua Deum laudabat, [105] eo quod oratio sit apud Deum veluti suavissima musica. Habent etiam *phialas aureas, plenas odoramentorum:* alluditur ad aureum thuribulum Aaron pontificis, quo adolebat incensum suavissimi odoris Deo. [106] Interpretatur autem Ioannes odoramenta esse *orationes Sanctorum*, sicut etiam de Archangelo Michaele dicit quod habet in manibus thuribulum aureum, etc.; [107] alludit ad illud *Psalmi: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* [108] Facti sunt similes Christo, qui simul rex est et sacerdos sicut Melchisedech. [109]

VI. Ostenditur autem hic duplex modus quo Sancti cum Christo in coelo aevum degentes iuvare nos possunt: potestate ut reges, intercessione ut sacerdotes; nam et Moyses duplici hac potestate divinitus praeditus fuit, hinc tanquam divinus quidam rex virgae sceptrum extendens imperabat creaturis et tanquam sacerdos ad Deum pro salute populi supplicabat. Quod si Sancti a Deo reges facti sunt, iuxta illud etiam: *Constitues eos principes super omnem terram,* [110] et illud quod ait Dominus servo fideli, qui decem minas lucratus fuit: Tu esto *super decem civitates*, alteri autem, qui minas quinque lucratus fuit: *Tu esto super quinque civitates;* [111] si, inquam, reges constituti sunt, honorandi sunt, nam regibus debetur honor; si etiam sacerdotes, adeundi sunt ut pro nobis Deum exorent, pro nobis intercedant Deoque nostras preces offerant; et si, ut Ioannes ait, habent *in manibus phialas aureas plenas adoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum*, possunt ipsi de coelo audire preces filiorum in terra, sicut Stephanus in terra constitutus potuit videre in coelo Christum a dextris virtutis Dei; [112] possunt videre cor-

Duplici modo Sancti in coelo iuvare nos possunt:

potestate et intercessione.

104) Apc 5, 9-10. Vulg.: *Regnum et sacerdotes*, etc. 105) Cf. Ps 42, 4; 56, 9; 70, 22; 107, 3. 106) Cf. Nm 16, 17. 107) Cf. Apc 8, 3. 108) 140, 2. 109) Cf. Gn 14, 18. 110) Ps 44, 17. 111) Lc 19, 17-19. 112) Cf. Act 7, 56.

dium arcana eis patefacta, sicut Angeli videntes cordialem veramque poenitentiam peccatorum magno gaudio afficiuntur in coelo,[113] et sicut Samuel vidit secreta cordis Saul,[114] Eliseus secreta Giezi[115] et regis Assyriorum,[116] Petrus secreta Ananiae et Saphirae;[117] ita ipsi in coelo. Scire enim possunt quae fiunt in terris vel per divinam revelationem, sicut Prophetae videbant futura et occulta hominum, vel in speculo divinae naturae, cum Deum sicut Angeli videant, vel etiam ipsis oculis quae hic fiunt intueri ex dono beatitudinis et gloriae, sicut etiam poenas damnatorum in inferno contemplantur, ut in historia Lazari et epulonis legimus.[118] Et sicut Angeli et animae beatae absque ullo sensibili signo manifestant sibi mutuo secreta, sicut homines per linguam et verba, ita Sancti in coelo intelligere possunt cogitationes et desideria cordis quae ad eos dirigimus. Sicut etiam Angeli pro nobis intercedunt, ut Zachariae 1 legimus,[119] ita et Sancti qui sunt *sicut Angeli Dei in coelo,* sicut etiam de Ieremia in *2 Machabaeorum* legimus,[120] et sicut *Apocalypsi* 6 expetunt Sancti vindictam contra impios,[121] cur non etiam misericordiam pro piis? Quidquid? Etiam epulo pro suis fratribus oravit in inferno.[122] Quod si damnati orare possunt in inferno, cur non Sancti in coelo?

Nunc scala coeli nobis consideranda est, quae octo gradibus componitur.

VII. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Vidimus huc usque apertum paradisum et gloriam Dei: Hic *domus Dei* est *et porta coeli;*[123] nunc autem scala coeli consideranda nobis est, quam ex octo gradibus hodie Christus componit: *Beati pauperes spiritu . . . beati mites . . . beati qui lugent . . . beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam . . . beati misericordes . . . beati mundo corde . . . beati pacifici* et *beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam.* Apud Ezechielem legimus, capite 40, quod octo gradibus ascendebatur in tabernaculum interius,[124] hoc est in ipsum sanctum sanctorum, quod[125] erat, uti diximus,[126] locus gloriae Dei; ad Salomonis thro-

113) Cf. Lc 15, 10. 114) Cf. 1 Rg 9, 10. 115) Cf. 4 Rg 5, 25-26. 116) Cf. ibid. 6, 31 sqq. 117) Cf. Act 5, 1-9. 118) Cf. Lc 16, 19 sqq. 119) Cf. vrr. 12-17. 120) Cf. 15, 12-16. 121) Cf. vr. 10. 122) Cf. Lc 16, 27-28. 123) Gn 28, 17. 124) Cf. vr. 32. 125) Ms.: *Qui.* 126) Cf. supra, pag. 217.

num per sex ascendebatur gradus.[127] Christus Deus est verus Salomon: *Factus est in pace locus eius.*[128] In hodierno Evangelio per sex gradus ascenditur ad pacem et perfectionem virtutis et sanctitatis, nam septimo loco ponitur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Declarandi sunt autem nobis omnes hi gradus: quidnam sit paupertas spiritus, quid mansuetudo, quid luctus, quid fames et sitis iustitiae, quid misericordia, quid cordis mundities, quid pax et tandem quid patientia persecutionum propter iustitiam.

Regnum coelorum promittitur pauperibus spiritu,

Ait ergo: *Beati pauperes spiritu.* Divus Lucas ait: *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationes vestras!*[129] Laudatur ergo primo paupertas voluntaria et contemptus divitiarum, graece est μακάριοι οἱ πτωχοί,[130] *beati mendici*, sed *spiritu*, idest voluntate, animo. Saepe enim in Sacris Litteris animus hominis *spiritus* appellatur, uti: *Servare unitatem spiritus in vinculo pacis,*[131] et: *Cui servio in spiritu meo,*[132] idest ex animo, et: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*[133] Huic autem voluntariae paupertati promittitur regnum coelorum tanquam thesaurus et ingens copia divitiarum, sicut adolescenti diviti dixit Dominus: *Vade, vende* omnia *quae habes ... et habetis thesaurum* magnum *in coelo.*[134] *Beati mites,* idest humiles corde: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,*[135] *quoniam ipsi possidebunt terram* viventium, exaltabuntur in coelo possessione aeternorum bonorum. *Beati qui lugent,* non qui in deliciis et voluptatibus vivunt, sed qui propter Deum afflictam, moestam, tristem ducunt vitam, ea tristitia quae poenitentiam in salutem stabilem operatur, *quoniam ipsi consolabuntur.* Beati sunt ergo qui absque consolationibus propter Deum vivunt in hoc mundo. *Beati qui esuriunt et sitiunt,* qui famem et sitim patiuntur propter iustitiam, virtutis causa, *quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes,* qui facile dimittunt aliis debita ut a Deo sibi dimittantur: *Nonne ... oportuit et te misereri conservi tui sicut et ego tui misertus sum?*[136] *Estote ... misericordes sicut et Pater vester* coelestis *misericors est.*[137]

humilibus, corde,

vere poenitentibus et virtutem diligentibus,

misericordibus et mundis corde,

127) Cf. 3 Rg 10, 18-19. 128) Ps 75, 3. 129) 6, 24. Vulg.: *Consolationem vestram.* 130) Ms.: *Macarii i ptochi.* 131) Eph 4, 3. 132) Rom 1, 9. 133) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 134) Mt 19, 21. 135) Ibid. 11, 29. 136) Ibid. 18, 33. 137) Lc 6, 36.

pacificis et patientibus virtutis causa.

Beati mundo corde, idest beati simplices sicut columbae,[138] nam Deus Beatum Iob a simplicitate laudavit,[139] *quoniam ipsi Deum videbunt,* perfecta Dei cognitione, perfecta scientia et sapientia donabuntur. *Beati pacifici,* qui cum inimicis pacem ex animo faciunt, *quoniam filii Dei vocabuntur,* sicut alibi dixit: *Diligite inimicos vestros . . . ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est.*[140] Tandem: *Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam,* idest virtutis causa, ut Apostoli qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati,*[141] sicut Martyres innumeri, sicut Daniel et tres socii ipsius,[142] sicut Stephanus protomartyr.[143]

Mirabilis est Christi philosophia in hodierno Evangelio,

Mirabilis est Christi philosophia in hodierno Evangelio et valde contraria sensui et opinioni huius mundi, nam mundus non pauperes, humiles, afflictos, ieiunos, beatos dicit, sed *beatum dixerunt populum cui haec sunt:*[144] opes, honores, voluptates. At vero altissima est Christi philosophia, dum pauperes spiritu beatificat, *pauperes,* inquam, *spiritu,* idest non necessitate sed voluntate, ex animo; qui autem talis est, nihil cupit; contentus igitur est atque pacato animo, beatus; est autem beatitudo bonum quod omnes appetunt.

quam tamen mundus abhorret.

Ostenditur in hodierno Evangelio quam varia sint Dei et mundi iudicia, nam paupertatem, humilitatem, carnis afflictationem, abstinentiam, iniuriarum condonationem, pacem cum inimicis et patientiam perpessionemque persecutionum hic Christus maximi apud Deum valere docet, quae tamen mundus maxime contemnit, nihili facit, abhorret.

Proponitur hodie praemium Sanctorum, idest gloria paradisi.

VIII. *Beati pauperes spiritu, quoniam,* etc. Proponuntur in hodierno Evangelio merita et praemia Sanctorum, sicut in *Psalmo 1: Beatus vir qui non abiit,* etc.;[145] sic ostenditur veluti scala per quam in coelum ascenderunt. Praemium autem gloria est paradisi, quam hic Dominus collectionem multorum bonorum describit, nam, ut apud Isaiam legimus: מְלֹא כָל־הָאָרֶץ כְּבוֹדוֹ, *plenitudo universae terrae gloria eius.*[146] Multa sunt quae solent ho-

138) Mt 10, 16. 139) Cf. Iob 1, 8. 140) Mt 5, 44-45. 141) Act 5, 41. 142) Cf. Dn 1, 6. 143) Cf. Act 7, 55 sqq. 144) Ps 143, 15. 145) Vr. 1. 146) 6, 3. Ex bebraico. Ms.: *Melo col haarez chebodo.*

mines magna animi propensione appetere: principatus et supremas dignitates, hinc etiam apostoli filii Zebedaei appetivere dexteram et sinistram in regno Christi;[147] hinc promittitur electis regalis dignitas in coelo: *Ipsorum est regnum coelorum* infinitusque thesaurus coelestium divitiarum. Cupiunt homines non solum dominium, verum etiam possessionem bonorum; multi enim legitimi sunt domini, non tamen possident; hic autem dicitur: *Ipsi possidebunt:* dominio additur possessio. In bonorum possessione cupiunt homines consolationem et voluptatum oblectamenta, sicut de Salomone legimus quod a patre institutus fuit rex ut legitimus regni heres, posseditque regnum multa cum pace, quiete et consolatione;[148] hinc dicitur: *Ipsi consolabuntur;* cupiunt perfectam consolationem homines: *Ipsi saturabuntur.* Cupiunt vivere absque ulla miseria, metus autem futurorum malorum magna miseria est; sed: *Ipsi misericordiam consequentur:* liberi erunt ab omni miseria. Cupiunt summi principes in regno frui dulci conversatione summi regis: *Ipsi Deum videbunt,* alludit ad illud quod regina Saba dixit: *Beati servi tui et beati viri tui qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam.*[149] Nec solum fruentur dulcissima Dei conversatione, sed ab ipso Deo diligentur et tractabuntur sicut carissimi filii, nam: *Filii Dei vocabuntur,* erunt Deo simillimi sicut filii patri. Et tandem: *Ipsorum est regnum coelorum:* ipsi fruentur omnibus bonis Dei, erunt sicut reges in coelo coronati. Hinc legimus in *Apocalypsi* Sanctos aureis coronis coronatos Deique consessores, hinc aiunt: *Quia fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes et regnabimus super terram,* et Paulus ait: *Si compatiemur et conregnabimus.*[150]

quae est perfecta fruitio omnium bonorum Dei

Igitur veluti imagine felicissimi et fortunatissimi principis in regno, qualis fuit Ioseph in regno Aegypto apud Pharaonem,[151] graphice depingit nobis et repraesentat Salvator in hodierno Evangelio gloriam electi cuiuscunque apud Deum in paradiso, sed hac superadditione, quod principatus iste in coelo est, ubi est omni ex parte perpetua perfectaque incorruptio vitaque in sempiternum immortalis, id quod solum desiderare videntur summi principes in

vitaque immortalis.

147) Cf. Mt 20, 20-21; Mc 10, 35-37.
148) Cf. 3 Rg 4, 1 sqq.; 1 Par 1, 1 sqq.
149) 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7.
150) 2 Tim 2, 12. Vulg.: *Si sustinebimus,* etc.
151) Cf. Gn 41, 40-44.

mundo; hinc antiquitus reges ita salutabantur: *Rex, in aeternum vive!* [152]

De hodierna festivitate multa cecinit Regius Vates

IX. De hodierna festivitate Regius Vates multa cecinit, sed praecipue *Psalmo 148* et sequenti *149*, nam ait: *Confessio eius super coelum et terram et exaltavit cornu populi sui; hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* [153] Laus, inquit, Dei in coelo est et in terra, in Ecclesia triumphante in coelis et militante in terra; hoc autem quoniam *exaltavit cornu populi sui*, idest exaltavit sublimavitque ad miraculum omnes electos suos, ita ut hymnus et laus sit omnibus Sanctis suis, laude digni sint, quoniam filii sunt Israel, imitatores Dei et populus Deo caritate unitus: *Qui ... adhaeret Deo, unus spiritus est* [154] cum eo. Hinc *Psalmo 149* haec eadem multo altius canit; nam quod prius dixerat: *Confessio eius*, laus eius, sit *super coelum et terram*, nunc ait: *Cantate Domino canticum novum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Laetetur Israel in eo qui fecit eum et filiae Sion exultent in rege suo. Laudent nomen eius in choro, in tympano et psalterio psallant ei;* et quod prius dixerat: *Exaltavit cornu populi sui*, nunc dicit: *Quia beneplacitum est Domino in populo suo et exaltavit mansuetos in salutem.* Ob quam exaltationem *exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in faucibus eorum et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus*, etc., *ut faciant in eis iudicium conscriptum. Gloria haec est omnibus sanctis eius.* [155] Haec, inquit, est gloria omnium Sanctorum, primo quidem, quia *beneplacitum est Domino in populo suo*, ut eos ab aeterno diligeret et eligeret: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te;* [156] secundo vero, quia *exaltavit mansuetos*, exaltati sunt a Deo ex merito virtutis et sanctitatis in gloria paradisi, hinc in aeternum *exultabunt* et *laetabuntur*, idest vitam ducent perpetuo beatam in sempiternum. Sed quaenam fuit eorum virtus, ob quam tantopere exaltati sunt super coelos? Pietas et religio erga Deum: *Exaltationes Dei in faucibus eorum*, et invicta animi fortitudo ad pugnandum contra inimicos Dei: *Gladii*

causas afferens Sanctorum laetitiae

152) 1 Rg 10, 24; 2 Rg 16, 16; 3 Rg 1, 25. 31; 2 Esr 2, 3; Dn 2, 4; 3, 9; 5, 10; 6, 6. 21.
153) Ps 148, 14. 154) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Adhaeret Domino.* 155) Vrr. 1 sqq. Ex hebraico. 156) Mt 11, 26. Vulg.: *Fuit placitum ante te.*

ancipites in manibus eorum, nam Paulus ait quod *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit*,[157] unde et *Timotheo* scripsit: *Certa bonum certamen... apprehende vitam aeternam*,[158] et de seipso ait: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex.*[159] Haec igitur est gloria omnium Sanctorum Dei, quia pugnaverunt et vicerunt, tenentes manibus gladios ancipites, duarum acierum: *Per arma iustitiae a dextris et a sinistris*,[160] in prosperis et in adversis, nam ex omni parte insurgunt vitia carnis et tentamenta diaboli.

Quoniam vero id quod primo faciendum dicit Regius Vates in hodierna solemnitate est laus Dei, in *Psalmo* sequenti *150* rationes assignat ob quas laudandus est Deus: *Laudate Dominum in sanctis eius*, hebraice: *ob sanctitatem eius*, בְּקָדְשׁוֹ,[161] *laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, in fortitudinibus eius, laudat eum secundum multitudinem magnitudinis eius.*[162] Laudandum inquit Deum ob sanctitatem, qua sanctificavit omnes electos suos, ad solis instar qui lucis suae communicatione omnia sidera coeli illustrat, laudandum ob firmamenti opus, ob coeli creationem, nam coelum in virtutis praemium creavit ad honorandos et glorificandos omnes divina praeditos virtute; laudandum ob fortitudinem, qua omnes Sanctos suos sic roboravit et fortes reddidit, ut omnes hostes suos superarent victoriamque et triumphum et trophaea ex hostibus reportarent: *Omnia possum in eo qui me confortat;*[163] et tandem ob insignem magnificentiam, quae elucet in glorificatione Sanctorum.

et rationes assignans quibus Deus laudandus est.

Duo igitur agenda nobis sunt hodie: laudandus est Deus: *Confessio eius super coelum et terram*, cantandum canticum novum laudanda et celebranda Dei sanctitas, gloria, fortitudo et magnificentia; et laudandus est omnis Sanctorum chorus: *Hymnus omnibus sanctis eius*, quia omnes fuerunt filii Israel, imo filii Dei hominesque divini: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes;*[164] quia fuerunt populus Deo appropinquans, fugiens a carne, a mundo, a diabolo

Laudandus igitur nobis Deus est, et laudandus omnis Sanctorum chorus.

157) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronabitur. Non coronatur* lect. cod. 158) 1 Tim 6, 12. 159) 2 Tim 4, 7-8. 160) 2 Cor 6, 7. 161) Ms.: *Bekadscho.* 162) Vrr. 1-2. Ex hebraico. 163) Phil 4, 13. 164) Ps 81, 6.

mente, cogitatione, animo; quia *exaltationes Dei in faucibus eorum et gladii ancipites in manibus eorum.* Laudandi et celebrandi ex hodierno Evangelio, quia fuerunt pauperes spiritu, mites, lugentes, misericordes, esurientes et sitientes iustitiam, mundi corde, vere pacifici et passi sunt persecutiones propter iustitiam, non solum patienter, sed etiam laeto animo: *Beati estis cum maledixerint vobis* omnes *et persecuti vos fuerint... Gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelis;* [165] hinc Apostoli *ibant gaudentes... quoniam digni habiti sunt* pro Christo *contumeliam pati.*

Assignantur in hodierno Evangelio octo gradus beatitudinis in coelo.

X. Habemus in hodierno Evangelio octo beatitudines Sanctorum, assignantur enim iuxta virtutum merita octo gradus beatitudinis in coelo, et Regius Vates in *Psalmo 149,* ubi agit de gloria Sanctorum, similiter octo tangit. Primum est: *Beneplacitum est Domino in populo suo;* secundum: *Exaltavit mansuetos in salutem;* tertium: *Exultabunt sancti in gloria;* quartum: *Laetabuntur in cubilibus suis;* quintum: *Exaltationes Dei in gutture eorum;* sextum: *Gladii ancipites in manibus eorum;* septimum: *Ut faciant in eis iudicium conscriptum;* octavum: *Gloria haec est omnibus sanctis eius.* Et in primo quidem designantur favor et gratia Dei erga eos, quod sunt Dei gratissimi tanquam carissimi filii, sicut: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [166] In secundo autem ipsorum dignitas et honor apud Deum, non solum enim a perditione salvi facti sunt, verum etiam in coelum exaltati magnisque honoribus donati. In tertio vero perpetua cordis laetitia et animi gaudium. In quarto quies pacatissima et tutissima habitatio, absque ullo unquam incommodo. In quinto perpetua harmonia et concentus suavissimus in divinis laudibus: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! In saeculum saeculi laudabunt te,* [167] hinc Ioannes audivit voces veluti citharoedorum et cantabant canticum novum. [168] In sexto invicta potentia super omnes populos et reges; in septimo iudiciaria potestas ad iudicandum orbem, et in octavo perfecta et absoluta gloria, idest omne desiderabile bonum.

165) Mt 5, 11-12. 166) Ibid. 17, 5. 167) Ps 83, 5. Vulg.: *In saecula saeculorum,* etc. 168) Cf. Apc 14, 2-3.

Haec eadem sunt quae in Evangelio dicuntur: *Beati pauperes spiritu*, idest animo et voluntate, *quoniam ipsorum est regnum coelorum*, idest coelestes divitiae, iuxta illud: *Vade, vende* omnia *quae habes... et habebis thesaurum*, etc.;[169] hoc autem est quod Regius Vates ait: *Gloria haec est omnibus sanctis*, nam gloriam appellare solent Divinae Litterae copiam divitiarum, unde: *Nec Salomon in omni gloria sua*,[170] et cum Iacob apud Laban locupletatus esset, audivit filios Laban dicentes: *De bonis patris nostri fecit sibi* Iacob *omnem hanc gloriam*.[171] *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, viventium utique, lacte et melle manantem, bonis omnibus affluentem. Sic: *Exaltavit mansuetos in salutem. Beati qui lugent, quoniam... consolabuntur: Exultabunt sancti in gloria. Beati qui esuriunt... quoniam... saturabuntur; Laetabuntur in cubilibus suis*, in quietis mansionibus multis affluent et fruentur deliciis ac voluptatibus. *Beati misericordes, quoniam... misericordiam consequentur: Beneplacitum est Domino in populo suo*, fruuntur electi Dei gratia et favore. *Beati mundo corde*, idest simplices sicut columbae, *quoniam ipsi Deum videbunt*, perfecta Dei cognitione, scientia et sapientia donabuntur, hinc *exaltationes Dei in gutture eorum*, cognoscentes enim et videntes invisibilia Dei, sempiternam quoque virtutem et divinitatem,[172] eam perpetuo summis laudibus celebrabunt. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, idest similes Deo erunt et agnoscentur, erunt filii Dei manifesti. Est autem Deus iudex universi: *Ut faciant... iudicium conscriptum*, ut divinitate quadam fulti mundum universum iudicent. Tandem *beati qui patiuntur persecutiones... quoniam ipsorum est regnum coelorum*, coelesti gloria donabuntur, palmam victoriae referent, coelum triumphantes intrabunt: *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam:* multas passi persecutiones a mundo et daemonibus, divina praediti erunt potentia contra mundum et daemones.

Iuxta virtutum merita.

XI. Iubet autem Regius Vates laudari Deum in gloria: Sanctorum novo magnoque spiritus fervore, sed in *Ecclesia sanctorum: Cantate Domino canticum novum, laus eius in Ecclesia sanctorum*,

Impie reprobant haeretici cultum Sanctorum.

169) Mt 19, 21. 170) Ibid. 6, 29; Lc 12, 27. 171) Gn 31, 1. Ex hebraico.
172) Cf. Rom 1, 20.

quoniam ecclesia haereticorum, qui se dicunt veros Christi fideles, cum non sint nisi *synagoga satanae*,[173] Deum in Sanctis suis minime laudat. Putat enim cultum venerationemque Sanctorum impietatis et idololatriae genus esse,[174] sic nanque Ioannes in *Apocalypsi* ait datum esse os magnum ad blasphemandum Deum *et tabernaculum eius et eos qui in coelis habitant.*[175]

Ponuntur in hodierno Evangelio tum merita tum etiam praemia Sanctorum, sed prius merita virtutum, postea praemia. Ita etiam a Regio Vate; nam prius dixerat: *Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Hymnus divina laus est, dixerat enim: *Laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius*, idest laus, maiestas, magnificentia, *super coelum et terram et exaltavit cornu populi sui.* Ubi ponitur triplex ratio divinae laudis: a magnitudine Dei, operum suorum et beneficiorum ipsius. Hoc igitur est: *Hymnus omnibus sanctis:* semper Deum laudabant; Sanctos autem dicit filios Israel, idest veros fideles et appropinquantes Deo, homines, inquam, electos, fide, caritate, Dei gratia praeditos. Haec sunt merita Sanctorum: perpetua laus Dei ex fide et caritate.[176]

173) Apc 2, 9. 174) Cf. supra pag. 226, not. 103. 175) 13, 5-6. Vulg.: *Qui in coelo habitant.* 176) Deinde quattuor foliis albis relictis, transitur ad homiliam Commune Unius Martyris.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS

Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest, etc. 1

I. Admiranda plane fuit davidici animi fortitudo, plena fide et virtute quadam supernaturali, superhumana, vere coelesti et divina, dum ipse fidei zelo plenus, honoris divini sanctaeque fidei et religionis sacrae causa permotus, adolescens ipse et inermis ad debellandum adiit[2] fortissimum et armatissimum gigantem et, quod admirandius est, victoriam ex eo reportavit, vicit enim, prostravit et occidit illum.[3] O mira Dei virtus! O summe admirabilis Deus!

Admiranda fuit fortitudo David qua gigantem prostravit,

Sed nihilo minus, imo multo amplius admiranda est Martyrum fortitudo; hi enim, non sicut Ioab Absalonem inimicum tribus lanceis confodit,[4] sed tribus inimicis una tantum fidei lancea mortalia vulnera inflixerunt, vincentes mundum, carnem et diabolum; nam contra diabolum, qui *tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret,*[5] principalis est pugna: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*[6] Hic est fortissimus ille gigas, de quo scriptum est: *Non est potestas super terram quae comparetur ei;*[7] hic ille *fortis armatus* custodiens *atrium suum.*[8] Hunc hostem omnes ac singuli Christi Martyres superarunt armati, non carne sed spiritu; hinc enim David regalia arma deposuit tantumque pasto-

sed valde magis admiranda Martyrum fortitudo, qui mundum, carnem et diabolum vicerunt.

1) Pericope huius festi Lc 14, 26-33. Cf. Missale Rom. 1° loco. 2) Ms.: *Adit.*
3) Cf. 1 Rg 17, 31-51. 4) Cf. 2 Rg 18, 14. 5) 1 Petr 5, 8. 6) Eph 6, 12.
7) Iob 41, 24. Vulg.: *Super terram potestas,* etc. 8) Lc 11, 21.

ralem virgam sumpsit et quinque lapides de torrente. Armatus spiritu martyr illis armis, de quibus Paulus ait: *Abiiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis, Romanis* 13;[9] et alibi: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ... in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, 2 Corinthiis* 10.[10] Exquisitissime vero *ad Ephesios* scribens: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus*, etc. *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam iustitiae et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei;*[11] et *1 ad Thessalonicenses* 5:[12] *Nos autem, qui diei*[13] *sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis.*[14] His armis pugnans martyr diabolum vicit mundumque et carnem suam, seipsum odio habens propter Deum: *Si quis*, inquit, *venit ad me et non odit* mundum universum, *adhuc autem et animam suam*, seipsum propriamque in hoc mundo salutem, *non potest meus esse discipulus;* nam qui diligit aliquid supra me, *non est me dignus.*[15]

Iubemur nos ipsos et proximos diligere, sed Deum super omnia.

II. Quod si iubemur in lege parentes diligere et proximos nostros sicut nos ipsos, iubemur tamen Deum super omnia diligere ex toto corde: *Hoc est primum et maximum mandatum* in lege. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*[16] Iubemur quidem nos ipsos, proximos nostros, bona nostra diligere; sed haec dilectio comparata Deo adeo illi cedat, ut odium potius dicatur quam amor, sicut luna soli comparata tenebrosa potius videtur quam lucida; sic omne nocturnum lumen comparatum diurno; sic albedo quaevis candori nivis comparata nigredo potius est

9) Vr. 12. 10) Vrr. 4-6. 11) 6, 11-17. 12) Ms.: *2 ad Thessalonicenses 8.* 13) Ms.: *Dei.* 14) Vr. 8. 15) Mt 10, 37-38. 16) Ibid. 22, 38-39. Vulg.: *Maximum et primum*, etc.

quam albedo; sicut omnis dulcedo comparata mellis dulcedini vix meretur dulcedinis nomen. Sic Abraham proprium filium, quem summe diligebat, odio habuit propter Deum, dum illum occidere Deoque sacrificare voluit, ut Deo morem gereret. [17] Nobilis ille vir qui venatione delectatur, diligit canem; at si canem videat unicum et dilectissimum filium suum impetentem atque mordentem, canem occidit, odit enim hunc respectu amoris filii. Sic Abraham diligens Ismaelem, illum tamen domo eiecit tanquam odio habens, quoniam persequebatur Isaac dilectissimum, unde et matrem et filium domo expulit. [18] Mercator diligit merces suas, quibus onustam navim vehit in patriam; at vero, tempestate emergente in mari, videns periculum naufragii, ut vitam salvet, proiicit merces in mare ne cum illis ipse quoque pereat. Sic minor dilectio maiori comparata odium potius videtur et est quam amor; sic mercator ille ne aureos mille amittat, libenter decem quadrantes vel denarios solvit et minus semper damnum prudens eligit; sicut homo ad salutem consequendam amissamque sanitatem reparandam, non solum amaras medelas propinatas ebibit, sed etiam sanguinem sibi a venis extrahi sinit et phlebotomari [19] utique candentibus ferris et membra etiam sibi abscindi sinit. Sic docet Christus hic Deum esse super omnia diligendum, ut quarumvis aliarum rerum amor odium sit potius quam amor, Dei comparatus amori, ut si optio detur ut vel omnem substantiam vitamque ipsam necesse sit perdere vel Deum quovis modo offendere, non partem hanc, sed illam absque mora eligamus. Sic, sic omnes Christi Martyres, vere Christi fideles, semper egerunt.

Ita ut vitam ipsam necesse sit perdere quam Deum offendere, sicut Martyres egerunt.

Videre mihi videor hodie sanctum iustumque Abelem, qui ab impio crudelique fratre Caino persecutionem propter iustitiam et virtutem passus impie crudeliterque occisus fuit; sic martyr, iustus. Deo acceptus sicut Abel, ad quem *respexit Deus ... et ad munera eius,* [19a] hodie a tyranno impio et crudeli diram passus persecutionem propter Christi fidem, dire crudeliterque occisus est. Impius Cain, terrac cultor atque possessor terrenaeque civitatis aedificator, virtutem odio habens sicut nycticorax lucem solis, Abelem satanico spiritu actus persequens occidit; [20] sic tyrannus hunc martyrem.

Figura martyris Abel iustus a Cain occisus.

17) Cf. Gn 22, 1-10. 18) Cf. ibid. 21, 10; Gal 4, 28-30. 19) De hac voce cf. Calepinus *Septem Linguarum.* 19a) Gn 4, 4. Vulg.: *Respexit Dominus,* etc.
20) Cf. ibid. vrr. 8-17.

Describit Ioannes impiam tyrannidem in Martyres saevientem.

Impia tyrannis inebriata est sanguine Martyrum Christi, sicut Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Abstulit me in spiritu in desertum, et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam* et *plenam nominibus blasphemiae, habentem capita septem et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura et coccino et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terrae.*[21] Declarat ipsemet Ioannes quidnam spectrum istud significet, revelante sibi Angelo. Mulier quam vidisti est civitas magna, quae habet regnum super reges terrae, romana monarchia; septem capita bestiae *septem*, inquit, *montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem;*[22] sic Roma super septem colles fundata et septem primos reges habuit;[23] decem vero cornua decem reges, decem imperatores, qui usque ad Constantinum Magnum Ecclesiam persecuti sunt; nam inquit: *Hi cum Agno pugnabunt et Agnus vincet eos;*[24] aquas autem super quas mulierem sedentem vidit, populos dicit esse et gentes et linguas. Hanc *Babylonem* vocat, sic et Petrus: Salutant vos fratres, qui sunt *in Babylone.*[25] Induta erat purpura ob regalem dignitatem, auro et lapidibus pretiosis ob divitias; vas aureum plenum abominationibus idololatriae: impietas in ditissimis templis. *Et vidi*, inquit, *mulierem ebriam de sanguine Sanctorum et de sanguine Martyrum Iesu; et miratus sum cum vidissem illam admiratione magna,*[26] quia admiranda plane fuit romanae tyrannidis in Sanctos Christi Martyres crudelitas. Sic impius Manasses multum sanguinem innoxium fudit in Ierusalem lacumque ac mare innoxii sanguinis fecit in Ierusalem;[27] sic impius Pharao innocentes Hebraeorum infantes in flumen proiici et enecari ius-

21) 17, 3-5. 22) Ibid. vr. 9. 23) Virg. *Georg.* 2, vrr.: 534-535.

« Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces »;

et Horat. in *Carm. Sec.*: vr. 7.

« Dis, quibus septem placuere colles ».

Porro hi septem Romae colles sunt: Capitolinus, sive Tarpeius, Palatinus, Coelius, Esquilinus, Viminalis, Quirinalis, Aventinus. - Septem autem reges sunt: Romulus, Numa Pompilius, Tullius Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus. 24) Apc 17, 14. Vulg.: *Vincet illos.* 25) Cf. 1 Petr 5, 13.
26) Apc 17, 6. 27) Cf. 4 Rg 21, 16.

sit;[28] sic dirus et crudelis Herodes occidit innocentes infantes Bethlehem.[29]

Comparat Christus vitam christianam aedificio fortissimi castri,

III. *Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? ne postquam,* etc. *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non . . . prius cogitat si possit cum decem millibus,* etc.?[30] Comparat Christus vitam christianam aedificio, non quidem cuiusvis habitatiunculae, sed turris, idest fortissimi castri, sicut fuit turris David,[31] et bello, non cuicunque, sed bello quod est inter duos reges. Primo quidem ad insinuandam virtutis difficultatem, quoniam difficile admodum est mundum et quae in eo possidentur odio habere pompisque eius renunciare et omnibus quae homo possidet, vel effectu omnia cum Apostolis relinquendo, vel saltem affectu: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.*[32] Sed quam difficile qui divitias habent regnum Dei consequentur! Impossibile est divites intrare in regnum coelorum.[33] Multo autem difficilius est parentes et filios omnesque consanguineos et affines odio habere propter Christum. Omnium autem difficillimum odio habere seipsum, abnegare seipsum et tollere crucem suam,[34] carnem suam crucifigendo cum vitiis et concupiscentiis,[35] Christumque in humilitate, paupertate et patientia perpetua sequi. Ideo, inquit Christus, non temere debet se ingerere homo et christianae vitae nomen dare, sed summa cum consideratione, sicut qui fabricaturus est turrim aut commissurus bellum cum potentissimo rege; nam melius est viam Dei non agnovisse, quam post agnitionem veritatis retro abire.[36] Ingreditur enim spiritus immundus cum septem spiritibus nequioribus se, *et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus,*[37] sicut qui sine consideratione imprudenter se ingerit aedificiis aut bellis gerendis, tandem absque ulla utilitate, sed magno cum damno expensarum pecuriarum et etiam honoris, remanet illusus et derisus ab hominibus.

ad insinuandam difficultatem virtutis.

28) Cf. Ex 1, 15-22. 29) Cf. Mt 2, 16. 30) Lc 14, 28-31. 31) Cf. Ct 4, 4. 32) Ps 61, 11. 33) Cf. Mt 19, 23-24; Mc 10, 23-26; Lc 18, 24-27. 34) Cf. Mt 16, 24; Mc 8, 34; Lc 9, 23. 35) Cf. Gal 5, 24. 36) Cf. 2 Petr 2, 21. 37) Mt 12, 45.

Deinde ostendit Christus quod christiana vita est fabricare, non in terra sed in coelo: *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra . . . sed thesaurizate vobis thesauros in coelo.* [38] Sic bonis operibus tanquam auro et lapidibus pretiosis aedificandum est ditissimum in coelo palatium, nam fundamenta civitatis Ierusalem in coelo sunt ex lapidibus pretiosis et universa civitas aurum mundum. [39] Sic inquit P a u l u s super fundamentum, quod Christus est, super ponendum esse aurum, argentum, lapides pretiosos. [40]

Vita christiana est fabricare in coelo.

Nec tantum aedificare est, sed etiam bellum gerere mundo, carni et diabolo: *Militia est vita hominis super terram*, [41] haec pugna Davidis est contra Goliam. Sic populus Dei in deserto et tabernaculum Domino erexit in habitaculum [42] et contra Amalecitas pugnavit; [43] sic illi qui Ierusalem reaedificabant, altera manu gladios ad pugnandum tenebant et altera aedificio operam dabant; [44] sic duces populi Israel fuerunt duo: Moyses, qui tabernaculum Domino aedificavit: et Iosue, qui contra Chananaeos pugnavit; [45] sic duo reges Israelis, David et Salomon: ille inimicos Dei expugnavit et iste templum Domino ditissimum gloriosissimumque construxit; [46] sic Abraham fixit tentorium et construxit altare inter Bethel, d o m u m D e i , [47] et Hai civitatem Chananaeorum, [48] quam Israel expugnavit. [49] Aedificamus autem cum bona propter Deum agimus, bellamus cum mala propter Deum et propter iustitiam patimur; aedificamus dum virtutibus acquirendis summa cum diligentia et studio operam impendimus, bellamus autem cum vitiis extirpandis carnisque concupiscentiis domandis pro viribus attendimus.

et mundo, carni et diabolo bellum gerere.

38) Ibid. 6, 19-20. Vulg.: *Thesaurizate autem*, etc. 39) Cf. Apc 21, 19-20. 40) Cf. 1 Cor 3, 11-12. 41) Iob 7, 1. 42) Cf. Ex 40, 15-32. 43) Cf. ibid. 17, 8-13. 44) Cf. 2 Esr 4, 17-18. 45) Cf. Ios 12, 1 sqq. 46) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1 sqq. 47) Sic nomen hoc latine interpretatur. 48) Cf. Gn 12, 8. 49) Cf. Ios 8, 1-29.

COMMUNE DOCTORUM

Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut, etc.[1]

Vas novum Elisei plenum sale, figura Doctorum Ecclesiae.

I. Dum mundum istum contemplor, plane videre mihi videor civitatem Iericho, cuius quidem habitatio quoad situm optima erat, sed aquae pessimae et terra sterilis, sic enim Eliseo dixerunt cives Iericho: *Ecce habitatio civitatis huius optima est, ut tu, domine, perspicis, sed aquae pessimae sunt et terra sterilis;*[2] sic enim mundi huius habitatio optima est, sed homines secundum carnem viventes mali sunt: *Mundus totus in maligno positus est;*[3] sicut habitatio civitatis Sodomae totiusque Pentapolis optima erat, *sicut paradisus Domini* et terra Aegypti, sed viri sodomitae *pessimi erant... coram Domino;*[4] erat aurea concha, sed serpentibus plena, paradisus a daemonibus in carne habitatus, sic ait: *Habitatio... optima... sed aquae pessimae... et terra sterilis.* Aquae multae populi multi;[5] Eliseus autem divino miraculo aquas salubres effecit et ex pessimis optimas; sanavit aquas istas et non erit amplius in eis mors neque sterilitas. Sanavit autem immisso in aquas vase novo sale pleno,[6] quod quidem Sanctorum Doctorum hieroglyphicum est, quibus hodie Dominus ait: *Vos estis sal terrae.*

Vas enim novum novam creaturam designat: *In Christo enim*

1) Pericope huius festi Mt 5, 13-16. Cf. Missale Rom. Vulg.: *In quo salietur?* etc.
2) 4 Rg 2, 19. Vulg.: *Sicut tu ipse, domine,* etc.
3) 1 Io 5, 19.
4) Gn 13, 10-13.
5) Proverbium deductum ab Apc 17, 15. Cf. S. Bernardinus Senensis *Quadragesimale,* t. 1, sermo 51, cp. 3, pag. 263; Lud. Caelius *Lect. Antiq.,* lib. 26, cp. 23, col. 1464. *Aquas* SS. Patres communiter interpretantur *populos.* Cf. S. Augustinus *In Apocalypsim,* hom. 13, (P. L. 35, 2441); *In Psalmos,* ps. 17, ibid. 36, 150; S. Gregorius M. *Moralium,* lib. 17, cp. 21, ibid. 76, 25, et alii.
6) Cf. 4 Rg 2, 20-22.

Vas novum creaturam novam designat, sal autem sapientiam

Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura; [7] *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [8] Sal autem sapientiam designat, unde P a u l u s : *Sermo vester semper in gratia sit sale conditus.* [9] Sic vase isto novo hoc sale pleno sanatae sunt aquae Iericho, salvatus est mundus a peccatis, a vitiis, ab idololatria.

et praedicationem Evangelii.

Et quidem illud magnum fuit miraculum, nam sal aquae immissum non meliorem eam gustuique suaviorem reddit, sed multo amariorem ac insuaviorem, et sal terras fecundas steriles facit; hinc Abimelech seminavit sal super urbem Sichem,[10] ut terram illam sterilem omnino et infecundam efficeret; Eliseus autem sale terram fecundavit. Talia quidem sunt opera Domini. Sic Elias ad accendendum ignem super sacrificia aquam multam super ea effundi fecit semel, bis et ter;[11] sic Christus ad illuminandum caecum posuit lutum super oculos eius;[12] sic Deus ex tenebris lucem produxit,[13] ex petra sicca aquas,[14] ex sterili Sara vetulaque Isaac nasci fecit, patrem innumerabilis populi;[15] sic Moyses, immisso ligno dulces fecit aquas Mara.[16] Sic sale voluit Christus terram bonis operibus fecundare: *Vos estis sal terrae.* Sal enim terrae hic Dominus dicit praedicationem crucis, quae mundo summa videbatur stultitia, unde P a u l u s ait: *Nam quoniam non cognovit mundus in Dei sapientia per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.*[17] Hanc stultitiam Christus sal vocat, nam: *Quod stultum est Dei, sapientius est illis.*[18]

Magnum miraculum fuit fidem Christi crucifixi mundo persuadere.

II. *Vos estis sal terrae.* Magnum miraculum! Sal duabus contrariis naturis constat: aqua et igne; aqua enim salis materia, ignis calidus et acutus veluti forma; ignis vero et aqua multo minus incompossibilia sunt quam fides et cor humanum, ratio naturalis et supernaturalis fides, credere quod homo inter latrones crucifixus sit verus Deus, mundi creator, redemptor et salvator; sed maximum miraculum docere et persuadere hominibus hanc fidem, imo fide

7) Gal 6, 15. 8) Eph 4, 24. 9) Col 4, 6. Vulg.: *Sale sit conditus.* 10) Cf. Idc 9, 45. 11) Cf. 3 Rg 18, 34-35. 12) Cf. Io 9, 1-7. 13) Cf. Gn 1, 2-3. 14) Cf. Ex 1, 17; Nm 20, 2-11. 15) Cf. Gn 18, 10-19; 21, 1-3. 16) Cf. Ex 15, 23-25. 17) 1 Cor 1, 21. Vulg.: *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum.* 18) Ibid. vr 25. Vulg.: *Sapientius est hominibus.*

hac universum mundum implere. Non enim dicit: Vos estis sal unius civitatis tantum vel populi, uti erant Prophetae ad Hebraeos tantum missi, sed *sal terrae*, idest mundi, sicut subiungit: *Vos estis lux mundi.*[19] Sic sterili isto sale sterilis fecundata est terra, sicut ex Isaia ait Apostolus: *Laetare sterilis quae non paris, exulta et clama quae non parturis, quia multae filiae desertae magis quam eius quae habet virum.*[20] Sic nunc Ecclesia Gentium, quae prius sterilissima erat sicut Sara,[21] Rebecca[22] et Anna,[23] nunc fecundissima est multisque gradibus fecundior quam synagoga Iudaeorum. Sed miraculum magnum quod sale fecundata est terra, quod stultitia praedicationis crucis Christi mundus repletus est vera sapientia et salute. *Vos estis sal terrae,* vos mundi sapientia, qua Deus stultam faciet mundi sapientiam.[24] Sic *stulta ... mundi elegit Deus ut confundat sapientes;*[25] sic nunc stultitia praedicationis Christi pro summa, uti est, sapientia habetur.

Vos estis sal terrae. Pluries Dominus de sale isto locutus est; nam apud Marcum legimus: *Omnis enim igne salietur et omnis victima sale salietur. Bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos;*[26] et apud Lucam: *Bonum est sal; si autem sal evanuerit, in quo condietur?*[27]

Christus sal appellat homines vere mortificatos.

Sed attendendum est quomodo, quando et quosnam Christus sal vocet. Apud Matthaeum quidem, postquam dixit: *Beati pauperes spiritu ... mites ... qui lugent ... qui esuriunt et sitiunt iustitiam ... misericordes ... mundo corde ... pacifici* et *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,*[28] ad discipulos suos dirigens sermonem, ut Lucas habet: *Beati pauperes* spiritu, *quia vestrum est regnum Dei;*[29] et idem Matthaeus: *Beati estis cum maledixerint vobis* homines, etc.,[30] tunc subiunxit: *Vos estis sal terrae,* vos, discipuli mei virtutibus istis praediti. Apud Marcum vero, cum docuisset summo studio fugienda esse omnia scandala, idest ruinarum peccatorumque occasiones, ita ut manum pedemque praecidendum eruendumque oculum doceat, si scandalizent nos, idest

19) Mt 5, 14. 20) Gal 4, 27. Vulg.: *Erumpe et clama*, etc. 21) Cf. Gn 11, 30. 22) Cf. ibid. 25, 21. 23) Cf. 1 Rg 1, 6. 24) Cf. 1 Cor 1, 20 25) Ibid. vr. 27. 26) 9, 48 sq. 27) 14, 34. 28) 5, 3-10. 29) 6, 20. 30) 5, 11.

ad fugienda peccata amputandum a nobis esse omne consortium' etiam carissimorum summeque utilium nobis hominum et quorumcunque carorum, tunc subiunxit: *Omnis enim igne salietur et omnis victima sale salietur. Bonum est sal,* alludens ad illud *Levitici : Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione... offeres sal.*[31] Quare cum ibi Dominus veram sensualium affectuum carnaliumque desideriorum, *quae militant adversus animam,*[32] mortificationem docuisset, ut Deo exhibeamus corpora nostra *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,*[33] subiunxit nos igne ac sale saliendos esse, sine quibus non poterat sacrificium Deo placere. Quare hos Christus sal vocat homines vere mortificatos carne, vivificatos autem spiritu,[34] sicut moritur quodammodo aqua cum fit sal. Et per ignem quidem Spiritum Sanctum intelligit, qui in igne discipulis apparuit,[35] per sal vero fidem et gratiam Spiritus Sancti.

fide et gratia Spiritus Sancti plenos,

Sed apud L u c a m, cum docuisset renuncianda et odio habenda esse omnia propter Christum baiulandamque esse crucem, subiunxit: *Bonum est sal.* Illos ergo qui cum Apostolis, relictis omnibus, Christum sequuntur, appellat *sal,* qui Spiritu Sancto et coelesti sapientia pleni sunt.

qui Christum sequuntur.

III. *Vos estis sal terrae.* O qualia quantaque docet Dominus hodie divini huius salis hieroglyphico! Sal primo, cum igneae sit naturae, terram sterilem facit; hoc autem sal carnem quidem facit sterilem vitiis atque concupiscentiis, spiritum autem virtutibus sanctisque actionibus fecundum. Hinc autem spiritualis vita incipienda est a carnis mortificatione, sicut a carnali concupiscentia coepit peccatum; hinc ait Christus: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.*[36] Sic enim in prima parte templi erat altare aeneum sacrificiorum et postea in interiori erat altare aureum incensi;[37] sic mortificanda primum caro est et crucifigenda cum omnibus vitiis et concupiscentiis, ut spiritus vivi-

Sicut a carnali concupiscentia coepit peccatum, sic a carnis mortificatione incipienda est vita spiritualis.

31) 2, 13. 32) 1 Petr 2, 11. 33) Rom 12, 1. 34) Cf. 1 Petr 3, 18.
35) Cf. Act 2, 2-4. 36) Mt 16, 24. Vulg.: *Si quis vult post me venire,* etc. Affert ex Breviario Rom., Comm. Unius Mart., antiph. *ad Magnificat* 2 Vesp. 37) Cf. Ex 40, 16-27.

ficetur. Ob id Christus hodie prius ait: *Vos estis sal terrae*, et postea: *Lux mundi. Sal terrae* quoad vitam activam, *lux mundi* quoad contemplativam. Sic per sterile desertum deveniendum est ad terram promissionis, ascendendum ab Iericho in Ierusalem, sicut descendens ille *ab Ierusalem in Iericho . . . incidit in latrones*, a quibus spoliatus plagisque affectus, semivivus relictus fuit.[38] Illa fuit via perditionis, haec via salutis; illa via vitii atque peccati, haec via virtutis et gratiae, a Iericho, ubi sale salubres factae sint aquae cogitationum et affectionum humanarum, in Ierusalem, ubi templum est Dei et civitas sancta.

Vos estis sal terrae. Sal praeservat carnes acrimonia sua a corruptione, adurit enim malos humores, qui in causa sunt corruptionis, stringitque et solidiores reddit carnes. Sal autem istud non solum praeservat a corruptione incorruptumque hominem conservat, sed etiam a corruptione vitiorum peccatorumque commissorum liberat, omni putore omnique corruptione expulsa. Mundus enim totus vitiis peccatisque et maxime idololatria, vitiorum omnium sentina, corruptissimus erat; hoc autem sale renovatus est et redditus incorruptioni. Sic accepta per sacrum usum clavium a legitimo sacerdote in Poenitentiae sacramento absolutione peccatorum, homo liberatur a corruptione gratiamque accipit, qua semper in posterum, si velit, liber sit ab omni corruptela peccati. O magnum huius salis miraculum! Per hoc enim exprimitur conversio totius mundi a corruptione peccati ad incorruptionem gratiae et virtutis.

Per sal igitur exprimitur conversio mundi a corruptione peccati ad incorruptionem gratiae et virtutis.

IV. *Vos estis sal terrae*. Sale condiuntur cibaria sapidaque fiunt, sine quo insipida sunt et nauseam vomitumque provocant. Sal autem istud non nobis tantum, verum etiam Deo condit cibaria. Nobis quidem, quoniam cibus noster, quem esurire et sitire debemus, iustitia est: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*,[39] idest perfectam divinae legis omniumque mandatorum ipsius observantiam: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me*.[40] Hic autem cibus mundo insipidus et iniucundissimus erat, hinc non Deum sed

Virtute huius salis coelestis quae prius mundo ingrata erant, suavia facta sunt.

38) Lc 10, 30. 39) Mt 5, 6. 40) Io 4, 34.

idola colebat, sicut carnalibus omnibus iniucundum est verbum Dei audire et coelesti doctrinae sacraeque lectioni operam dare; at conditus hoc sale hic cibus iucundissimus factus est omnibus. Erat iniucunda fides, iniucunda spes, iniucunda caritas, iniucunda omnis virtus; nunc autem iucunda sapidaque facta sunt omnia: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo,*[41] et *dulciora super mel et favum.*[42] Insipidum stultumque prius videbatur credere quod crucifixus sit Deus; nunc autem sapidum omnibus est, cognitis in cruce mysteriis bonitatis, caritatis, iustitiae et misericordiae. Insipida spes prius, sperare futura bona et propter ea praesentibus valedicere; nunc autem iucundum valde, ut innumeri viri Religionis professores testantur, qui non sicut iuvenis ille tristis audivit: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum* magnum *in coelo,*[43] sed [cum] Apostolis omnia prompto animo et libentissime relinquentes, ob spem futurorum bonorum Christum sequuntur. Insipida caritas, nam *animalis ... homo non percipit... quae sunt spiritus Dei;*[44] nunc autem propter divinae caritatis dulcedinem homines, propriis voluptatibus tanquam insipidissimis reiectis, vitam etiam, quae omnibus dulcissima est, nauseant: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum;*[45] *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*[46] Sic omnis virtus, ipsa etiam poenitentia et carnis mortificatio, sale hoc condita, facta est sapidissima gustui animi et cordis hominum vere fidelium, qui et re et nomine christiani sunt; non christiani aequivoci, sed univoci.

Sal significat etiam caritatem, quae opera nostra nosque ipsos Deo reddit acceptos;

Deinde sal istud facit opera nostra sapida grataque Deo, alioqui enim: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil sum.*[47] Sic sine isto sale nullum Deo oblatum sacrificium gratum est; istud enim vere sal est foederis Domini; foedus autem Domini caritas est. Imo nos ipsos facit sal istud sapidos Deoque caros; sic enim Noe *invenit gratiam coram oculis Domini*[48]

41) Ps 118, 103. 42) Ps 18, 11. 43) Mt 19, 21. 44) 1 Cor 2, 14. 45) Ps 76, 3-4. 46) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi*, etc. 47) 1 Cor 13, 3. Vulg.: *Nihil mihi prodest.* 48) Gn 6, 8. Vulg.: *Coram Domino.*

et Enoch placuit Deo.[49] *Sine fide autem impossibile est placere Deo.*[50] Hinc sal dicitur bonum; omne autem bonum, Deo simile cum sit ut lumen lumini, non potest non placere Deo: *Bonum est sal,* quod cibos bonos, suaves gratosque reddit; sic sal istud nos Deo, modo tamen saliti simus. Non saliuntur autem vivae carnes, viva animalia, sed mortuae; sic mortuos oportet nos esse peccato, ut sale hoc conditi Deo placeamus.

significat quoque verbum Dei.

Vos estis sal terrae. Ovibus sal plurimum placet, eas admodum delectat; sic divino hoc sale Christi oves mirifice delectantur. Hoc enim manna est quo pascuntur in deserto Hebraei;[51] non indiget alio condimento sal, sicut nec ignis alio calore, nec sol alia luce, nec nix alio candore, nec mel alia dulcedine. Sic tanquam simplex sal verbum Dei in Divinis Scripturis, absque alio condimento humanae vel sapientiae vel eloquentiae, propositum est, ut ab Apostolis et Prophetis simplicissime praedicatum est. Placuit tamen ovibus Christi, nam: *Qui ex Deo est, verba Dei audit... vos non auditis,*[52] *quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt.*[53] Et hoc quidem sale conditi sunt omnes Sanctorum Doctorum libri.

Vos estis sal terrae. Sal sitim excitat bibendique desiderium efficit; sic sal istud illam sitim excitat: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum;*[54] *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;*[55] *Qui... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet,* etc.[56]

Docet Dominus Doctoribus cavendum esse ne erroribus aut vitiis infatuentur.

Si sal evanuerit, in quo salietur? in quo condietur? Si obscuretur sol, qua luce illuminabitur? Si frigescat ignis, quo calore calefiet? Sic, inquit, si vos mutetis virtutes in vitia, doctrinam in errorem, gratiam Dei in luxuriam,[57] nulla erit vobis spes salutis. Ideo monet ne stulta mundi sapientia, erroribus vitiisque infatuentur, vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitae,[58] sed usque in finem perseverent, nam: *Qui... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*[59] Quamvis enim natura salis immutabilis sit semperque eadem et corrumpi non possit, si-

49) Cf. Ibid. 5, 22-24. 50) Hebr 11, 6. 51) Cf. Ex 16, 13 sqq. 52) Io 8, 47. 53) Ibid. 10, 26-27. 54) Ps 41, 2-3. 55) Io 7, 37. 56) Ibid. 4, 13-14. 57) Cf. Iud vr. 4. 58) Cf. 1 Io 2, 16. 59) Mt 10, 22.

cut corrumpitur vinum in acetum carnesque et alia quaevis marcescentia putrida fiunt, putre autem sal nunquam visum est et corruptum, sicut ea quibus inspergitur ut ea a corruptione praeservet, homo tamen, quandiu in hoc mundo est, semper mutari potest ad malumque converti, sicut Lucifer,[60] Adam,[61], Saul,[62] Salomon,[63] Iudas;[64] hinc cavendum Doctoribus docet ne erroribus aut vitiis infatuentur stultique fiant sicut Salomon.[65]

Sancti Doctores respectu caritatis dicuntur *sal*, respectu scientiae divinae *lux*,

V. *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio,* etc.[66] Comparat Christus Sanctos Ecclesiae Doctores sali terrae, luci mundi, idest soli coeli, civitati supra montem et lucernae accensae super candelabrum. Nec immerito quidem, sed summa cum ratione. Sed quia in homine quidem reperitur voluntas, quae vitiorum ac virtutum sedes est, et intellectus, scientiae et ignorantiae locus, voluntas autem per gustum appetitumque designatur, nam voluntas appetitus est rationalis, intellectus vero per visum, nam intellectus est oculus animae, quo videt intellectilia quaeque, et sal quidem saporque obiectum est appetitus, sol vero et lux obiectum visus; sic virtus voluntati appetibilis, scientia autem intellectui. Apostoli igitur et Doctores respectu caritatis, amoris Dei virtutumque sanctarum dicuntur *sal*, respectu vero fidei, cognitionis Dei et supernaturalium scientiarum dicuntur *lux*; sal respectu voluntatis, a qua expellendo vitiorum corruptione, tribuunt incorruptionem virtutum, et lux respectu intellectus, a quo eliminando tenebras infidelitatis et ignorantiae, largiuntur lumen fidei, cognitionis divinae, scientiae salutaris et divinae sapientiae: *Vos estis sal terrae... vos estis lux mundi.*

sal enim significat quae spectant ad voluntatem,

Nec immerito Christus prius dicit *sal terrae*, quod spectat ad voluntatem, quam *lux mundi*, quod spectat ad intellectum; etsi praecedat intellectus voluntatem et cognitio amorem, sicut lux calorem, aurora solem, mane diluculo diem, cum sit voluntas caeca,

60) Cf. Is 14, 12-14. 61) Cf. Gn 3, 1-6. 62) Cf. 1 Rg 13, 9-13; 15, 2-9. 63) Cf. 3 Rg 11, 4-8. 64) Cf. Io 12, 6. 65) Sequitur folium, in quo agitur de Indulgentiis, quod ad diem SS. App. Petri et Pauli pertinet, sed errore collectoris hic insertum fuit. 66) Mt 5, 14-15.

nec nisi in praecognitum feratur semperque ducatu intellectus eget; verum quia fides a voluntatis assensu magis quam ab intellectu dependet: Nisi credideritis non intelligetis,[67] et per voluntatem, quae regina est in regno animae, captivandus est intellectus in obsequium Christi; et quia divinarum rerum cognitio, quae *sapientia* dicitur,[68] a gustu et experientia incipit divinae dulcedinis, unde: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus,*[69] *Beati omnes qui sperant in eo,*[70] et Ionathae aperti sunt oculi postquam gustavit paululum mellis,[71] et in arca Dei prius positum est vas mannae[72] quam tabulae legis;[73] hinc Dominus a voluntate incipit: *Vos estis sal terrae,* et a voluntate ad intellectum devenit: *Vos estis lux mundi,* lux pellens tenebras infidelitatis et ignorantiae Dei et inferens lumen fidei cognitionis Dei et calorem divini amoris; lucem enim calor concomitatur, sic boni cognitionem amor ac desiderium illius. Amans, visa dilecta, ardet fruendi desiderio; esuriens, viso cibo, sitiens, viso fonte, auri cupidus, viso thesauro, ad haec inardescunt. Sic ad fidem vivam sequitur caritas, ad virtutis cognitionem illius consequendae desiderium, cum pulcritudo sit animi, et ad cognitionem Dei vivus amor.

lux quae ad intellectum.

VI. *Vos estis lux mundi.* Ostendit Dominus quod ante praedicationem Apostolorum mundus, idest gentium omnium universitas, erat sicut in principio, cum terra esset inanis et vacua et tenebrae essent super faciem abyssi,[74] et sicut terra Aegypti in triduo palpabilium tenebrarum.[75] *Vos estis lux mundi,* lux utique a Deo facta, cum dixerit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux.*[76] Sed tamen lux illa non omnes expulit tenebras, quia *divisit* Deus *lucem a tenebris et vocavit lucem diem et tenebras* appellavit *noctem.*[77] Sic non ait: totius mundi, quia multi populi sedent *in tenebris et... umbra mortis,*[78] absque vero lumine fidei; sed sicut in Aegypto cunctis Israelitis clara lux solis splendebat, Aegyptiis autem in tenebris erant, ita nunc fidelibus Christi clara lux splendet sapientiae coelestis, infide-

Mundus sine Evangelii praedicatione in tenebris iacet.

67) Cf. Io 3, 12. 68) Dt 4, 6; Prv 1, 2. 69) Ps 33, 9. 70) Ps 2, 13. Vulg.: *Qui confidunt in eo.* 71) Cf. 1 Rg 14, 27. 72) Cf. Ex 16, 33-34. 73) Cf. Ibid. 25, 16. 21. 74) Cf. Gn 1, 2. 75) Cf. Ex 10, 21-23. 76) Gn 1, 3. 77) Ibid. vv. 4-5. Vulg.: *Appellavitque lucem,* etc. 78) Lc 1, 79.

les autem tenebris opertum habent intellectum,[79] exceacati a principe tenebrarum et deo huius saeculi nequam. Sic divisae sunt aquae supercoelestes a subcoelestibus et terrenis.[80]

Fides omne bonum operatur.

Vos estis lux mundi. A luce manat omnis mundi pulcritudo quae nos gaudio replet; imo quicquid boni in mundo hoc sensibili reperitur, a luce, a sole manat, qui auctor est generationis omnium rerum, sicut etiam in mundi primordio primam lucem consecuta fuit omnium generabilium procreatio, omnia genera plantarum et animalium gressilium, natatilium et volatilium. Sic fides est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium;*[81] sic fides per dilectionem omne bonum operatur,[82] quod spectet ad salutem consequendam.

Munus apostolicum est onus et honos.

Et quidem esse sal terrae et lucem mundi ad apostolicum munus spectat quatenus onus est. In episcopatu autem duo sunt: non tantum onus, verum etiam honos; non enim dat Deus onera sine honore, sicut nec honorem sine onere, in hoc mundo; nam et Adam, qui creatus fuit ut praeesset *piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,*[83] *posuit* Deus *in paradiso ... ut operaretur et custodiret illum.*[84] Apostolis praedicatio onus fuit, sed non sine honore, nam constituit eos Christus pastores et doctores; hinc Christus sicut ratione oneris comparavit eos sali et luci, ita ratione honoris comparat eos civitati positae super montem, quae omnibus conspicua sit, et lucernae accensae ac super candelabrum positae. Christus quidem mons magnus est, cui dicitur: *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel?*[85] *Mons domus Domini praeparatus in vertice montium.*[86] Sed Christus fundamentum Ecclesiae est: *Fundamentum ... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*[87] Hic autem mons supremam dignitatem significat summumque honorem et gloriam, qualis est apostolatus: *Sedebitis ... super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.*[88] Sic Ezechiel in spiritu vidit gloriosissimam civitatem fundatam supra montem,[89] sic David civitatem suam supra montem Sion aedificavit:[90] *Urbs*

79) Cf. Eph 4, 18. 80) Cf. Gn 1, 6-8. 81) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum,* etc. 82) Cf. Gal 5, 6. 83) Gn 1, 26. 84) Ibid. 2, 15. 85) Zach 4, 7. 86) Is 2, 2. Vulg.: *Praeparatus mons,* etc. 87) 1 Cor 3, 11. 88) Mt 19, 28. 89) Cf. Ez 40, 1 sqq. 90) Cf. 2 Rg 5, 7; 1 Par 11, 5-7.

fortitudinis nostrae Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale ; [91] civitas de qua dicta sunt gloriosa, cuius fundamenta in montibus sanctis. [92]

Ideo Apostoli comparantur lucernae, quia lucere debent doctrina et omnium virtutum splendore.

Non potest civitas abscondi supra montem posita, quae [93] sit longe lateque conspicua. Sic Apostoli facti sunt mundo universo honore ac gloria summa conspicui. Verum ne putarent in tanta se dignitate positos tantum ut praesint, non autem ut prosint, subiungit: *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* [94] Per candelabrum Ecclesia designatur, unde I o a n n e s in *Apocalypsi* per septem candelabra septem Ecclesias interpretatur; [95] sic Ecclesia figurata fuit in aureo candelabro tabernaculi divini [96] et in aureo candelabro illo, quod in spiritu Zacharias propheta vidit. [97] Lucerna igitur Apostolorum in die Pentecostes coelesti igne accensa, [98] posita est non in abscondito neque humili loco aut cuivis creaturae subiecta, sed *super candelabrum* Ecclesiae, facti sunt capita et principes Ecclesiae, Archiepiscopi et Patriarchae.

Nec tamen, inquam, tantum ut praesint, sed ut prosint: *Ut luceat,* inquit, *omnibus qui in domo sunt,* idest universae credentium multitudini; nec ut luceat tantum doctrina, verum etiam operatione et omnium virtutum splendore. *Luceat,* inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* [99] Sunt ergo dati in magisterium et in exemplum omnium virtutum, siquidem homines exemplis magis moventur quam verbis ad sectandam virtutem.

Magna est in coelo Sanctorum Doctorum gloria.

VII. Magna in coelo Doctorum est gloria, siquidem ait Angelus Danieli: *Qui . . . docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellae in perpetuas aeternitates.* [100] Non tamen omnibus Doctoribus haec competunt praemia, sed bonis, quibus Deus in ore est ac veluti Moysen docet eos quid loquantur; [101] qui cum Isaia purgata habent labia; [102] quibus Dominus sicut Ieremiae dedit verba in ore ipsorum; [103] qui cum Apostolis

91) Is 26, 1. 92) Cf. Ps 86, 1-3. 93) Ms.: *Quis.* 94) Mt 5, 15.
95) Cf. 1, 12-20. 96) Cf. Ex 25, 31. 97) Cf. Zach 4, 2. 98) Cf. Act 2, 1-4.
99) Mt 5, 16. 100) Dn 12, 3. Vulg.: *Qui docti fuerint... quasi splendor... quasi stellae,* etc. 101) Cf. Ex 4, 12-15. 102) Cf. Is 6, 6-7. 103) Cf. Ier 1, 8-9.

Sanctum Spiritum in igneis linguis receperunt, ut essent verbis proflui et caritate fervidi;[104] qui sunt sal et lux.

Talis esse debet verus praedicator: sal et lux.

Ostendit enim hic Dominus quales oporteat esse praedicatores:[105] sal et lux, ut tanquam sal purgent corda a vitiorum corruptione et tanquam lux illuminent intellectum et calefaciant hominum affectus in Deum. Et prius sal quam lux, prius enim vitia sunt extirpanda quam plantandae virtutes; sic enim Dominus mittens Ieremiam ad praedicandum dixit: *Ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.*[106] Prius destruendum est, postea aedificandum; prius evellendum, postea plantandum; prius sit sal, ut ait Apostolus: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*[107] Non mel voluit Dominus in sacrificiis, sed sal;[108] non adulationes requirit, sed correptiones; non magistris illis,[109] de quibus ait: *Cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur,*[110] sed Doctoribus Sanctis datur corona iustitiae: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae,*[111] quoniam *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*[112]

ut prius vitia extirpet et postea virtutes plantet.

104) Cf. Breviarium Rom., in die Pentecostes, hymn. *ad Laudes.* 105) Ms.: *Praedicationes.* 106) Ier 1, 10. 107) 2 Tim 4, 2. 108) Cf. Lv 2, 11-13. 109) Ms.: *Magistro illos.* 110) 2 Tim 4, 3-4. 111) Ibid. vr. 8. 112) Ibid. vr. 7.

COMMUNE CONFESSORUM NON PONTIFICUM

Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes... et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando, etc.[1]

I. Duae parabolae proponuntur nobis in sacrosancto hodierno Evangelio, in quarum priori praecipit Dominus ut vitam nostram sic instruamus, ut nos improvisa mors optime paratos inveniat, in altera vero ostendit quidnam voluisset homo in morte fecisse in vita ad evitandam bonorum omnium amissionem extremamque ruinam et aeternam perditionem.

Duae parabolae proponuntur.

Quoad primam ait: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes.* Quod autem ait: *Sint lumbi vestri praecincti,* phrasis est Divinae Scripturae idem significans ac estote parati, ut prompte et expedite, absque ullo impedimento aliquid agatis. Sic in libro *Iob,* capite 38 legimus: *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te et responde mihi;*[2] et capite 40 similiter legitur: *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te et indica mihi;*[3] sic etiam legimus *4 Regum* 4 dixisse Eliseum puero suo Giezi: *Accinge lumbos tuos et tolle baculum meum ... et vade;*[4] capite etiam 9 eiusdem libri idem Eliseus dixit uni de filiis prophetarum: *Accinge lumbos tuos et tolle lenticulam olei hanc in manu tua et vade.*[5] Sic *3 Regum* 18 legimus quod Elias *accinctis lumbis currebat ante Achab* regem;[6] sic Deus Ieremiae dixit: *Accinge lumbos tuos et surge et loquere ad eos omnia quae praecipio tibi;*[7] et Tobias iunior invenisse legitur *iuvenem praecinctum*

Prima vult Dominus nos morti semper paratos esse.

1) Pericope huius festi Lc 12, 35-40. Cf. Missale Rom. 2) Vr. 3. 3) Vr. 2.
4) Vr. 29. 5) Vr. 1. 6) Vr. 46. Vulg.: *Accinctisque,* etc. 7) Ier 1, 17.

... *quasi paratum ad ambulandum.* [8] Idem igitur est: *Sint lumbi vestri praecincti* ac estote parati, ut prompti et expediti aliquid faciatis. Sumpta autem metaphora est ab homine, qui cum mane surgit a lecto, vestibus omnibus indutus, tandem praecingit se ac tum paratus est ut domo egrediatur. Sic vult Dominus nos morti semper paratos esse paratosque mortem improviso advenientem expectare, non secus ac servi qui dominum suum expectant ut a nuptiali convivio revertatur: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis,* [9] etiam si in secunda vel tertia vigilia venerit, [10] idest post mediam noctem. Tales enim servi, etiam si tarda sit hora et multum praeterierit solita hora cubandi et dormitum eundi, non se vestibus exuunt et ad lectum vadunt, ut moris est, ut in utranque aurem dormiant, [11] sed vestiti vigilesque expectant, accensas lucernas tenentes, ut venienti domino et pulsanti ostium confestim aperiant.

Ad consequendam salutem aeternam iustitia opus est,

II. Quid autem per hanc parabolam intelligendum nobis sit, aperiendum nunc est. Procul dubio Dominus metaphorica hac locutione ea docet quae necessaria nobis sunt ad aeternam consequendam salutem. Ait autem: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata*; [12] ad servandum autem mandata virtute et iustitia opus est; iustitiae autem, quae legalis est virtus totam legem complectens, duae sunt partes: *Declina a malo et fac bonum;* [13] *declina a malo* quoad observantiam praeceptorum quae mala prohibent, *et fac bonum* quoad observantiam praeceptorum quae bona opera inducunt, hae nanque duae partes sunt veluti duae tabulae legis. [14]

et primum carnem a vitiis cohibere

Quoad primam autem partem ait Dominus: *Sint lumbi vestri praecincti,* hoc est carnem a vitiis cohibere, ne secundum carnem vivatis, nam *si... secundum carnem vixeritis, moriemini.* [15] « Lumbos praecingimus, inquit G r e g o r i u s, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus ». [16] D i v u s P a u l u s *Ephesiis 6* declarat quid sit lumbos praecingere, dum ait: *State ergo succincti*

8) Tob 5, 5. 9) Lc 12, 36. 10) Cf. ibid. vr. 38. 11) Modus proverbialis ex Terentio *Heaut.*, actus 2, sc. 3, vr. 100. 12) Mt 19, 17. 13) Ps 33, 15. Vulg.: *Diverte a malo*, etc. 14) Cf. Ex 31, 18. 15) Rom 8, 13. 16) *In Evangelia*, lib. 1, hom. 13, (P. L. 76, 1123).

lumbos vestros in veritate et induti loricam iustitiae et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei. [17] Huius autem dicti rationem reddens, prius ait: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, idest adversus homines, *sed adversus principes et potestates*, etc. [18] Tentant daemones ut nos ad vitia blanda carnis et mundi perducant, sicut tentavit satanas Christum in deserto. [19] Armatos igitur oportet nos esse et contra diabolum fortiter pugnare. Sic etiam Divus Petrus ait: *Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, salutem:* [20] lumborum praecinctionem sobrietatem interpretatur. Alibi vero ait: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret,* [21] *cui resistite fortes in fide.* [22]

deinde operibus bonis insudare.

Sic igitur ante omnia satagendum est, ut carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus, [23] postea vero ut bonis operibus abundemus, hoc est enim et *lucernae ardentes.* Nam per lucernas ardentes bona opera designantur: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* [24] Sic iussit Dominus ut in divino tabernaculo septem lucernae iugiter arderent; [25] sed antequam perveniretur ad lucernas ardentes, inveniebatur in anteriori parte templi altare sacrificiorum, quod carnis mortificationem designabat; post lucernas vero ardentes reperiebatur sanctum sanctorum, quod erat paradisi symbolum et aeternam beatitudinem hieroglyphice significabat. [26]

Convivium designat aeternam beatitudinem.

Sic in hodierno Evangelio, post lumborum praecinctionem et lucernas ardentes, paratur convivium: *Beati* sunt *servi illi ... Amen dico vobis quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.* [27] Convivium autem hoc aeternam beatitudinem, quae

17) Vrr. 14-17. Vulg.: *In praeparatione Evangelii*, etc. 18) Ibid. vrr. 11-12. Vulg.: *Quoniam non est nobis colluctatio*, etc. 19) Cf. Mt 4, 1-11; Mc 1, 13; Lc 4, 1-12. 20) 1 Petr 1, 13. Vulg.: *Quae offertur vobis, gratiam.* Ms.: *Salus.* 21) Ms.: *Devorat.* 22) 1 Petr 5, 8-9. 23) Cf. Gal 5, 24. 24) Mt 5, 16. 25) Cf. Ex 27, 20; 40, 4; Lv 24, 1-4. 26) Cf. Ex 40, 5 sqq. 27) Lc 12, 37.

iustis omnibus a Deo ante mundi constitutionem parata est,[28] sine dubio designat. Quare in hodierno Evangelio parat nobis Salvator igneum currum Eliae,[29] quo sanctus iste, cuius hodie natalitia celebramus, raptus in coelum est, et scalam Iacob, per quam in coelum Angeli ascendebant.[30]

ad quam quattuor gradibus ascenditur.

Constat autem scala ista quattuor gradibus: primus est: *Sint lumbi vestri praecincti;* secundus est: *Lucernae ardentes;* tertius: *Expectantibus dominum suum*, et quartus: *Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.*

Primus gradus fides est, fortitudo et iustitia,

III. Primus igitur gradus est: *Sint lumbi vestri praecincti.* Sed qua zona? quo cingulo? Triplicem in Divinis Scripturis reperimus zonam. Prima est linea, qua ex legis praescripto praecingebantur sacerdotes accedentes ad ministrandum Domino, amicti byssinis vestibus;[31] altera est pellicea, qua Eliam[32] et Ioannem Baptistam[33] praecinctos legimus; tertia est aurea, qua similis filio hominis praecinctus Ioanni in *Apocalypsi* apparuit,[34] et qua idem Ioannes praecinctos septem Angelos vidisse testatur, capite 15.[35] Apertis autem verbis quidnam tres hae zonae significent alibi legimus: *Erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius*, sic ait Isaias de Christo;[36] Salomon vero de forti muliere ait: *Accinxit fortitudine lumbos suos, roboravit brachium suum.*[37] Habemus igitur cingulum fidei, cingulum fortitudinis et cingulum iustitiae. Cingulum fidei est zona linea ex candidissimo bysso, cingulum fortitudinis est zona pellicea Eliae et Ioannis et cingulum iustitiae est zona aurea Angelorum.

fortiter pugnando contra tentamenta diaboli,

Primo cingulo oportet nos esse praecinctos contra tentamenta diaboli, qui de fide vel maxime tentat; hinc ait: *Cui resistite fortes in fide*, et Paulus: *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, hoc enim praecipuum opus diaboli est, viris iustis immittere tentationes et dubitationes de fide. Zona vero pellicea contra tentationes carnis, quae nonnisi delicias et voluptates quaerit, sic enim: *Caro ... concupiscit adversus spiritum;*[38]

28) Cf. Mt 25, 34. 29) Cf. 4 Rg 2, 11. 30) Cf. Gn 28, 12. 31) Cf. Ex 28, 40 sqq. 32) Cf. 4 Rg 1, 8. 33) Cf. Mt 3, 4; Mc 1, 6. 34) Cf. 1, 13. 35) Cf. vr. 6. 36) 11, 5. 37) Prv 31, 17. 38) Gal 5, 17.

ad vincendas autem et superandas carnis tentationes per omnia, non solum quoad venereas voluptates, sed etiam quoad alias quasvis corporis delicias, maxima opus est animi fortitudine. Tandem contra tentationes mundi, qui praecipue de avaritia tentat et concupiscentia oculorum, oportet nos praecinctos esse aurea zona iustitiae, ut nihil existimemus pretiosius esse in mundo ipsa iustitia; quare satagendum quam maxime est ut nil contra iustitiam faciamus, avaritia victi vel cupiditate temporalium bonorum alucinati.

carnis et mundi.

Necessarium est autem has omnes tentationes superare, ut divino digni simus conspectu. Hinc enim Elias, quamvis in monte sancto Dei esset et in spelunca sacra, Deum tamen videre non potuit, nisi postquam pertransiit ventus vehemens et validissimus, qui montes subvertebat, et post ventum facta fuit magna commotio, magnus terraemotus, post commotionem vero ardentissimus ignis; ait autem: *Non in spiritu Dominus... non in commotione Dominus... non in igne Dominus.* [39] Tentatio superbiae, quae tandem hominem ad infidelitatem perducit ut diabolo magis credat quam Deo, sicut in nostris parentibus vidimus, [40] ventus est subvertens montes, nam veluti montes erant parentes progenitoresque nostri in paradiso. Commotio et terraemotus est tentatio avaritiae, quae mille excitat commotiones in mundo, mille perturbationes, mille lites et dissensiones. Tandem ignis ardens tentatio est carnalis concupiscentiae, quae babylonica fornax est ardentissima. [41] Sed nonnisi post haec omnia in sibilo aurae tenuis Elias Deum videre potuit. Sic nos, quamvis in Ecclesia Sancta Dei simus, digni tamen divina gloria esse non possumus, nisi omnium vitiorum tentamenta viriliter superemus, *non* enim *coronabitur, nisi* qui *legitime certaverit.* [42] Sic igitur oportet nos praecinctos esse.

His vitiis superatis digni erimus divina gloria.

IV. Verum « non sufficit mala non agere, nisi etiam quisque studeat bonis operibus pro sua virili insudare ». [43] Hic secundus est gradus: *Lucernae ardentes.* Lucerna, inquit Sapiens in *Proverbiis,* mandatum est; [44] lucernas autem ardentes non habet qui man-

Secundus gradus est fidelis observantia omnium mandatorum.

39) 3 Rg 19, 11-12 40) Cf. Gn 3, 1-6. 41) Cf. Dn 3, 19. 42) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronabitur. Coronatur* lect. cod. 43) S. Gregorius M. *In Evangelia,* lib. 1, hom. 13, (P. L. 76, 1123). 44) Cf. 6. 23.

data Dei opere non adimplet. Inquit autem: *Lucernae ardentes*, non lucerna ardens, quoniam praecepta plura sunt et servanda sunt omnia, nam si quis *totam legem observet, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* [45] Sic necesse erat ut in templo Dei omnes lucernae essent accensae; Salomon decem candelabra posuit in templo et super ea decem aureas lucernas perpetuo ardentes constituit. [46]

In praesenti saeculo valde tenuis est cognitio Dei;

Comparat Dominus tempus praesentis saeculi nocti respectu saeculi futuri, quoniam sicut in nocte ob solis absentiam regnant tenebrae et frigus, oculi in tenebris constituti tanquam caeci nihil vident, nisi lucernae sint accensae, ita in praesenti saeculo nulla propemodum est cognitio Dei, nulla fere caritas respectu saeculi futuri, quamvis si status Ecclesiae sub Novo Testamento consideretur, respectu synagogae, sub Veteri Testamento, diurno tempori comparetur, ut Paulus ait: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit,* [47] ob eandem utique rationem.

bona autem opera lumen dant divinae cognitionis.

Si igitur videre aliquid volumus in praesentis saeculi tenebris constituti, necesse est ut accensas ardentesque lucernas habeamus, alioquin veluti caeci erimus; hinc Petrus ait: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Haec enim si vobiscum adsint... non vacuos nec sine fructu constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui autem non praesto sunt haec, caecus est et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* [48] Qui, inquit, virtutibus hisce et bonis operibus destitutus est, hic profecto in palpabilibus Aegypti tenebris constitutus, [49] veluti caecus est. Ostendit autem Dominus elegantissima hac metaphora quod bona opera sunt quae nobis lumen dant divinae cognitionis, sicut lucernae oculos illuminant noctisque tenebras fugant, hinc ait: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* [50] Sic Ionathas Saulis filius dixit: Postquam gustavi paululum de melle

45) Iac 2, 10. Vulg.: *Legem servaverit*, etc. 46) Cf. 3 Rg 7, 49; 2 Par 4, 20.
47) Rom 13, 12. 48) 2 Petr 1, 5-9. 49) Cf. Ex 10, 22-23. 50) Ps 33, 9.

isto, *aperti sunt oculi mei,* [51] et caecus ille natus pergendo ad Siloe et lavando lutum ab oculis, mirabiliter illuminatus a Christo fuit; [52] Rahab meretrix suscipiendo exploratores Dei fidem et cognitionem recepit. [53] Dominus autem Moysi prius iussit ut fieret mensa panum propositionis, quam candelabrum lucernarum, [54] et prius praecepit ut apponerentur panes propositionis super mensam quam lucernae super candelabrum, [55] in signum quod ex meritis bonorum operum illuminatur homo, sicut de Cornelio Centurione in *Actis Apostolorum* legimus. [56]

Tertius gradus est perseverantia in divino servitio.

V. Tertius gradus est expectare Domini adventum: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis.* Non sufficit bene agere, sed perseverare opus est, nam *qui... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* [57] Longa perseverantia opus est in divino servitio, quam Dominus ostendit dicens: *Et si in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit et ita invenerit, beati sunt servi illi.* [57a] Longa profecto expectatio est per totam fere noctem, usque ad sextam et nonam horam noctis, dominum expectare ut revertatur a nuptiis; sed, inquit, si usque ad eam horam vigilantes perseveraverint, *beati sunt servi illi.* Noe, mirabile dictu! nongentis quinquaginta annis in perpetua vixit iustitia et sanctitate, homo cum esset similis nobis; [58] sic multi alii patres Veteris Testamenti per multas annorum centurias Domino servierunt. Mirabilis profecto perseverantia, longa plane et diuturna expectatio.

Quartus gradus vigilantia, idest prudentia

VI. Quartus tandem gradus est vigilantia: *Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* Vigilia autem haec christianam non tantum vitam, sed etiam prudentiam designat, quae non solum malis vel falsis fictisque bonis vera et constantia bona praefert, sed bonis meliora et melioribus optima, sicut vir prudens praefert argentum aeri et aurum argento. Quod si quis in prima

51) 1 Rg 14, 29. Vulg.: *Illuminati sunt,* etc. 52) Cf. Io 9, 1-7. 53) Cf. Ios 2, 8-21. 54) Cf. Ex 25, 23-39. 55) Cf. ibid. 26, 35; 27, 20 sq. 56) Cf. 10, 1-6. 57) Mt 10, 22. 57a) Lc 12, 38. Vulg.: *Et si venerit in secunda vigilia,* etc. 58) Cf. Gn 9, 29.

noctis vigilia dormitavit, in iuventute secundum carnem vivendo, vel etiam in secunda vigilia, iam virili aetate, saltem vigilet in tertia, in senectute, bonis operibus insudando, ut, veniente Domino, vigilans inveniatur pulsantique confestim aperire ostium possit, nam etiam nona et undecima hora vocati diurnum denarium acceperunt, etsi modicum laborarunt.[59]

et oratio.

Vigiliae autem saepe oratio additur in Divinis Scripturis; ait enim Dominus: *Vigilate et orate*;[60] et alibi: *Vigilate igitur omni tempore orantes.*[61] Sic P a u l u s *ad Ephesios: Per omnem orationem et obsecrationem omni tempore in spiritu orantes et in ipso vigilantes in omni instantia;*[62] *ad Colossenses* etiam ait: *Orationi instantes, vigilantes in ea;*[63] P e t r u s item: *Vigilate,* inquit, *in orationibus.*[64] Hoc est quod a nobis Dominus maxime requirit, ut cum bonis operibus sanctas orationes iungamus et pro viribus semper oremus, nam ait: *Oportet semper orare et nunquam deficere*[65] ab oratione, ut digni habeamur fugere a ventura ira[66] et ne in adventu Domini dormientes inveniamur, nam: *Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes,* quoniam, inquit, *praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.*

Declaratur hac parabola maxima patriae felicitas ad alliciendos animos ad virtutem.

Declarat hac parabola Dominus felicitatem patriae. Ex communi autem animi conceptione in duobus videtur consistere, quam omnes appetunt, felicitas, nempe in voluptatibus et honoribus sive dignitatibus, nam divitiae nonnisi ad voluptates et dignitates vel comparandas vel conservandas requiruntur. Utrunque autem Dominus graphice describit: voluptates quidem, dum ait quod *faciet illos discumbere,* parabit illis regale convivium deliciis omnibus instructum, ut regia maiestate dignum est, quale fuit Assueri convivium;[67] honores vero, dum ait quod *transiens ministrabit illis.* Quem maiorem honorem expectare vel desiderare potest servus a domino suo? a rege suo? Ut rex summus servo ministret in mensa, summus est honor, quo maior excogitari non potest, imo qui vix credi potest, cum insolentissimus honor iste sit. Vult itaque signi-

59) Cf. Mt 20, 9-10. 60) Ibid. 26, 41; Mc 14, 38. 61) Lc 21, 36. Vulg.: *Vigilate itaque*, etc. 62) 6, 18. Vulg.: *Orantes omni tempore*, etc. 63) 4, 2. Vulg.: *Orationi instate.* 64) 1 Petr 4, 7. 65) Lc 18, 1. Vulg.: *Et non deficere.* 66) Cf. Mt 3, 7; Lc 3, 7. 67) Cf. Est 1, 3-8.

ficare Dominus quod electis suis Deus ad eos beatificandos dabit maiora quae vel excogitari possunt bona, ita ut etiam totum seipsum det eis. Sic igitur Christus spe et promissione talis tantique praemii priori hac parabola allicit hominum animos ad virtutes comparandas.

Secunda parabola ostendit Dominus quid faciendum nobis sit ut in morte aeternam perditionem vitemus.

VII. Altera vero parabola timore damni emergentis nos ad hoc ipsum movet dum ait: Amen dico vobis, *si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam,* graece est: *Si scisset paterfamilias qua hora fur venisset, vigilasset utique,* etc.[68] Quare hominem hic ostendit nobis Dominus qui a furibus sit bonis omnibus expoliatus dum ipse dormiret. Num, inquit, si paterfamilias tale tantumque malum praescivisset, imprudenter se somno in utranque aurem dedidisset? Hominem proponit absque bonis operibus virtutibusque destitutum, defunctum morteque bonis omnibus privatum, qualis fuit dives ille epulo, qui absque bonis operibus mortuus, sepultus fuit in inferno. Nunc, ait, cogitate talem hominem, si tale tantumque malum praenovisset, quidnam fecisset? Mementote quidnam Abrahamo dixerit a loco tormentorum; rogavit enim ut mitteret Lazarum ad fratres suos ad annunciandum eis ut poenitentiam agerent, ne et ipsi irent in locum tormentorum.[69] Ergo si praescivisset ipse ac praevidisset damnationem suam, utique poenitentiam egisset. Hoc est quod ait: *Vigilasset utique et non sinisset perfodi domum suam,* excussisset somnum ab oculis. *Vigilate, iusti,*[69a] ut non peccetis; *Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus.*[70] Somnus est mortis imago,[71] dormiens enim tanquam mortuus caret sensuum usu, nil videt aut audit, olfacit, gustat aut sentit, nil boni aut mali agit.

In hac vita vigilare oportet et bonis operibus incumbere.

Existimant autem multi se salvandos esse, quoniam nil mali agunt, etiam si bonis operibus minime incumbunt. Dicunt cum simplicibus Apostolis de Lazaro iam mortuo: *Si dormit, salvus est.*[72] Sed ibi Christus mortem appellavit somnum,[73] quoniam qui dor-

68) Lc 12, 39. 69) Cf. ibid. 16, 22 sqq. 69a) 1 Cor 15, 34. Vulg.: *Evigilate,* etc. 70) Eph 5, 14. 71) Cf. Ovid. *Amorum,* lib. 2, eleg. 9, vr. 41. 72) Io 11, 12. Vulg.: *Salvus erit.* 73) Cf. ibid. vrr. 11-13.

mit, qui nil boni agit apud Deum, mortuus est. Vigilantia, usu sensuum spiritualium opus est ad salutem: *Beati servi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* Si dormierit paterfamilias, veniet fur et suffodiet domum ipsius bonaque omnia auferet ipsumque ad extremam paupertatem perducet.

Mors furi comparatur, quia omnia terrena bona homini aufert

Furem autem Dominus hoc loco non diabolum, sed seipsum dicit, nam ait Apostolus: *Adveniet . . . dies Domini tanquam fur;*[74] mortem autem dicit furationem, direptionem et expoliationem omnium bonorum. Furi hoc loco Deus comparatur, sicut alibi potenti crapulato a vino.[75] Fur dicitur, quoniam existimat mundus se dominum esse bonorum quae possidet et saepe mortem iniquam appellat. Audita fama mortis magni alicuius hominis et multi valoris, qui reipublicae necessarius admodum putabatur, dici solet: O peccatum! Fuisset opus ut talis ac tantus homo multis saeculis vixisset! Sic utique mors saepe reputatur iniqua, iniquus quodammodo Deus qui infert mortem et bona omnia aufert; propterea Dominus furi comparatur.

et ad extremam paupertatem illum reducit;

Sed nil curat Christus mundi honorem nec male apud homines audire. Existimat, inquit, mundus me furem iniquum, quia mortem infero hominibusque omnia bona in morte diripio; sed nil refert. Vult ut sim fur, fur esse volo, *tanquam fur*[76] veniam et dormitantis hominis omnia bona diripiam. *Vos* igitur *estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet* et somnolentum hominem ad extremam paupertatem deducet. Mementote, quaeso, ad quam paupertatem epulo ille, qui in mundo ditissimus fuerat, devenit: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam:*[77] O paupertas infinita et sempiterna, nec minimam aquae guttulam habere posse! O quale furtum est mors!

sola autem gratia Dei eum vere divitem facit.

Date mihi hominem bonis omnibus, quae desiderari possunt, abundantem et sola Dei gratia destitutum, sit dives et locuples pro libito, praeditus etiam omnibus scientiis et artibus, omnibus disciplinis et moralibus virtutibus, sit princeps infiniti valoris omnibus numeris absolutus, sit omni dignitate imperiali simul et pontificali

74) 2 Petr 3, 10. Vulg.: *Ut fur.* 75) Cf. Ps 77, 65. 76) Apc 3, 3; 16, 15.
77) Lc 16, 24.

donatus, eo autem vita functo, dicite: Quo abierunt omnia bona ista? Dum viveret corpus ipsius, quod est veluti animae domus, bonis omnibus abundabat, domus erat ditissima velut infinitus thesaurus; statim autem ut extremum spiritum emittit, domus haec locupletissima, bonis omnibus expoliata direptaque taliter cernitur, ut nihil penitus in ea relinquatur nisi nudi parietes et confracti.

Ad bene ergo moriendum semper parati simus sancte vivendo.

Sic morte deducitur homo ad infinitam aeternamque paupertatem, si dormiens inveniatur, otio a bonis operibus torpens; iusti autem per mortem a paupertate ad infinitas aeternasque divitias transferuntur, sicut de mendico Lazaro in Evangelio legimus.[78] Propterea igitur vult Dominus ut ad bene moriendum semper parati simus bene, iuste santeque vivendo: *Estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet; Vigilate... quia nescitis diem neque horam.*[79]

Urget Dominus ad bene vivendum spe infinitae felicitatis et metu infiniti damni.

VIII. Duabus itaque hisce parabolis nos instruit Dominus et duabus efficacibus rationibus movet et urget ad bene vivendum. Prima desumitur a spe infinitae utilitatis et secunda a metu infiniti damni; quare priori quidem parabola spem nostram excitare Dominus intendit, posteriori vero timorem, ut semper inter spem et timorem vitam ducamus. Quid est quod mercatorem tam vigilem et prudentem efficit? Utique spes et timor; spes lucri et timor damni. Quid militem, ducem et imperatorem exercitus tam oculatum et circumspectum in bello gerendo? Spes victoriae gloriosique triumphi et timor dedecoris et ruinae. Quid nautam in navi ducenda tam vigilantem? Spes et timor; spes perveniendi cum salute ad portum desideratum et timor naufragii et perditionis extremae. Quod si spes et timor temporalium bonorum et malorum talem tantamque vigilantiam operantur, cum tamen omnia tum bona tum mala mundi huius momentanea sint, spes et timor aeternorum bonorum et malorum, quae nunquam habitura sunt finem, quamnam in nobis sollicitudinem ut operentur necesse est?

Hae duae virtutes supra modum necessariae sunt ad salutem et ad divinae legis observantiam. Hae enim sunt in arca Domini vas

78) Cf. ibid. vrr. 20-22. 79) Mt 25, 13.

mannae[80] et virga Moysi[81] iuxta tabulas legis.[82] Hinc Dominus dans legem ait statim in primo praecepto: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem... et faciens misericordiam in millibus iis qui diligunt me et custodiunt mandata mea.*[83] Sic R e g i u s V a t e s, faciens organum cum sacrosancto hodierno Evangelio, ait: *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam,* quia *oculi Domini super iustos et aures eius ad preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*[84] Hoc est: si quis vitam cupit aeternam, quam hic Christus beatitudinem et convivium dicit, haec necessario facienda sunt: declinet a malo, quod est lumbos praecingere; faciat bonum, quod est lucernas ardentes tenere; inquirat pacem, quod est vigilare, et persequatur eam, quod est expectare diuque perseverare in bono. Sic enim vitam consequetur aeternam, quia *oculi Domini super iustos et aures eius ad preces eorum,* ut *voluntatem timentium se faciat et deprecationem eorum exaudiat.*[85] At *non sic impii, non sic:*[86] *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum,* hoc est tanquam fur domum perfodere bonaque omnia diripere.

Hae virtutes supra modum necessariae sunt ad salutem et divinae legis observantiam.

Loquitur itaque Christus in sacrosancto hoc Evangelio de salute aeterna et de perditione perpetua, de via salutis et de via perditionis. Salutem perpetuam appellat nuptias: *Expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis;* appellat beatitudinem, appellat convivium et ministerium divinum: *Beati sunt servi illi,* quoniam dominus *praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis;* perditionem vero appellat paupertatem amissionemque omnium bonorum. Viam salutis appellat vigilantem expectationem cum lucernis ardentibus lumbisque praecinctis; at viam perditionis somnolentiam dicit, ut ostendat tam facile hominem per viam perditionis incedere, quam facile homo consueto quietis et somni tem-

Loquitur itaque Christus in hoc Evangelio de aeterna salute et perditione, de via salutis et perditionis.

80) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 81) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Cf. supra, pag. 122, not. 15. 82) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 83) Ex 20, 5-6. Vulg.: *In millia his... praecepta mea.* 84) Ps 33, 13-17. 85) Ps 144, 19. Vulg.: *Faciet... exaudiet.* 86) Ps 1, 4.

pore in nocte dormitare et in utranque aurem dormire,[87] et quod sicut non potest homo nocturno dormitionis tempore solerter vigilare, nisi sibi magnam vim faciat, sic *regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.*[88] Sic alibi ait Dominus arctam esse viam quae ducit ad vitam, latam vero et spatiosam valde quae ducit ad perditionem.[89]

ALIA HOMILIA

Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus, etc.[1]

I. Duo proponuntur nobis in hodierno Evangelio: virtutum meritum quoad gratiam in praesenti vita et praemium quoad gloriam in saeculo futuro. Describitur vita fidelium in Ecclesia militante, qualis esse debeat et quam tandem postea vitam ducent in Ecclesia triumphante in coelis. Ostenditur qualis fuerit vita gloriosi ac beatissimi Sancti huius, cuius hodie festum celebramus in mundo, et qualis nunc eius sit gloria in coelesti paradiso. Quaenam fuit vita Sancti huius in mundo? Praecinxit lumbos suos, ut sobrie, iuste et pie viveret in hoc saeculo;[2] tenuit lucernas ardentes per opera exemplaria ad gloriam Dei; fuit similis hominibus *expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit confestim aperiant ei;*[3] vigilavit nec sivit perfodi domum suam a fure. Nunc autem quaenam est ipsius vita in coelo? *Beati* sunt *servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. Et si in secunda vigilia venerit et si in tertia vigilia venerit... beati sunt servi illi.*[4] Vitam ducit beatam, omni desiderabili felicitate refertam.

Proponitur virtutum meritum in hac vita et praemium in saeculo futuro.

87) Modus proverbialis ex Terentio, cf. supra, not. 11. 88) Mt 11, 12.
89) Cf. ibid. 7, 13-14.

1) Lc 12, 35-36. 2) Cf. Tit 2, 12. 3) Lc 12, 36. 4) Ibid. vrr. 37-38. Vulg.: *Et si venerit in secunda vigilia.*

Coelestis beatitudo constat summis voluptatibus et summo honore.

II. Duo sunt quae maxime desiderant homines in hac vita: voluptates et honores, nam divitiae propter haec desiderantur, quoniam sine divitiis haec haberi non possunt, nam: *Pecuniae obediunt omnia.* [5] Ecce voluptates: *Faciet illos discumbere;* et ecce honor summus: *Transiens ministrabit illis,* dominus servis, rex ministris familiaribus suis. Sic *beati* sunt *servi illi.* Quod et replicat Dominus: *Beati sunt servi illi,* forte alludens ad mysterium nominis Ierusalem, quod hebraice ירושלים [6] dicitur, duali numero, quasi beatitudo in duplici pace consistat, sicut homo duplici substantia constat; vel ad insinuandum quod ineffabilis est beatitudo aeterna, quam cum Paulus in coelum raptus, in ipsum gloriae paradisum, cum suis oculis clare eam vidisset, explicare tamen minime potuit, sed ait quod *non licet homini loqui,* [7] idest non est possibile. Hoc voluit Dominus hac loquendi forma significare: *Beati* sunt *servi illi... beati sunt servi illi.* Et quidem semper, cum Divinae Litterae de coelesti gloria et aeterna beatitudine verba faciunt, semper loquuntur cum quodam excessu, sicut de terra promissionis quod lacte et melle fluebat. [8]

Gloria paradisi ineffabilis est,

Divus Ioannes in *Apocalypsi* describit nobis gloriam paradisi, quemadmodum ostensa fuit ei in spiritu symbolo civitatis maximae ac gloriosissimae; civitatem describit maximam, stadiorum duodecim millium, cuius muri et aedificia omnia, plateae et viae ex auro erant optimo, fundamenta vero et portae civitatis ex pretiosissimis gemmis. [9] Quis unquam talem vidit civitatem? Sed significat quod inaestimabilis est gloria paradisi. Addit etiam quod per medium civitatis fluvius currebat clarus ad instar crystalli et ex utraque parte fluminis horti amoenissimi, in quibus plantatum erat lignum vitae, afferens immortalitatem vitaeque aeternitatem, fructibus semper onustum, quoniam per singulos menses fructus edit optimos. [10] Hoc autem dicitur ad designandam aeternam vitam aeternasque delicias; nam haec sunt quae maxime desideramus. Cum ad dignitatem aliquam promotus fuerit homo, non quiescit, nisi suprema sit dignitas; tunc quiescit veluti si quis

5) Eccle 10, 19. 6) Ms.: *Ierusalaim.* 7) 2 Cor 12, 4. 8) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3; Lv 20, 24; Num 13, 28. 9) Cf. 21, 10-20. 10) Cf. ibid. 22, 1-2.

factus sit summus mundi imperator aut Summus Pontifex Ecclesiae; sed tunc longaevam vitam desiderat, diu vivere: *Rex, in aeternum vive!* [11]

De hac autem civitate legimus quod longitudo et latitudo et altitudo aequalia sunt. Longitudo est aeternitas: quid amplius aut diuturnius desiderari potest? Latitudo autem infinita est copia bonorum, infiniti thesauri voluptatum; altitudo supremus gradus desiderabilium dignitatum. Haec sunt quae hisce verbis continentur: *Faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis:* convivium proponitur et honorificentia. Quo maiori honore potest rex servos suos carissimos afficere, quam ut ipse, instructo convivio, serviat eis ad mensam? Assuerus, ut honoraret Mardochaeum, induit eum vestimentis regiis impositumque super equum regium ac regia corona redimitum, voluit ab omnibus honorari ac tandem primum constituit imperii sui principem; [12] Darius, Medorum et Persarum imperator, ut honoraret Danielem, constituit eum unum ex tribus principibus summis regni sui; [13] Balthassar, ut honoraret eundem, induit eum purpura aureamque torquem ei donavit et tertium principem regni constituit; [14] Nabuchodonosor eum non solum principem constituit super omnes provincias regni sui, sed etiam adoravit eum; [15] Pharao, ut honoraret Iosephum, constituit totius regni sui supremum principem indutumque byssina stola, data aurea torque ad collum regioque anulo ad manum, impositumque super currum regium, praecepit ab omnibus adorari flexis genibus. [16]

dici tantum potest aeternam et infinitam esse fruitionem omnium bonorum,

Sed nullus unquam princeps eo devenit, ut honoris causa servis suis ad mensam ministraret. Christus autem summus princeps, *Rex regum et Dominus dominantium,* [17] summo honore, et quo vix maior excogitari potest, afficit servos suos: *Faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis,* ad suppeditandum eis omnia necessaria ad convivium sua maiestate dignum. Nam hoc est convivium illud, de quo ipse ait: *Homo quidam fecit coenam magnam,* [18] et: *Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* [19]

quam Christus sub figura convivii regalis significavit.

11) 2 Esr 2, 3; Dn 3, 9; 5, 10; 6, 6. 21. 12) Cf. Est 6, 11. 13) Cf. Dn 6, 21. 14) Cf. ibid. 5, 29. 15) Cf. ibid. 2, 46. 16) Cf. Gn 41, 39-45. 17) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 18) Lc 14, 16. 19) Mt 22, 2. Vulg.: *Simile factum est,* etc.

Convivium maius aut splendidius excogitari non potest convivio regali, facto in nuptiis unici ac dilectissimi filii. In nuptiis enim laetissimi ac faustissimi dies [aguntur] maximaeque pro viribus solemnitates. Sic magnum, imo maximum paravit summus rex Christus electis suis convivium, ad instar celebratissimi ac decantatissimi convivii regis Assueri,[20] convivium de quo I s a i a s ait: *Faciet Dominus exercituum,* idest omnipotens rex, *omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium... medullatorum vindemiae defaecatae,* sive, ut in hebraico est: מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים שְׁמָנִים מְמֻחִים שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים : *convivium pinguium, convivium asservatorum, pinguium medullatorum, asservatorum, expurgatorum,*[21] idest convivium opiparum, ex optimis ac pretiosissimis cibis vinisque delicatissimis ac generosissimis suavissimisque, quoniam faciet convivium hoc Dominus exercituum, rex potentissimus, Deus omnipotens, sicut de magna coena legimus: *Tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata : venite ad nuptias.*[22] Idem Dominus alibi agens de magnitudine praemii servorum suorum, dixit: *Beatus ille servus quem, cum venerit dominus... invenerit vigilantem. Amen dico vobis... super omnia bona sua constituet eum.*[23] Quid amplius dicere potuit? *Super omnia bona sua constituet eum,* sicut Pharao constituit Ioseph super universum regnum suum.[24]

His verbis describitur vita Sancti, cuius festum celebramus.

III. *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes... et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis.*[25] Hic vita describitur gloriosi Sancti N., cuius hodie festivitatem colimus: praexinxit fortitudine lumbos suos, tenuit lucernas ardentes et magna cum vigilantia Dominum expectavit, sed venientem a nuptiis laetum et hilarem.

Metaphorice loquitur Dominus,

Sint lumbi vestri praecincti. Aliquando legimus in Divinis Littetis: *Accinge,* sive *praecinge lumbos tuos;*[26] aliquando: *Conforta lumbos* tuos, sic N a h u m 2 legimus: *Conforta lumbos* tuos, *robora*

20) Cf. Est 1, 3-8. 21) 25, 6. Ms.: *Misle scemanim misle scemarim scemanim me muhaim scemarim mezukakim.* 22) Mt 22, 4. 23) Ibid. 24, 46. Vulg.: *Invenerit sic facientem,* etc. 24) Cf. Gn 41, 40-45. 25) Lc 12, 35-36. 26) 4 Rg 4, 29.

virtutem tuam *valde.*[27] Nam in lumbis et renibus consistere videtur animalis fortitudo, unde impotentes ac viribus imbecilles Latinis dicuntur elumbes; sic in Divinis Litteris, cum insipiens Roboam dicere vellet se multo potentiorem esse patre suo Salomone, dixit: *Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei,*[28] quoniam, uti diximus, in musculis lumborum et renum consistit fortitudo animalium, in inferiori parte spinae, inter dorsum et os sacrum, quae quinque vertebris constat, ut docet Galenus libro 12 *De Usu Partium,* capite 12.[29] Sic apud Iob de magno animali legimus: *Fortitudo eius in lumbis eius.*[30] Legimus etiam quod aliquando ex magno timore, absque ictu aliquo, dissolvuntur musculi hi lumbares, laesa facultate animali motrice, unde inferiores partes, quae spinali medulla reguntur, imbecilles fiunt. De Balthassar rege Chaldaeorum refert Daniel quod, cum vidisset articulos manus contra se scribentes, *immutata est facies eius et cogitationes eius conturbabant eum et compages renum eius solvebantur,*[31] hoc est ex magno timore dissolvebantur musculi lumbares et vertebrae inferioris spinae.

In Divinis ergo Litteris *accingere lumbos* est parare se ad aliquid agendum, ad conficiendum iter, vel quid simile quod expeditum requirit hominem, unde Hebraei in Aegypto praecinctis lumbis et baculos manibus tenentes comederunt agnum paschalem tanquam iter facturi;[32] sed *confortare lumbos* est parare se ad bellum, ubi robore opus est et fortitudine multa. Christus autem a nobis requirit utrunque: ut parati semper simus ad bene agendum et ad resistendum, imo pugnandum contra diabolum, ut vincamus. Quod prius dixerat Dominus: *Sint lumbi vestri praecincti,* postea apertis verbis declaravit dicens: *Estote parati, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*[33] *Estote parati,* ut cum Regio Vate dicere possitis: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam tibi,*[34] laudabo te ore, laudabo manibus psalterium pulsando. *Estote parati,* hoc significat: devotionem et promptam animi

ut ostendat nos semper paratos esse debere ad bene agendum et ad pugnandum contra diabolum.

27) Vr. 1. 28) 2 Par 10, 10. 29) Classis Prima, f. 278ª. 30) 40, 11. 31) 5, 6. Vulg.: *Facies regis commutata est,* etc. 32) Cf. Ex 12, 11. 33) Mt 24, 42. 44. 34) Ps 56, 8. Vulg.: *Et psalmum dicam.*

voluntatem ad serviendum Deo et faciendum ex animo quaecunque Deo sunt grata.

nam otium spirituale causa est perditionis.

Estote parati; Vigilate ... quia nescitis diem neque horam.[35] Vigilandum hic Dominus admonet docetque somnum nobis causam esse perditionis et mortis, nam dormiendo multos legimus periisse: dormiens occisus fuit Sisara,[36] dormiens Samson amisit fortitudinem et libertatem,[37] dormiens Isboseth filius Saul fuit occisus,[38] et ipse Saul dormiens passus fuit mortis periculum ne occideretur a David vel Abisai eius socio;[39] dormiente Iona in navi, orta est magna tempestas.[40] Sic multi dormiendo pereunt; hinc in *Apocalypsi* legimus: *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua;*[41] hinc Paulus ait: *Vigilate, state in fide, viriliter agite;*[42] *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,*[43] ait Dominus, nam *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;*[44] alibi etiam ait: *Vigilate ... omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere* a ventura ira.[45] Hinc hodie ait: *Si sciret paterfamilias ... vigilaret,* etc.

Ostendit etiam duplex esse hominum genus: vigilantium et dormientium.

Ubi ostendit Dominus duplex hominum, etiam fidelium, genus: quidam servi sunt, alii patresfamiliarum; illi vigilant expectantes dominum, isti dormiunt; illi vigilant laeti, isti dormiunt pavidi, cum timore ne veniant fures et effodiant domum; illi advenientem dominum non timent, sed laeti expectant tanquam venientem a nuptiis, laetum et hilarem; isti timent venientem furem, qui *non venit nisi ut furetur et mactet et perdat*[46] bonaque omnia diripiat. Quibus verbis ostendit Dominus felicitatem servorum suorum fidelium in hac vita, quoniam nec mortem nec iudicium timent, sed laetum Dominum laeti expectant, nam: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae;*[47] *Nihil ... mihi conscius sum;*[48] alii vero timent tanquam furem advenientem dominum, quoniam non Christo sed mundo serviunt, non Christum sed mundum diligunt. Et quidem prima facie multo feliciores videntur peccatores, qui secundum carnem vivunt, quam iusti, qui vivunt secundum spiritum, quoniam iusti quidem servi describuntur: *Vos similes hominibus expectanti-*

35) Mt 25, 13. 36) Cf. Idc 4, 17-21. 37) Cf. ibid. 16, 19-20. 38) Cf. 2 Rg 4, 5-7. 39) Cf. 1 Rg 26, 5-9. 40) Cf. Ion 1, 4-6. 41) 16, 15. 42) 1 Cor 16, 13 43) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 44) Mc 14, 38. Vulg.: *Caro vero infirma.* 45) Lc 21, 36. 46) Io 10, 10. 47) 2 Cor 1, 12. 48) 1 Cor 4, 4.

bus dominum suum, mundani autem homines liberi ac patresfamilias, capita familiarum; et illi quidem nocte vigilantes, hi autem dormientes; somnus autem suavis res est in nocte. Sed tamen hi dormiunt cum timore et illi vigilant cum laetitia; hi furem expectant, illi dominum cum laetitia a nuptiis revertentem et afferentem eis reliquias nuptiarum.

COMMUNE VIRGINUM ET MARTYRUM

Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, etc. [1]

Dominus Ecclesiam thesauro comparat

I. Terra illa, quam irrigabat primum paradisi flumen, auro gemmisque ditissima erat: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quattuor capita. Nomen uni Phison, ipse... circuit... terram Hevilath, ubi nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est, ibique invenitur bdellium et lapis onychinus.* [2] Et quidem fluvius iste Spiritum Sanctum designat, sicut et fluvius quem Ioannes vidit procedentem de throno Dei: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de throno Dei et Agni;* [3] terra autem haec Ecclesiam, sicut et paradisus, designat; aurum vero et lapides pretiosi coelestes Ecclesiae thesauros, hinc ait hodie Christus: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro.*

et margaritae.

Nec tantum thesauro, verum etiam margaritae comparat Christus regnum coelorum: *Simile*, inquit, *est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa* dedit omnia sua et comparavit eam.[4] Sic enim in terra illa non tantum aurum, sed etiam pretiosi lapides inveniuntur.

II. Nec immerito Christus regnum coelorum, idest Ecclesiam suam, aureo thesauro et pretiosae margaritae assimilat, nec sine causa Ecclesiam *regnum coelorum* vocat: *Simile est regnum coelorum.*

1) Pericope huius festi Mt 13, 44-55. Cf. Missale Rom. 2) Gn 2, 10-12.
3) Apc 22, 1. Vulg.: *Aqua vitae... de sede Dei ad Agni.* Codex f. 93. 4) Mt 13, 45.

Triplex est regnum Dei, unum altero superius;

Est regnum Dei triplex, unum altero superius, sicut coelum terra et paradisus coelo superior est. Primum quidem Dei regnum mundus hic est, μακρόκοσμος,[5] natura universalis; alterum est Ecclesia Christi; tertium paradisus Dei. In primo regnat Deus per naturam, per potentiam, praesentiam et essentiam; in secundo per gratiam, per fidem, spem et caritatem; in tertio per gloriam, per visionem, possessionem ac fruitionem summi boni ac felicitatis aeternae. Tanquam regem naturae vidit eum Iacob summitati scalae innixum;[6] mundus enim iste veluti scala quaedam est, in qua gradus superior suapte natura dominatur inferiori, ut aqua terrae, aer aquae, ignis aeri, sic coelum superius inferiori, Angelus coelo, Deus Angelis sicut sol dominatur astris. Tanquam regem Ecclesiae vidit eum Isaias *sedentem super solium excelsum et elevatum*[7] supra templum Domini, in medio Seraphim, cuius fimbriae replebant templum, quando purgatus fuit Isaias,[8] templum enim illud Ecclesiae simulacrum erat; et tanquam regem paradisi vidit eum Ezechiel supra firmamentum sedentem in throno sapphirino super capita animalium atque rotarum;[9] vidit eum Daniel candido amictu indutum ac super thronum igneum sedentem, quando *millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.*[10]

Ecclesia regnum est medium,

Ecclesia autem regnum Dei medium est, sicut in tabernaculo Domini[11] et in templo[12] sanctum erat inter atrium et sanctum sanctorum. Regnum quidem Ecclesia est, sic enim synagoga educta ex Aegypto dicta est *regnum sacerdotale,*[13] et Divus Petrus Ecclesiam dicit *sacerdotium regale;*[14] Divus Ioannes: *Fecisti nos... regnum et sacerdotes.*[15] Regnum propter magnitudinem, nam multo maius[15a] provincia necesse est ut sit regnum, ac dominium regis quam dominium comitis, marchionis aut ducis; regnum propter ampliorem dignitatem, honorem et gloriam, nam dignius est ac gloriosius regem esse quam comitem, marchionem aut ducem; regnum propter ordinem, nam regnum ordinata respublica est, ubi diversi sunt status ordinesque ac gradus, sicut in exercitu et castrorum

5) Ms.: *Macrocosmos.* 6) Cf. Gn 28, 12-13. 7) 6, 1. 8) Cf. ibid. vrr. 6-7. 9) Cf. Ez 1, 4 sqq.; 10, 1 sqq. 10) Cf. Dn 7, 9-10. 11) Cf. Ex 26, 1 sqq.; 40, 2-31. 12) Cf. 3 Rg 6, 2 sqq.; 2 Par 2, 3 sqq. 13) Ex 19, 6. 14) 1 Petr 2, 9. 15) Apc 5, 10. 15a) Ms.: *Maior.*

acie ordinata; regnum, quia suum habet principem, unum quidem, quia regnum monarchia est, summa vero potestate praeditum, ut a superiori non dependeat; regnum, quia suas habet leges, sua tribunalia, sua privilegia, sua praesidia, sua aeraria, suam militiam, suas monetas, sua insignia.

sed dicitur *regnum coelorum*, quia eius rex, leges et populi, coelestes sunt,

Sed *regnum coelorum*, quia eius rex coelestis est, coelestes leges, coelestes populi: *Nostra autem conversatio in coelis est;*[16] *regnum coelorum*, quod praedicavit Ioannes Baptista: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;*[17] quod similiter Christus praedicare coepit: *Poenitentiam agite,*[18] ad quod praedicandum missi fuerunt Apostoli: *Euntes ... praedicate dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum;*[19] *Et misit illos praedicare regnum Dei;*[20] de quo petimus: *Adveniat regnum tuum,*[21] destructo diaboli regno; de quo Dominus ait: *Pervenit in vos regnum Dei;*[22] et iterum: *Regnum Dei intra vos est.*[23] *Regnum* etiam *coelorum* adhuc dicitur, quoniam in Ecclesia participatio est beatitudinis ac felicitatis aeternae, quae summa in coelo est, hinc ait: *Beatus ... qui non fuerit scandalizatus in me;*[24] *Beati pauperes ... beati mites ... beati qui lugent;*[25] sic Hebraei in deserto manna cibantur:[26] *Invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve; Ego reficiam vos.*[27]

et quia participatio est aeternae beatitudinis.

Christus quoque thesauro comparatur,

III. Comparatur autem coeleste istud regnum thesauro: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro,* propter *investigabiles Christi divitias.*[28] Salomon, aedificato templo Domini, magnos in eo thesauros, sicut et in domo sua, recondidit,[29] quos utrosque abstulit Sesach rex Aegypti.[30] Ager autem fertilis, in quo seminatur semen verbi faciens fructum centesimum, sexagesimum et trigesimum,[31] Ecclesia est, thesaurus autem Christus absconditus in Ecclesia, quia eius fides invisibilis est in corde fidelium. Hunc autem thesaurum omnium thesaurorum, *in quo ... omnes thesauri*

16) Phil 3, 20. 17) Mt 3, 2. 18) Ibid. 4, 17. 19) Ibid. 10, 7. 20) Lc 9, 2. 21) Mt 6, 10; Lc 11, 2. 22) Mt 12, 28. 23) Lc 17, 21. 24) Mt 11, 6. 25) Ibid. 5, 3-5. 26) Cf. Ex 16, 35. 27) Mt 11, 28 sqq. Ordine inverso affert hos vrr. 28) Eph 3, 8. Vulg.: *Divitias Christi.* 29) Cf. 3 Rg 7, 1 sqq.; 2 Par 5, 1. 30) Cf. 3 Rg 14, 25-26; 2 Par 12, 2-11. 31) Cf. Mt 13, 8. 23; Mc 4, 8. 20.

sapientiae et scientiae Dei,[32] invenit qui in Christum credens divinitatem eius vere agnoscit experimento internae consolationis: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*[33] Sic cum Apostoli Christum agnovissent ac invenissent – nam Andreas ait Petro: *Invenimus Messiam,*[34] sic et Philippus Nathanaeli: *Quem scripsit Moyses . . . et Prophetae, invenimus Iesum,*[35] – relictis omnibus, secuti sunt Christum:[36] *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.*[37] Agnoverunt autem Christum Apostoli, viso magno illo miraculo capturae piscium, et tunc veluti invento thesauro, relictis omnibus, Christum secuti fuerunt.[38] Non hunc vere invenit thesaurum dives ille adolescens, qui cum audisset a Christo: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum* magnum *in coelo . . . abiit tristis.*[39] Declaravit tamen illi Christus hanc de thesauro parabolam, quomodo scilicet emendus sit iste thesaurus: quod emendus sit contemptu saeculi ac omnium temporalium terrenarumque facultatum, et amore Dei coelestiumque divitiarum, thesaurizando in coelo Christum sequendo.

qui invenitur cum agnoscitur

et eius amore temporalia bona contemnuntur,

Sicut autem Christus thesaurus est, ita ipse quoque pretiosa margarita, lapis pretiosissimus, pretio ac valore Deo aequalis. Omnes Sancti veluti gemmae sunt ac lapides pretiosi, designati in duodecim lapidibus pretiosis in *Rationali* summi pontificis et in duobus lapidibus onychinis in superhumerali;[40] sed Christus est margarita una et pretiosa sicut sol inter astra; una pretiosa margarita, quia *unus Deus, una fides, unum Baptisma,*[41] unus Christus; pretiosa vero, ut Petrus ait: *Pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi;*[42] ut Paulus ait: *Redempti . . . estis pretio magno;*[43] lapis pretiosus, de quo Isaias: *Ecce ego mittam in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet;*[44] cui et Petrus accinit dicens: *Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum . . . qui crediderit, non confundetur.*[45] Ne quis putaret mar-

et pretiosae margaritae, ob dignitatem qua supereminet omnibus creaturis.

32) Col 2, 3. 33) Ps 33, 9. 34) Io 1, 41. 35) Ibid vr. 45. 36) Cf. Mt 3, 18-22; Mc 1, 16-20. 37) Mt 19, 27. 38) Cf. Lc 5, 4-11. 39) Mt 19, 21-22. Vulg.: *Habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.* 40) Cf. Ex 28, 6-30.
41) Eph 4, 5. 42) 1 Petr 1, 19. 43) 1 Cor 6, 20. Vulg.: *Empti,* etc. 44) 28, 16. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *In fundamentis Sion,* 45) 1 Petr 2, 6,

garitam hanc adulterinam esse, Christus lapis dicitur pretiosus, sed probatus et summus, quoniam Angelis quoque pretiosior est; nam et Angeli lapides quidem pretiosi sunt, unde Moyses vidit sub pedibus Dei opus ac aedificium ex lapidibus sapphirinis et coelum clarum atque serenum,[46] ubi per coelum designatur empyreum, ubi paradisus est, per lapides vero sapphirinos, qui sunt coelestis coloris, Angeli spiritusque coelestes. Sed Christus Angelis multo pretiosior est: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.*[47] Nam Christus Deus ille est Moysi in humana specie visus, sub cuius pedibus erat opus ex sapphirinis lapidibus; Christus Dominus Angelorum est, nam: *Omnia subiecisti,* inquit, *sub pedibus eius,*[48] nihilque reliquit non subiectum ei, praeter eum qui subiecit ei omnia.[49]

Comparat seipsum Christus thesauro et pretiosae margaritae, quia ipse est sapientia aeterna

IV. Thesauro et pretiosae margaritae comparat seipsum Christus, quoniam ipse sapientia illa est, de qua dicitur: *Nescit homo pretium eius... Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius; non conferetur tinctis Indiae coloribus nec lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro; non adaequabitur ei argentum vel vitrum, nec commutabitur pro ea vasa auri... non adaequabitur ei topazius de Aethiopia;*[50] de hac David: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum,*[51] et alibi: *Dilexi mandata tua super aurum et topazion;*[52] de hac Salomon *Proverbiis* 8: *Melior est... sapientia cunctis* opibus *pretiosissimis et omne desiderabile ei non potest comparari;*[53] *Melior est... fructus meus auro et lapide pretioso;*[54] de hac Sapiens ait: *Praeposui illam regnis et sedibus et divitias nihil esse dixi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius.*[55] Christus ergo thesaurus et margarita est, aurum et lapis pretiosus, quae quidem coelesti virtute ac solaribus radiis gignuntur in terrae visceribus;[56] quare matrem quidem habent in terra, sed patrem in coelo: sic utique Christus.

46) Cf. Ex 24, 10. 47) Hebr 1, 4. 48) Ps 8, 8. 49) Cf. Hebr 2, 8.
50) Iob 28, 13-19. Vulg.: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum*, etc. 51) Ps 18, 11.
52) Ps 118, 127. 53) Vr. 11. 54) Ibid. vr. 19. 55) Sap 7, 8-9. Vulg.: *Nihil esse duxi*, etc. 56) Iuxta Veterum sententiam, cf. Scotus *Sentent.*, lib. 2, dist. 7, q. 3.

Thesauro et margaritae seipsum comparat Christus ne putemus vanum ac sine fructu esse servire Deo, ut aiunt multi apud Malachiam: *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem aedificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum et salvi facti sunt.* [57] Dominus vero ait: *Venite et probate me in isto*, idest in mandatorum meorum observantia per fidem vivam et veram caritatem, *si non aperuero vobis cataractas coeli et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam... et beatos vos dicent omnes gentes.* [58]

et servos suos beatificat.

Ager autem iste, in quo absconditus thesaurus est, non solum Ecclesiam designat, de qua dicitur: *Eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum,* [59] sed etiam sacram Christi humanitatem, in qua abscondita divinitas est: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus,* [60] ait Isaac benedicens Iacob Deo dilectum. Significat etiam cor nostrum, in quo absconditus manet Deus; qui enim ubique reperitur per naturam, per essentiam, praesentiam et potentiam, profecto reperitur etiam in corde nostro, sed absconditus, Incognitus Christus etiam per fidem manet in corde nostro, sicut Deus in mundo et anima in corpore nostro: implet Deus sua magnitudine mundum, absconditus tamen manet et a nemine videtur; sic et anima in corpore; sic Christus in Ecclesia, in Sacramento altaris maxime, sed invisibilis; sic per fidem in corde credentium, sed absconditus, non satis cognita Christi virtute, potentia, sapientia, bonitate, etc. Sed qui Christum in corde per gratiam caritatemque veram possidet, hic vere thesaurum habet in corde: *Habemus... thesaurum... in vasis fictilibus;* [61] *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* [62]

Ager designat etiam Christi humanitatem, in qua abscondita divinitas est.

et cor nostrum, in quo Christus per gratiam inhabitat.

O nos ter quaterque beatos, si thesaurum hunc invenerimus inventumque absconderimus, idest caute costodierimus, evitantes omne periculum amittendi illum per aliquod peccatum! Sic enim principum thesauri cautissime et in secretissimis locis reconditi custodiuntur. Est quidem cor nostrum vilissima quaedam terra,

57) 3, 14-15. 58) Ibid. vrr. 10-12. Vulg.: *Probate me super hoc*, etc.
59) Ibid. vr. 13. 60) Gn 27, 27. 61) 2 Cor 4, 7. 62) Lc 6, 45.

dum vera fide aut gratia Dei destituti sumus, vili amore terrenarum carnaliumque plenus, vili timore, vili spe lucri turpis, vana laetitia, vano dolore; at superveniente a lucidissimo sole iustitiae, Christo, radio gratiae ipsius, qui secum fidem, spem caritatemque affert, mirabili quadam alchymia terram hanc lutumque in aurum lapidesque pretiosos convertit. Amor enim noster ad Deum conversus aurum est summi valoris, lapis pretiosissimus; sic timor Dei, sic spes in Deum, sic dolor pro peccatis, sic spiritualis laetitia.

Thesaurus significat etiam gratiam Dei, margarita autem diligentiam nostram.

V. Non sine mysterio thesaurus non quaesitus fortunate invenitur, margarita autem quaesita; sed necesse est ut gratia Dei cum nostra diligentia - ut Petrus ait: *Satagite ut per bona opera certam vestram electionem et vocationem faciatis,*[63] – salutem quaeramus. Et gratia quidem praevenit hominem, qua adiutus homo salutem quaerit, nam non sumus sufficientes *cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*[64] Et thesaurus quidem, qui fortuito ac sorte invenitur, maior est quam margarita, nam margarita pars quaedam est thesauri, quoniam maius est quod Dominus vult nobis donare quam id quod nos satagimus quaerere et desideramus invenire. Deus enim vult nos esse perfectos: *Estote... perfecti sicut et Pater vester,* etc.,[65] ut omni virtute ac perfectissima caritate praediti simus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc.;[66] nos autem vix minimam thesauri huius partem desideramus et vix invenitur qui thesaurum quaerat, sed quales quales margaritas, unde sorte invenit unam pretiosam, multo, inquam, pretiosiorem ac meliorem quam quaerebat, quia Deus semper merita nostra gratia sua vincit ac superat; et quoniam paucissimi sunt qui margaritas has quaerant, hinc non negotiatioribus ait, sed *homini negotiatori,* innuens oportere nos prudentes mercatores esse ac negotiatores, si coelesti virtutum thesauro coelestique gloria volumus ditari.

Comparat Christus gratiam suam thesauro, quia in mundo divitiae sunt basis ac fundamentum felicitatis, bonorum ac volupta-

63) 2 Petr 1, 10. Vulg.: *Vestram vocationem,* etc. 64) 2 Cor 3, 5. 65) Mt 5, 48.
66) Ibid. 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27.

tum, divitiis enim ac *pecuniae obediunt omnia;*[67] sic thesaurus iste fundamentum est felicitatis aeternae. Moyses petram illam de qua fluxerunt aquae, thesaurum appellavit dicens: *Aperi eis,* Domine Deus, *thesaurum tuum, fontem aquae vivae.*[68] *Petra autem,* inquit Paulus *erat Christus;*[69] quare ipse thesaurus est omnem sitim explens: *Qui ... biberit ex aqua, quam ego,* etc.[70] Haec autem vera felicitas est, nulla siti, nulla egestate laborare; et ne putemus iniucundum esse Deo servire, ait quod *prae gaudio ... vadit et vendit,* etc., quoniam: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!*[71] *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.*[72] Gaudium oritur, ex praesentia boni; sed Christus fons est omnis boni, sicut sol lucis, ignis caloris, mel dulcedinis. O felices, qui Christum inveniunt!

Comparat Christus gratiam suam thesauro, quia est fundamentum felicitatis aeternae.

II. ALIA HOMILIA

Iterum simile est regnum coelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti; quam, cum impleta esset, educentes ac secus, etc.[1]

I. Septem parabolis Christus de regno coelorum seriatim locutus est uno eodemque capite, apud Matthaeum 13. Prima fuit seminatoris, secunda boni seminis ac zizaniorum, tertia de grano sinapis, quarta de fermento in tribus satis farinae, quinta de thesauro abscondito, sexta de margarita pretiosa, septima de sagena missa in mare,[2] ubi videtur divina sua sapientia, qua illi omnia notissima sunt, praesentia, praeterita et futura, septem futuras Ecclesiae aetates explicasse, quae in *Apocalypsi* per septem Ecclesias, per septem candelabra aurea, per septem stellas, per septem Angelos cum tubis, per septem sigillos apertos, per septem phialas, per septem cornua, oculos et coronas agni designantur.[3] Nam incipit Christus a principio Ecclesiae per Evangelii praedicationem, quae per semen designatur, et claudit sermonem in fine saeculi: *Sic erit in*

Septem parabolis Christus seriatim de regno coelorum locutus est

67) Eccle 10, 19. 68) Nm 20, 6. 69) 1 Cor 10, 4. 70) Io 4, 13. Vulg.: *Bibit ex aqua, etc.* 71) Ps 30, 20. 72) Ct 1, 1.

1) Mt 13, 47-48. Codex f. 96a. 2) Cf. vrr. 3-52. 3) Cf. 1, 11-2, 1.

Iuxta septem aetates Ecclesiae.

consummatione saeculorum.[4] Quare prima quidem parabola primam Ecclesiae aetatem designat, quae fuit Apostolorum, secunda aetatem haereticorum, qui sunt vera zizania, tertia aetatem Martyrum, quarta aetatem Doctorum, quinta aetatem eremitarum ac Sanctorum Patrum, sexta aetatem Religiosorum Mendicantium, qui relictis omnibus Christum sequuntur,[5] septima tandem aetatem sanctorum praedicatorum, qui erunt post antichristum ad mundum convertendum Christo.

Et quidem semper Christus seipsum designat: ipse semen est, nam inquit: *Semen est verbum Dei ;*[6] ipse semen bonum, cuius frutum impediunt haeretici; ipse granum sinapis, minimum et maximum; ipse fermentum totum mundum ad se convertens; ipse thesaurus, ipse margarita pretiosa, et ipse tandem sagena, quia nonnisi Christus praedicatur.

Omnia perdet qui regnum Dei amittit.

Subiunxit Christus hanc parabolam antecedentibus, ne forte quis dicat: Si non invenero thesaurum ac emero pretiosam margaritam, quidnam mihi inde malum consequetur? Si nihil fuero lucratus, nihil perdam. Non sic Christus; in ultima enim hac parabola ostendit hos esse malos pisces, qui in mare mittentur, hos qui hanc margaritam et hunc thesaurum non invenerint ac emerint, mittendos esse *in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium,*[7] ibi invenient malorum infinitum thesaurum.

Triplex est regnum Dei: mundus, Ecclesia, paradisus,

II. Sciendum vero quod sicut triplex Dei regnum est, mundus, Ecclesia et paradisus, sic triplex reperitur thesaurus. Necesse enim est ut unumquodque regnum suum habeat thesaurum regiumque aerarium; hinc tres divites reperimus in Divinis Litteris celeberrimos a Deo ditatos miraculo: Abraham,[8] Iob post calamitatem[9] et Salomonem regem Israel fortunatissimum.[10] Est enim thesaurus bonorum naturalium, thesaurus bonorum gratiae et thesaurus bonorum gloriae et felicitatis aeternae in paradiso.

De primo thesauro legimus *Numeris* 20: '*Domine Deus, audi clamorem huius populi et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae*

4) Mt 13, 49. Vulg.: *Saeculi.* 5) Cf. Mt 4, 20; Mc 1, 18; Lc 5, 11. 6) Lc 8, 11. 7) Mt 13, 50. 8) Cf. Gn 13, 2. 9) Cf. Iob 42, 10. 10) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq.; 2 Par 9, 22-28. Ms.: *Salomon rex... fortunatissimus.*

vivae; [11] et *Deuteronomio* 28: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, coelum, ut tribuat pluviam terrae tuae in tempore suo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum,* [12] hinc nanque cum pluvia opus est pluitque, dicimus: pluvia haec tota aurum est. [13] Sic apud Iob legimus *thesauros nivis* et *thesauros grandinis;* [14] David etiam dixit thesauros ventorum: *Qui producit ventos de thesauris suis.* [15] Ex his thesauris producit Deus abundantiam rerum omnium, quae victui vitaeque nostrae necessariae et utiles sunt. — et triplex thesaurus: bonorum naturalium in mundo,

De secundo legimus thesauros domus Domini, thesauros templi. [16] Sic Isaias ait: *Divitiae salutis sapientia et scientia,* et *timor Domini ipse est thesaurus eius;* [17] sic Salomon *Proverbiis* 2: Si sapientiam inveneris et *si quaesieris illam, quasi pecuniam et quasi thesauros effoderis;* [18] et capite 3: *Beatus homo qui invenit sapientiam... melior est* enim *acquisitio eius negotiatione auri et argenti... pretiosior... cunctis opibus... Longitudo dierum in dextera eius et in sinistra ipsius divitiae et gloria;* [19] capite 8: *Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae et iustitia; melior est... fructus meus auro et lapide pretioso... In viis iustitiae ambulo... ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam.* [20] — gratiae in Ecclesia,

De tertio tandem legimus thesauros regis in Ierusalem, [21] Hi sunt thesauri gloriae, de quibus Dominus: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo;* [22] et alibi: *Habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [23] Omnes autem hi thesauri absconditi sunt; animales autem homines nonnisi terrenos hos mundanosque thesauros desiderant, spirituales vero coelestes et divinos, iuxta praescriptum Domini: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,* etc. [24] — gloriae in coelo.

III. *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro.* Deus ipse thesaurus est infinitus omnium bonorum, sicut in mundi creatione Moyses ostendit, [25] sed absconditus est: *Deum nemo* — Thesaurus absconditus Deus est,

11) Vr. 6. 12) Vr. 12. 13) Phrasis popularis vulgatissima. 14) 38, 22.
15) Ps 134, 7. 16) Cf. 3 Rg 7, 51; 15, 18; 4 Rg 12, 18; 1 Par 9, 26; 2 Par 5, 1.
17) 33, 6. 18) Vr. 4. Vulg.: *Quaesieris eam... quasi thesauros,* etc. 19) Vrr. 13-16. Vulg.: *Negotiatione argenti et auri... in sinistra illius,* etc. 20) Vrr. 18-21.
21) Cf. 3 Rg 14, 26; 15, 18; 4 Rg 14, 14; 1 Par 27, 25; 2 Par 16, 2. 22) Mt 6, 20.
23) Ibid. 19, 21; Mc 10, 21; Lc 18, 22. 24) Mt 6, 19. 25) Cf. Gn 1, 1 sqq.

vidit unquam; [26] *Vere tu es Deus absconditus;* [27] *Posuit tenebras latibulum suum.* [28] Christus thesaurus est, in quo sunt omnes thesauri divinitatis. [29] Sed sicut Deus absconditus est in mundo magno, ita Christi divinitas in parvo, in sacra ipsius humanitate; sed in gloriosa transfiguratione thesaurum divinitatis suae manifestavit. [30] Gloria paradisi thesaurus est incomparabilis, sed absconditus in coelo, quod eam nobis celat atque abscondit, sed Ezechieli aperto coelo revelata fuit, [31] itemque protomartyri Stephano in die martyrii sui. [32] Sanctum sanctorum velatum erat; semel tantum in anno revelabatur per ingressum summi sacerdotis. [33]

Christus et paradisus.

Gratia etiam Spiritus Sancti thesaurus est infiniti valoris, thesaurus inaestimabilis, sed absconditus in agro cordis, sub velaminibus humilitatis, poenitentiae, mortificationis: *Habemus... thesaurum... in vasis fictilibus.* [34] Hunc thesaurum perdidit Adam peccando, cum quo bona omnia ipsumque paradisum amisit. [35] Si gratia terreni principis in mundo pro magno thesauro habetur, quoniam rex ditare potest quem amat, sicut Pharao Iosephum, [36] Nabuchodonosor Danielem, [37] Assuerus Mardochaeum, [38] quanto magis gratia omnipotentis Dei?

gratia Spiritus Sancti

Tandem anima nostra *ad imaginem et similitudinem Dei* [39] condita, thesaurus quidem est incomparabilis, inaestimabilis: *Quid... prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* [40] Sed absconditus est hic thesaurus in corpore, in carne, non cognoscitur natura animae, ignoratur ipsius dignitas et nobilitas.

et anima nostra,

Felices qui thesaurum hunc inveniunt seipsos vere cognoscendo! Contemnent enim omnia ut salutem animae suae quaerant, nam anima pretiosior est omni thesauro, sicut apud Isaiam legimus: *Pretiosior erit vir auro et homo mundo obrizo.* [41] Natura etiam ipsa docet vitam, quae ab anima pendet, divitiis omnibus esse pre-

quae pretiosior est omnibus thesauris.

26) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 27) Is 45, 15. 28) Ps 17, 12. 29) Cf. Col 1, 19; 2, 9. 30) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 31) Cf. Ez 1, 1 sqq. 32) Cf. Act 7, 55-56. 33) Cf. Lv 16, 1 sqq.; Hebr 9, 7. 34) 2 Cor 4, 7. 35) Cf. Gn 3, 6 sqq. 36) Cf. Gn 41, 39-45. 37) Cf. Dn 2, 48. 38) Cf. Est 8, 15. 39) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 40) Mt 16, 26. Vulg.: *Si mundum universum*, etc. 41) 13, 12.

tiosiorem; nam si mercator in navi omnes habeat facultates suas, orta magna tempestate, positus in magno vitae discrimine, proiicit omnia in mare ut vitam salvare possit; infirmus etiam ad sanitatem assequendam quibus divitiis parcit? Sanitatem praefert omnibus divitiis et thesauris mundi.

III. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit et prae gaudio, etc. [1]

I. Tres parabolae proponuntur nobis in hodierno Evangelio: prima est de thesauro invento veluti sorte et fortuna; secunda est de margarita pretiosissima quaesita, inventa et empta a negotiatore sapiente et prudente mercatore; tertia est de sagena missa in mare ac plena tum bonis tum malis piscibus. [2] In quibus quidem parabolis tria mihi a Christo Domino designari videntur: initium, medium et finis vitae christianae secundum fidem et normam Evangelii. Principium vitae christianae est fides per Baptismi sacramentum; medium est observantia divinae legis in exercitio virtutum, maxime vero caritatis, quae maxima virtutum est, regina virtutum omnium; finis vero retributio vitae aeternae: *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* [3] Principium est gratia ex mera Dei misericordia data, absque ullis meritis propriis; medium est augmentum gratiae, concurrentibus etiam propriis meritis ex prima gratia; finis tandem consecutio gloriae et felicitatis aeternae, quae est gratia consummata.

His tribus parabolis designatur principium, medium et finis vitae christianae.

II. Quoad primam parabolam, thesauri nomine in Divinis Litteris aliquando paradisi gloria intelligitur; sic Dominus ait illi adolescenti: *Vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum* magnum *in coelo;* [4] sic etiam ait:

Quoad primam parabolam, thesauri nomine multa significantur,

1) Mt 13, 44. Codex f. 96b-97. 2) Cf. Mt 13, 45-50. 3) Ibid. vr. 48.
4) Ibid. 19, 21. Vulg.: *Thesaurum in coelo, et veni,* etc.

Thesaurizate... vobis thesauros in coelo. [5] Aliquando virtus ipsa qua Deum colimus, sic Isaias ait: *Implevit* Dominus *Sion iudicio et iustitia et erit fides in temporibus tuis. Divitiae salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse... thesaurus eius;* [6] sic etiam Dominus in Evangelio ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* [7] Christus ipse thesaurus dictus est a Paulo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei *absconditi.* [8] Deus ipse infinitus thesaurus est omnium bonorum; sic Moysi dixit: *Ego ostendam tibi omne bonum.* [9]

sed speciatim intelligenda est fides et gratia.

Existimo autem hoc loco per thesaurum intelligendam esse fidem Christi et gratiam Spiritus Sancti, et ad hunc locum allusisse Paulum cum *ad Corinthios* ait: *Si... opertum est Evangelium, iis qui pereunt opertum est, in quibus deus huius saeculi excaecavit infidelium... mentes, ut*[10] *non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei... quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.* [11] Videtis quomodo Paulus fidem evangelicam[12] vocat thesaurum, sed absconditum infidelibus incredulisque omnibus?

Gratia thesaurus est quo emitur regnum coelorum.

Simile est regnum coelorum thesauro abscondito. Deus ipse thesaurus est, infinitus quidem, sed absconditus, ita ut dicat *insipiens in corde suo: Non est Deus.* [13] Christus thesaurus est infinitus, sed absconditus: *Vere tu es Deus absconditus,* [14] hinc multi in Christum non credunt, Christum minime agnoscunt. Gloria paradisi thesaurus est magnus et infinitus, sed absconditus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se.* [15] Ita fides Christi, gratia et virtus Spiritus Sancti magnus est thesaurus, sed absconditus. Magnus, inquam, thesaurus. Ad emendum ab imperatore regnum magnum an non magnus thesaurus requiritur? Gratia autem pretium est quo a summo im-

5) Ibid. 6, 20. 6) 33, 6-7. 7) Lc 6, 45. 8) Col 2, 3. 9) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.* 10) Ms.: *Ut* adiicitur. 11) 2 Cor 4, 3-7. Vulg.: *Est opertum... mentes infidelium... ut non fulgeat illis... lucem splendescere,* etc.
12) Ms.: *Evangelicat.* 13) Ps 52, 1. 14) Is 45, 15. 15) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Oculus non vidit... nec in cor hominis ascendit... iis qui diligunt illum.*

peratore, Deo, emitur regnum coelorum; sic enim Salvator ait: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare.*[16] Sic Saul virtute et bonitate sua emit a Deo regnum Israel;[17] sic David, cum pastor esset, virtutis pretio emit acquisivitque idem regnum.[18] Magnus thesaurus fuit quem Iacob patriarcha in Luza invenit, cum Deus ei apparuit promisitque paternam providentiam ac rerum omnium abundantiam,[19] unde ait: *Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*[20] Magnus thesaurus fuit quem Moyses in deserto invenit, cum ei Dominus apparuit in rubo ardenti eumque principem totius electi populi constituit et regem ac veluti deum naturae, imo supra naturam per divinorum miraculorum operationem.[21] Magnus thesaurus fuit quem Salomon in Gabaon invenit, cum apparuit ei Deus et dono dedit ei thesaurum omnis scientiae et sapientiae omnisque felicitatis, quae in hoc mundo desiderari potest.[22] Sed qui hunc thesaurum gratiae coelestis invenit, Christum utique et Deum ipsum, bonorum omnium infinitum thesaurum invenit. Sic samaritis mulier in agro thesaurum hunc invenit absconditum, unde prae gaudio hydriam suam reliquit,[23] quoniam invenit thesaurum felicitatis aeternae: *Qui... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*[24] Si pauper puella casu quodam fortuito occurrens filio principis et placido gratoque aspectu ob nimiam pulcritudinem et gratiam aspiciatur a principe eique adeo placeat ut in uxorem eam desponset, an non dicemus illam magnum invenisse thesaurum? Si puer pauperis patris filius coram rege addictus, adeo placeret ei ut in filium adoptaret suumque heredem institueret et coheredem unigeniti filii sui, quam felicem sortem, quam magnum invenisse thesaurum diceretur! Hic est thesaurus noster.

Quando Christus baptizatus fuit ut Baptismi sacramentum institueret, ut virtus sacramenti huius declararetur, apertum fuit

16) Mt 25, 34-35. 17) Cf. 1 Rg 9, 2 sqq. 18) Cf. Ibid. 16, 12-13.
19) Cf. Gn 28, 12 sqq. 20) Ibid. vrr. 16-17. 21) Cf. Ex 3, 1 sqq.
22) Cf. 3 Rg 3, 4-13; 2 Par 1, 3-12. 23) Cf. Io 4, 28. 24) Ibid. vrr. 13-14.

gratia enim hominem constituit filium Dei, heredem paradisi.

coelum, descendit super eum Spiritus Sanctus, audita fuit vox Patris omnipotentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.* [25] Sic cum baptizatur homo efficitur templum Spiritus Sancti, adoptatur a Deo in filium, instituitur heres paradisi; anima nostra in Baptismo desponsatur Christo, summi regis et imperatoris Dei Filio: *Desponsabo te mihi in fide,* [26] sicut Rebecca desponsata fuit Isaaco unigenito filio summi patriarchae Abrahae, casu quodam, sorte et fortuna, absque ulla dote sponsum accepit nobilissimum atque ditissimum. [27] Sic magnum in agro et inaestimabilem incomparabilemque thesaurum invenit, sed multo infinitis partibus ditiorem ac nobiliorem [quam] mulier illa samaritis, in agro animae suae, [28] Virgo haec sacratissima et sanctissima mulier, cuius hodie festum celebramus; sponsa enim Christi per fidem, per caritatem, per gratiam Spiritus Sancti facta est divinoque hoc sponso nunc fruitur in coelo frueturque in aeternum per saecula infinita.

Thesaurus figura Ecclesiae in quam per Baptismum intratur;

III. *Simile est regnum coelorum,* similis est Ecclesia fidelium Christi, *thesauro abscondito in agro.* Magnus thesaurus est infinita Dei gratia, misericordia, benignitas, bonitas, caritas vere paterna, qualis est piissimi et amantissimi patris erga unicum filium. Hic thesaurus invenitur in Baptismo, ipso statim initio christianae vitae, et multo cum gaudio invenitur. Sic enim Aethiops ille *potens Candacis reginae Aethiopum* eunuchus, cum thesaurum hunc invenisset baptizatus a Philippo, abiit *in viam suam gaudens.* [29] Sed est absconditus thesaurus hic sensibus, absconditus carni, absconditus mundo. Sic Ioannes ait: *Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus* autem *quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* [30] Sic Paulus ait: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est..., quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Scimus autem quoniam, *cum Christus apparuerit, vita vestra,*

25) Mt 3, 17. 26) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 27) Cf. Gn 24, 15 sqq.
28) Ms.: *Nostra*, loco: *Suae.* 29) Act 8, 27-39. 30) 1 Io 3, 2. Vulg.: *Quoniam videbimus eum*, etc.

tunc et vos simul *apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra quae sunt super terram.* [31] Sicut divinitas Christi in mundo abscondita erat in humanitate et humilitate carnis passibilis et mortalis, ita divina gratia abscondita est in fidelibus Christi. Si enim Christus Dominus, qui per fidem nos ab Adami peccato et ira Dei salvos fecit, eripiens nos de potestate tenebrarum in regnum Patris sui, [32] vocans nos de tenebris *in admirabile lumen suum,* [33] sicut restituit spiritualia bona spectantia ad animam, ita etiam restituisset corporalia per Adam amissa, carnis immortalitatem terrestrisque paradisi felicitatem, manifestus esset thesaurus hic et omnes magno studio eum quaererent; sed non propter Deum, sed desiderio moti corporeae immortalitatis. Thesaurus hic absconditus est, quoniam spirituales consolationes servorum Dei occultae sunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [34] *Vincenti dabo manna absconditum;* [35] *Dabo* ei *edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* [36] Non noverunt Aegyptii quod Hebraei in deserto coelesti manna, pane ab Angelis facto nutriebantur, [37] Absconditus est suapte natura thesaurus hic et a servis Dei magis magisque absconditur, nam: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [38] Et cum dicit absconditum esse thesaurum hunc, adhuc abscondendum monet: *Mortificate ergo membra vestra quae sunt super terram.* [39] Sic ait quod qui thesaurum invenit, *abscondit et vadit ac vendit prae gaudio universa quae habet et emit agrum illum.* [40]

sed absconditus, quia bona quae promittit spiritualia sunt.

Quibus verbis Dominus ostendit quomodo coelestis thesaurus conservandus sit et quanti faciendus, quod propter eum parvipendenda sunt omnia, omnia pessumdanda. Sic Paulus ait: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam;* [41] sic Petrus ait: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te;* [42] sic quando una cum fratre Andrea vocatus fuit a Christo, statim relictis omnibus secuti sunt eum. [43] Ita nunc etiam multi divina inspiratione moti, a Christo vocati, praegustata spiritus dulcedine, unde omnis desipit

Ostendit Dominus quomodo thesaurus iste conservandus sit.

31) Col 3, 1-5. 32) Cf. Ibid. 1, 13. 33) 1 Petr 2, 9. 34) Ps 30, 20. 35) Apc 2, 17. 36) Ibid. vr. 7. 37) Cf. Ex 16, 35; Sap 16, 20. 38) Gal 5, 24. 39) Col 3, 5. 40) Mt 13, 44. Vulg.: *Et prae gaudio illius vadit et vendit*, etc. 41) Phil 3, 8. 42) Lc 18, 28. Vulg.: *Dimisimus*, etc. 43) Cf. Mt 4, 18-20; Mc 1, 16-18; Lc 5, 4-11.

caro, relinquunt mundum et omnia quae possident intrantes aliquam Sacrarum Religionum, ubi in perpetua obedientia, paupertate, castitate et poenitentia corporisque afflictatione et mortificatione carnis et sensus Christo serviant, et beatos se dicunt experimento probantes id quod Dominus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [44]

Secunda parabola docet Christus quomodo thesaurus iste augendus sit;

IV. Subiunxit autem Dominus alteram parabolam de negotiatore quaerente bonas margaritas, ad insinuandum atque docendum quod non sufficit inventum thesaurum conservare, sed quod satagendum est etiam illum augere et quod ad augendum thesaurum hunc multa opus est sollicitudine, qualis est diligentis marcatoris divitias suas adaugere cupientis: *Inventa,* inquit, *una pretiosa,* idest pretiosissima et optima, dedit omnia sua et comparavit eam. [45] Omnes virtutes sunt margaritae bonae et pretiosae, sed inter eas reperitur omnium optima et pretiosissima, caritas: *Nunc autem manent fides, spes, caritas... maior autem horum est caritas.* [46] Hoc satagendum est, ut perfecta caritate praediti simus, ut Deum ex toto corde super omnia et proximos nostros tanquam nos ipsos diligamus, nam: Si *caritatem non habuero, nihil sum... nihil mihi prodest;* [47] *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum... ut locuples fias et vestimentis albis induaris.* [48] Haec vestis est nuptialis, [49] haec stola prima qua indutus est prodigus filius a benignissimo patre. [50] Prudentia ergo et sollicitudine multa optimi negotiatoris opus est in vita christiana, ut semper meliora eligamus, ut coelestis gratiae thesaurum virtutum et bonorum operum meritis ex caritate augeamus, ne de nobis conqueratur Dominus quod *filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt;* [51] quod multo maiori prudentia, sollicitudine et diligentia utantur mundani mercatores ad cumulandos terrenos thesauros.

44) Mt 11, 28 sqq. 45) Ibid. 13, 46. 46) 1 Cor 13, 13. 47) Ibid. vrr. 2-3. Vulg.: *Caritatem autem non habuero,* etc. 48) Apc 3, 18. 49) Cf. Mt 22, 11-12. 50) Cf. Lc 15, 22. 51) Ibid. 16, 8.

Verum enimvero, quoniam non qui incepit, sed *qui ... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* [52] adiunxit Dominus et tertiam parabolam de sagena missa *in mare et ex omni genere piscium congreganti,* etc., [53] quam declarat Dominus dicens: *Sic erit in consummatione saeculi: exibunt Angeli et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium.* [54] Ubi indicat Dominus quod tantum boni, qui in fine tandem boni iustique invenientur, salvandi sint aeternaque gloria donandi: *Qui ... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

tertia autem parabola ostendit bonos tantum aeterna gloria donandos esse.

Nunc igitur videndum nobis est, fratres, an nos thesaurum hunc invenerimus, an inventum servaverimus et servatum adaugere sollicita negotiatione curaverimus. Invenimus quidem omnes, quia omnes in Christo baptizati sumus; sed hoc opus, an inventum servaverimus, si pro dignitate aestimaverimus: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti;* [55] *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* [56] Pluris, inquit, facienda est virtus quam thesaurus auri et argenti inaestimabilis, imo magis quam vita ipsa; sic enim idem ait: *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* [57] Misericordia, idest gratia Dei ipsimet vitae praeferenda est, sicut omnes Sancti Martyres fecerunt, nam et Christus ait: Qui non odit etiam animam suam, idest vitam propriam, *non est me dignus,* [58] *non potest meus esse discipulus.* [59] Ille igitur divinum hunc thesaurum servat qui vero iudicio super omnia aestimat, sicut vir nobilis et vere honoratus nobilitatem et honorem suum praefert omni thesauro; nam si, ut ille ait:

Gratia Dei omnibus terrenis bonis ipsique vitae praeferenda est,

«Non bene pro toto libertas venditur auro», [60]

quid de honore et nobilitate censendum est? Sed haec est vera nobilitas, hic summus christiani hominis honor, filium esse Dei et fratrem Christi, heredem Dei et coheredem Christi.

Sed quis non videat quam minimi fit talis ac tantus thesaurus? Quod minima etiam temporalia bona momentaneaeque voluptates et honoris punctuli vix alicuius momenti longe ei praeferuntur? Quia absconditus thesaurus hic est nec cognoscitur.

52) Mt 10, 22; 24, 13. 53) Ibid. 13, 47. 54) Ibid. vrr. 49-50. 55) Ps 118, 72.
56) Ps 18, 10-11. 57) Ps 62, 4. 58) Mt 10, 37. 59) Lc 14, 26.
60) *Fabulae Aeospianae*, fab. 54, *De Cane et Lupo*, interprete Gualtero Anglico. Hervieux *Les Fabulistes Latins*, vol. 2, pag. 344.

Ita etiam anima nostra.

Dignitas etiam rationalis animae, quae *ad imaginem et similitudinem Dei* [61] condita est, magnus est ac plane infinitus thesaurus, ita ut Christus, rerum sapientissimus ac iustissimus aestimator, dixerit: *Quid... prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* [62] Sed quia thesaurus hic absconditus est in agro corporis et carnis, vili ac nihili penditur.

Thesaurus paradisus est, Deum continens fontem omnium bonorum;

V. *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito.* Lapidem illum, ex quo Moyses aquam sitienti populo eduxit, thesaurum appellavit dicens: *Aperi,* Domine, populo huic *thesaurum tuum, fontem aquae vivae;* [63] sed abscondita manebat aqua in petra. Thesauro comparatur regnum coelorum, sed non dicitur quarumnam rerum thesauro, siquidem apud Ieremiam legimus *thesauros frumenti et hordei et olei et mellis in agro;* [64] apud Isaiam thesauros Ezechiae auri, argenti et aromatum odoramentorum suavissimorum ac pretiosissimorum. [65] Sed hic simpliciter dicitur simile thesauro, quoniam thesaurus hic, cum Deum contineat, bonorum omnium fontem, thesaurus est omnium bonorum.

Duplex thesaurus legitur in hodierno Evangelio: thesaurus absconditus in agro, qui sorte inventus est, et thesaurus patrisfamilias, *qui profert de thesauro suo nova et vetera;* [66] ille virtutum thesaurus est ad voluntatem spectans, iste vero scientiarum spectans ad intellectum. De utroque Isaias: *Divitiae salutis sapientia et scientia;* sed *timor Domini ipse est thesaurus eius.* [67] Quare etiam Sacra Scriptura tum Veteris tum Novi Testamenti veluti thesaurus quidam est: *Omnis scriba doctus in regno coelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera;* [68] Sacra nanque Scriptura thesaurus est scientiarum omnisque veritatis, non enim nisi vera docet.

significat etiam summam virtutum.

Simile est regnum coelorum thesauro. Divinus hic virtutum thesaurus est veluti thesaurus ille, quem paravit David rex ad aedificandum templum Domini in Ierusalem magnificentissimum ac

61) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 62) Mt 16, 26. Vulg.: *Si mundum universum,* etc. 63) Nm 20, 6. 64) 41, 8. Vulg.: *Thesauros in agro,* etc. 65) Cf. 39, 2-4. 66) Mt 13, 52. 67) 33, 6. 68) Mt 13, 52.

gloriosissimum,[69] veluti thesaurus quem regina Saba attulit Salomoni, infinitam propemodum copiam auri, gemmarum et aromatum[70] et sicut thesauri Magorum, qui obtulerunt Christo Domino aurum, thus et myrrham;[71] continet enim aurum caritatis, gemmas virtutum et donorum Spiritus Sancti, thus orationis et myrrham perfectae mortificationis: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

Simile est regnum coelorum thesauro, utique magno, nam si parvus esset et qui transferri commode posset, non satageret emere agrum inventor ad eum possidendum, sed intempesta nocte illum transferret in domum suam. Invenitur autem non in civitate, sed in agro; ergo ab homine agricola fodiente terram lucrandi victus causa. Sic Christus pauperes potius et ignobiles vocavit ad regnum coelorum, Apostolos et discipulos pauperes elegit, quoniam hi multo sunt aptiores ad regnum coelorum assequendum, sicut Dominus ait: Impossibile est divites intrare in regnum coelorum, sive: *Quam difficile qui divitias habent in regnum Dei intrabunt!*[72] videns quod dives ille qui salvari cupiebat, audito: *Vade* et *vende* omnia *quae habes et da pauperibus... abiit tristis.*[73]

Docet Dominus quam necessaria sit ad salutem prudentia et diligentia.

Duos mercatores legimus in hodierno Evangelio, sed alterum quidem valde fortunatum, alterum vero valde prudentem ac diligentem, utrunque vero viliora vendentem ac pretiosiora ementem. Quare docet hic Dominus quod fidelis quisque necesse est ut mercator sit, sed prudens et diligens, qui vendat vilia ut emat pretiosa; quare veluti cum Salomone nobis dicit: *Fili mi... audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentiae, si quaesieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies.*[74] Illud studium illamque diligentiam requirit a nobis ad gratiam et gloriam Dei assequendam, quae adhibetur a mercatoribus saeculi in acquisitione pecuniae. Sed *filii huius saeculi prudentiores,* etc.[75]

69) Cf. 1 Par 29, 1-5. 70) Cf. 3 Rg 10, 1-13; 2 Par 9, 1-12. 71) Cf. Mt 2, 1-11. 72) Lc 18, 24. 73) Mt 19, 21-22. 74) Prv 2, 1-5. 75) Lc 16, 8.

IV. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit et prae gaudio, etc.[1]

His parabolis ostenditur quam acceptae Deo sint animae sanctae.

I. Cum celebremus hodie festum beatae Virginis huius, dilectissimae sponsae Christi, proponit nobis Sancta Ecclesia parabolas has de thesauro abscondito sed invento, et de margarita pretiosa, vel ostendere volens quod Virgo haec sanctissima thesaurus fuit quidam coelestis et pretiosissima margarita, nam: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum;*[2] *Habemus thesaurum... in vasis fictilibus;*[3] et magnus sacerdos summusque pontifex pretiosissimas gemmas in pectore supra cor gestabat,[4] in signum quod animae sanctae Deo sunt carissimae et pretiosissimae; vel ad designandum quod Virgo haec Dei gratia simul fortunatissima fuit et prudentissima. Siquidem fortunatissimus habetur qui sorte thesaurum invenit, et prudentissimus mercator qui, inventa pretiosissima margarita rege digna, qualis erat illa Cleopatrae reginae, quae a Plinio libro 9, capite 35, dicitur singulare et unicum naturae opus,[5] vel sicut gemma illa Pyrrhi regis, in qua sponte naturae cernebantur novem Musae cum suis insigniis, Plinius libro 37, capite 1, et Apollo cum lyra vel cithara in manu,[6] sic, inquit, inventa una pretiosa margarita prudens mercator, sciens rege dignam, abiit et vendidit omnia quae habuit et emit eam[7] tanquam inaestimabilem thesaurum, certo sciens quod si eam vel regi, qui gemmis summopere delectatur, munus offerat donoque det, vel etiam vendat, perpetuo ditissimus et felicissimus sit futurus.

Thesaurus inventus primam gratiam significat,

II. Duo igitur simul coniungit Christus in hodierno Evangelio: bonam sortem felicemque fortunam inventionis thesauri una cum virtute et valore prudentis negotiationis in emptione pretiosae margaritae. Hoc autem mysterium est, quod prima quidem gra-

1) Pericope huius festi Mt 13, 44-55. Cf. Missale Rom., quarta Missa. Codex f. 92.
2) Mt 12, 35; Lc 6, 45. 3) 2 Cor 4, 7. 4) Cf. Ex 28, 6. 21. 5) *Hist. Nat.*, pag. 102. 6) Ibid. pag. 411. 7) Cf. Mt 13, 44.

tia merum Dei donum est, veluti thesaurus casu et fortuna inventus, secunda autem gratia virtute et diligentia quaerenda est. Haec duo simul complexus est Isaias dicens: *Quaesierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt me... Ecce ego, ecce ego ad gentem, quae non invocabat me.*[8] Nisi forte duplici hac parabola designatur id quod Divus Iacobus ait: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;*[9] et Regius Vates: *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.*[10] Thesaurus inventus gratia est, margarita empta gloria, quae non datur nisi ex virtutum meritis, ad quae duo allusisse visus est manifeste Ioannes in *Apocalypsi* dicens: *Vincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.*[11] Quod hic dicitur *manna absconditum,* idem est ac thesaurus absconditus, erat enim manna veluti thesaurus omnium desiderabilium saporum;[12] calculus autem candidus idem ac margaritum est pretiosum. De thesauro et manna abscondito dixit Regius Vates: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[13] et alibi: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.*[14]

margarita empta gloriam quae datur ex virtutum meritis;

Gratia igitur thesaurus est sorte et fortuna inventus, nam non ex meritis, alioquin non esset gratia.[15] Sorte et fortuna invenit thesaurum hunc mulier samaritis, cui dixit Dominus: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitam petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam,* salientem *in vitam aeternam.*[16] Casu invenit Paulus, cum de coelo occurrit ei Dominus eumque ad fidem suam convertit eumque gratia sua sanctificavit;[17] sic Paulus veluti casu thesaurum inaestimabilem invenit, quemadmodum Saul regnum cum asinas quaereret[18] et David cum oves pasceret.[19] Iacob Patriarcha magnum thesaurum invenit in Bethel, cum ap-

gratia enim merum donum Dei est.

8) 65, 1. Vulg.: *Non invocabant nomen meum.* 9) 1, 17. 10) Ps 83 (hebr. 84), 12. 11) 2, 17. 12) Cf. Ps 77, 25; Sap 16, 20. 13) Ps 30, 20. 14) Ps 18, 11. 15) Cf. Rom 11, 6. 16) Io 4, 10-14. 17) Cf. Act 9, 1-16. 18) Cf. 1 Rg 9, 1 sqq. 19) Cf. ibid. 16, 2-13.

paruit ei Deus in cacumine scalae coelestis;[20] Moyses, cum ei visus est Deus in monte sancto.[21]

thesaurus infinitus;

Hodie vero beatae Virgini huic accidit sicut Rebeccae virgini pulcherrimae. Cum enim ad puteum ivisset ad hauriendam aquam, ibi invenit Eliezer servum unicum sanctissimi patriarchae Abrahami, qui magnum ei dedit thesaurum rerum pretiosissimarum eamque duxit ut esset sponsa Isaac, unici et dilectissimi filii Abrahami magnique principis.[22] Sic, inquam, Spiritus Sanctus Virgini huic magnum contulit thesaurum gratiae et donorum coelestium, ut Christi unigeniti Filii Dei sponsa esset dignissima.

margarita autem pretiosissima est aeterna felicitas.

Gratia igitur infinitus thesaurus est, quoniam pretium est sufficiens et condignum ad emendum regnum coelorum. Bone Deus, ad emendum ab imperatore regnum qualis quantusque thesaurus requiritur! Margarita autem pretiosissima gloria paradisi est, inaestimabilis summaque et aeterna felicitas incomprehensibilis, hinc ait quod *in calculo candido nomen scriptum* est *quod nemo novit, nisi qui accipit.* Unus sol in coelo luce replet et satiat omnes stellas; sic una summa Dei bonitas replet et satiat omnes Sanctos et electos Dei omnesque Angelos.

Per thesaurum gratia designatur, quia est maximum donum Dei,

III. Sed quid est quod gratia per thesaurum designatur, gloria vero per margaritam, cum margarita non sit nisi pars quaedam thesauri? In regis thesauro multa servantur vasa aurea atque argentea, multae gemmae et lapides pretiosi. Sed non mirum, nam P a u l u s *ad Romanos* docere videtur quod multo maius donum Dei sit gratia quam gloria, ait enim: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc iustificati in gratia ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.*[23] Argumentatur P a u l u s a minore ad maius, veluti diceret: Si Deus infinita caritate sua di-

20) Cf. Gn 28, 10-13. 21) Cf. Ex 3, 1-2. 22) Cf. Gn 24, 42-61. 23) 5, 8-10. Vulg.: *In sanguine ipsius*, etc. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribu sautem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Secundum tempus Christus pro nobis*, etc.

lexit inimicos, ita ut in filios adoptaret heredesque constitueret, multo magis diliget reconciliatos iam amicos et filios effectos; multo maius est ut rex filium inimici sui tantopere diligat, ut adoptet in filium et heredem, quam ut postea possessionem hereditatis ei tribuat.

Specialis autem ratio est quoniam, cum nos Deus gratia sua iustificat et sanctificat, dat nobis Spiritum Sanctum. Hoc est enim quod in baptismo descendit, aperto coelo, Spiritus Sanctus et vox Dei audita est: *Hic est Filius meus.*[24] Bone Deus, quale donum, qualis thesaurus est, quem homini Deus absque ullis meritis propriis confert in sacro Baptismo! Donum filiationis, donum Spiritus Sancti et certam promissionem regni coelestis. Hac igitur ratione docet Paulus quod maius donum est iustificare hominem quam beatificare, et propterea in hodierno Evangelio gratia comparatur thesauro, gloria vero margaritae, sed pretiosissimae. quae hominem iustificat, sanctificat, et Spiritu Sancto replet,

Sed utrunque docet Christus pluris faciendum et anteferendum bonis omnibus temporalibus, nam qui invenit thesaurum, *vendidit universa quae habuit et emit agrum;* similiter et qui pretiosam invenit margaritam, ad eam emendam omnia sua vendidit, quemadmodum diviti illi iuveni Christus dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum* magnum *in coelo.*[25] Quare etiam haec pretiosa margarita magnus thesaurus est et inaestimabilis, siquidem etiam margarita videtur gemmarum omnium excellentissima, nam Plinius ait libro 9, capite 35, gemmas omnes pretio superare.[26] per margaritam vero vita aeterna

Simile est regnum coelorum thesauro. Coelum istud veluti thesaurus Dei est, nam sol est veluti massa aurea, luna tanquam massa argentea, stellae sunt innumerae gemmae et pretiosissimae margaritae; sed thesaurus iste non est absconditus, patet oculis omnium. Deus ipse thesaurus est infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, gloriae et maiestatis, thesaurus omnium divitiarum, hinc hebraice dicitur צוּר, quasi אוֹצָר;[27] hinc designatur per aureum propitiatorium in sancto sanctorum; hinc Moyses sub pedibus eius vidit lapides sap- quae est thesaurus omnium divitiarum Dei.

24) Mt 3, 17; Mc 1, 11. 25) Mt 19, 21. 26) *Hist. Nat.*, pag. 101.
27) Ms.: *Zur* et: *Ozar.*

phirinos[28] et veluti coelum cum est serenum; hinc Ezechiel vidit eum sedentem super solium sapphirinum et ipse erat quasi aspectus electri,[29] quod metallum est auro et argento constans atque fulgens,[30] et in *Apocalypsi* visus est Ioanni similis lapidi iaspidis et sardinis.[31] Et in visione quidem Ezechielis, cum totus aureus apparuit, ignis ac solis instar fulgens, in throno sapphirino sedens, visus est veluti aurum in gemma repositum, cum e contra fieri soleat, nam in anulis aureis coronisque regiis reponuntur gemmae, id quod pretiosius est in minus pretioso; sed etiam nihil est auro hoc pretiosius, cum etiam thronus ipsam Dei essentiam significet; nam nonnisi in seipso capit Deus, hinc in *Apocalypsi* templum dicitur paradisi: *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est.*[32] Manebat tamen thesaurus iste absconditus in nube obscura, sicut etiam apparuit populo super montem Sinai.[33]

Christus etiam per thesaurum absconditum figuratur;

IV. Christus etiam thesaurus est, *Rationale* summi pontificis, quod totum auro gemmisque constabat.[34] Talem etiam eum nobis veluti depingit sponsa in *Canticis* dicens: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum... manus eius aureae tornatiles, plenae hyacinthis; venter eius eburneus, distinctus sapphiris; crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas;* tandem concludit: *Totus* ipse *desiderabilis,* sive *totus ipse desiderabilia.*[35] Sed absconditus erat thesaurus: *Capilli capitis eius sicut elatae palmarum, nigrae sicut corvus.*[36] Latebat Christi gloria sub carnis mortalitate, sub humilitate et paupertate, sub forma servili, sicut aliquando sol latet sub nube, nam ait: *Solem nube tegam.*[37] Non cognoscebant filiae Ierusalem sponsum, quare dicebant: *Qualis est dilectus..., ex dilecto?... Qualis est dilectus... ex dilecto ?*[38] Sed cum didicissent a sponsa, statim dixerunt: *Quo abiit dilectus tuus... et quaeremus illum tecum ?*[39] Tunc invenitur thesaurus hic cum vere cognoscitur.

Paradisus coelestium deliciarum thesaurus est; hinc Ioannes

28) Cf. Ex 24, 10. 29) Cf. Ez 1, 26-27. 30) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 33, cp. 4, pag. 587. 31) Cf. 4, 3. 32) 21, 22. 33) Cf. Ex 19, 16-18. 34) Cf. Ibid. 8, 15. 35) 5, 10-16. Vulg.: *Manus illius tornatiles aureae*, etc. 36) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Comae eius sicut elatae.... quasi corvus.* 37) Ez 32, 7. 38) Ct 5, 9. 39) Ibid. vr. 17. Vulg.: *Quaeremus eum tecum.*

in *Apocalypsi* paradisum describit civitatem maximam, cuius fundamenta sunt ex pretiosis lapidibus, muri, aedificia, plateae, viae omnes, omne pavimentum civitatis ex auro purissimo, portae omnes ex pretiosissimis margaritis.[40] Videtis inaestimabilem thesaurum? Sic sanctum sanctorum Salomon totum deauravit nec nisi aurum ibi purissimum cernebatur;[41] sed absconditus erat thesaurus, videri non poterat, sanctum sanctorum opertum erat velo. Paradisus supercoelestis absconditus est ab oculis nostris; Paulo autem revelatus fuit thesaurus iste, cum ad tertium usque coelum raptus fuit in paradisum;[42] latro etiam thesaurum hunc invenit in cruce.[43] Animae Sanctorum Patrum, quae detinebantur in Limbo, in sinu Abrahami, dicuntur in Sacris Litteris thesaurus; sic enim O s e a s ait: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. Consolatio abscondita est ab oculis meis . . . ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis;*[44] omnis nanque anima sancta pretiosa margarita est auro inclusa, gemma inaestimabilis. Thesaurum autem hunc homo Christus Dominus invenit in visceribus terrae descendens ad inferos secumque eduxit resurgens ex mortuis. Erat absconditus hic thesaurus: *Consolatio abscondita,* nam consolabatur Lazarus in sinu Abrahami,[45] sed abscondita erat haec consolatio.

paradisus quoque, qui est thesaurus omnium coelestium deliciarum.

Sciendum autem quod etiam infernus dicitur thesaurus, sed irae Dei, in Sacris Litteris, de quo P a u l u s : *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[46] Et quidem hic quoque thesaurus absconditus est nunc ab oculis nostris; sed revelabitur aliquando, invenietur, at non cum gaudio, sed cum infinita aeternaque tristitia: *Mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus.*[47]

Infernus etiam thesaurus dicitur, sed irae Dei.

Triplex thesaurus reperitur in Scripturis Sanctis: coelestis: *Habebis thesaurum* magnum *in coelo ;* terrenus, qui dicitur thesaurus impietatis et iniquitatis, sic S a l o m o n *Proverbiis* 10: *Nil proderunt thesauri impietatis, iustitia autem liberat a morte ;*[48] et

Triplex thesaurus reperitur in Scripturis Sanctis.

40) Cf. 21, 10-21. 41) Cf. 2 Rg 3, 8. 42) Cf. 2 Cor 12, 2-4. 43) Cf. Lc 23, 43. 44) 13, 14 sq. 45) Cf. Lc 16, 25. 46) Rom 2, 5. 47) Mt 13, 42. 48) Vr. 2. Vulg.: *Iustitia vera*, etc.

Michaeas: *Ignis in domo impii thesaurus iniquitatis,*[49] nam divitias Christus dixit mammonam iniquitatis;[50] et tandem thesaurus infernalis, qui thesaurus est irae Dei.[51] Omnis homo, fratres, necesse est ut inveniat aliquem thesaurum, non dico terrenum in praesenti saeculo, sed vel thesaurum bonitatis Dei in coelo, vel thesaurum irae in inferno. In morte semper alteruter invenitur thesaurus. Qui sibi thesaurizavit in coelo, ibi thesaurum inveniet; qui thesaurizavit sibi in terra, thesaurum suum inveniet in inferno: *Qui seminat in carne... de carne... metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.*[52] Inveniendus nobis thesaurus est, sed vel infinito cum gaudio, vel infinita cum tristitia, nam vel boni vel mali pisces tandem inveniendi sumus: si boni, colligemur in vasis; si mali, foras mittemur, *exibunt* enim *Angeli et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium.*[53] ...

49) 6, 10. Vulg.: *Thesauri iniquitatis.* 50) Cf. Lc 16, 9. 51) Cf. Ier 50, 25; Rom 2, 5. 52) Gal 6, 8. 53) Mt 13, 49-50.

COMMUNE VIRGINUM

Simile est regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso. [1]

Hac parabola Dominus mysteria divini iudicii repraesentat.

I. Praesenti hac hodierni Evangelii parabola Dominus mysteria futuri universalis iudicii nobis ante oculos ponit; nam cum de signis iudicii universalis verba fecisset, [2] postea ipsum iudicium quibusdam parabolis tanquam vivis coloribus depictum nobis voluit repraesentare, quod etiam figuris indicaverat, dicens quod erit iudicium simile diluvio in diebus Noe [3] et incendio Pentapolis in diebus Loth. [4] Hoc autem duabus praecipue parabolis agit: praesenti hac decem virginum et altera, post hanc immediate posita, quinque talentorum; [5] post quas parabolas mox apertis verbis de iudicio disserit dicens: *Cum... venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli* eius *cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae*, etc. [6] Ubi ergo Dominus apertis verbis de iudicio disserit, lucide praesentem hanc parabolam declarat, quod quinque virgines prudentes sint oves, sint electi statuendi a dextris et benedicendi vitaque et gloria sempiterna donandi; quinque vero virgines fatuae sint reprobi fideles, haedi ponendi a sinistris maledicendi et ad aeternum ignem cum diabolo et angelis eius damnandi. [7] Declaratur etiam quod oleum pietatem, caritatem et misericordiam designat: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare*, etc., [8] defectus autem olei, defectus misericordiae: *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare;* [9] *Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam.* [10]

1) Pericope huius festi Mt 25, 1-13. Cf. Missale Rom. Codex f. 94. 2) Cf. Mt 24, 1 sqq. 3) Cf. Gn 7, 1 sqq. 4) Cf. ibid. 19, 24-29. 5) Cf. Mt 25, 14-30. 6) Ibid. vr. 31. 7) Cf. ibid. vrr. 32-33. 8) Ibid. vr. 35. 9) Ibid. vr. 42. 10) Iac 2, 13. Vulg.: *Illi qui non fecit misericordiam.*

Decem virgines fidelium Ecclesiam designant.

Quoniam vero, ut ipsemet Christus ait, *qui ... non credit iam iudicatus est*,[11] ita ut in die iudicii soli sint iudicandi fideles, ideo fidelium Ecclesiam per decem virgines designat: per virgines quidem, quoniam, ut Paulus *ad Ephesios* ait: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans* eam *lavacro aquae in verbo ... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiuscemodi, sed ut sit sancta et immaculata.*[12] Per virgines designat Ecclesiam, quoniam in fidelibus virginalem requirit puritatem et innocentiam; per decem vero [designantur fideles], quoniam fideles Christi sunt decem illi iusti, quos si Dominus reperisset in Pentapoli, eam igne coelesti minime succendisset,[13] nam propter iustos Deus mundum conservat, *iustus* autem *ex fide vivit*,[14] et divinum tabernaculum ex decem cortinis constabat.[15] Designantur etiam fideles per decem viros servos Gedeonis, una cum quibus destruxit aram Baal nemusque succidit quod erat circa eam;[16] itemque per decem candelabra aurea et decem mensas in templo Salomonis.[17] Numero etiam denario designantur fideles propter decalogum, unde etiam designata Ecclesia est per psalterium decem chordarum[18] et propter numeri perfectionem, nam denarius sphaera est omnium numerorum.[18a] Sunt etiam fideles omnes veluti decem digiti manuum Christi; sicut autem quinque digiti manus dexterae diligentes sunt et arte praediti ad faciendum omne opus, digiti autem sinistrae manus suapte natura pigri et negligentes sunt, nulla fere arte praediti, neque enim est qui sinistra manu scribat vel pingat aut suat vel simile aliquod opus faciat, sic ait: *Quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes.*[19]

oleum in lampadibus studium bene vivendi.

Sed unde cognoscitur earum vel prudentia vel stoliditas? Quia *quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt secum oleum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.*[20] Designat autem lampas exercitium et professionem virtutis, studium bene vivendi beneque agendi: *Sic luceat lux vestra*

11) Io 3, 18. 12) 5, 25-27. Vulg.: *Ut illam sanctificaret... aliquid huiusmodi*, etc. 13) Cf. Gn 18, 32. 14) Hab 2, 4; Rom 1, 17; Hebr 10, 38. 15) Cf. Ex 26, 1. 16) Cf. Idc 6, 27-28. 17) Cf. 2 Par 4, 7-8. 18) Cf. Ps 32, 2. 18a) Cf. S. Bonaventura Sentent., lib. 3, dist. 38, a. 2, q. 1, conclusio; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 18, cp. 14, col. 989. 19) Mt 25, 2. 20) Ibid. vrr. 3-4. Vulg.: *Oleum secum*, etc.

coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est. [21] Non potest ardere lampas sine oleo, nec potest homo diu perseverare in exercitio virtutum et bonorum operum sine amore virtutis et sine vere bono animo bonaque voluntate ac desiderio coelestis gloriae; nam si quis bene operatur ex desiderio vanae gloriae et humanae laudis hypocritarum more, cito eius lampas extinguitur.

Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. [22] Non veniet ad iudicandum Christus, nisi prius completus fuerit numerus omnium electorum omniumque fidelium, quos Deus ab aeterno praevidit et praeordinavit fore in Ecclesia; hoc est: *Dormierunt omnes.* Somnus hic mortem significat, quae apud Deum somnus est, ea enim facilitate Deus suscitat mortuum, qua nos excitamus dormientem. Hinc dixere poetae quod somnus frater est mortis, eo quod dormiens sit mortuo similis; hinc Virgilius ait: somnius vero mortem.

«Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti»; [23]

et Ovidius:

«Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?
«Longa quiescendi tempora fata dabunt». [24]

Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei. [25] *Media nocte,* cum iam omnes somnus occuparit, omnibus iam mortuis, veniet ad iudicandum Christus, *in iussu et... voce Archangeli et in tuba Dei descendet de coelo;* [26] *tunc surrexerunt omnes virgines illae:* [27] haec est generalis resurrectio omnium mortuorum, qui ante tribunal Christi Angelorum ministerio congregandi sunt: *Congregabuntur ante eum.* [28] adventus sponsi universalem resurrectionem.

II. *Simile est regnum coelorum decem virginibus,* etc. Hodierni Evangelii parabola multas habet partes, in quibus multa et magna christianae philosophiae mysteria continentur, praecipue tamen haec sunt: collegium decem virginum, lampades in manibus, obviare sponso et sponsae, divisio collegii in duas partes, oleum in Multa mysteria continet haec parabola.

21) Ibid. 5, 16. 22) Ibid. 25, 5. 23)) *Aeneid.*, lib. 6, vr. 522. 24) *Amorum,* lib. 2, eleg. 9, vrr. 41-42. 25) Mt 25, 6. 26) 1 Thess 4, 16. 27) Mt 25, 7. 28) Ibid. vr. 32.

vasis cum lampadibus, somnus communis omnium, adventus sponsi, surrectio omnium a somno ad ornandas lampades, dialogus virginum et tandem ingressus prudentum ad nuptias et exclusio fatuarum. Virginale collegium procul dubio Sanctam Ecclesiam significat militantem in terris, quam Dominus designavit per decem servos accipientes decem minas;[29] communis virginitas communis omnium fidei integritas; lampades in manibus opera pietatis et religionis, quae fidem consequuntur et in honorem Christi fiunt, nam ad excipiendum cum honore sponsum *ornaverunt lampades suas*:[30] *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent*, etc.; sponsus Christus est in coelo regnans: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo;*[31] sponsa Ecclesia triumphans: *Astitit regina a dextris tuis*,[32] nam sponsa cum sponso ventura est: *Vidi civitatem sanctam, novam Ierusalem, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam* etc.;[33] divisio collegii, quod non omnes fideles boni sunt, non omnes electi, non omnes salvandi; sic in duas partes divisus fuit populus a Iosue, transmisso Iordane,[34] sic in duas partes divisa nomina tribuum gestabat sacerdos magnus in lapidibus onychinis;[35] oleum in vasis caritas vera, pietas et misericordia in corde, maxime erga pauperes Christi propter Christum: *Esurivi... et dedistis mihi manducare, sitivi*, etc.; *finis* nanque *praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta;*[36] somnus communis mors omnium ante iudicium itemque universalis resurrectio ad vocem Archangeli cum tuba Dei; tunc quisque seipsum disponet parabitque ut ante tribunal iudicis sistatur, tunc enim quisque opera sua quae fecit in memoriam revocabit: *Omnes enim nos stare oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit* in corpore, *sive bonum sive malum;*[37] dialogus significat malos tepidosque christianos nimis sero prudentes diligentesque fieri, nam: *Venit nox quando nemo potest operari:*[38] non erit tunc merendi tempus, non erit poenitentiae locus, neminem tunc iuvare poterunt Sanctorum

29) Cf. Lc 19, 12-27. 30) Mt 25, 7. 31) Ps 18, 6. 32) Ps 44, 10.
33) Apc 21, 2. Vulg.: *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam*, etc. 34) Cf. Ios 8, 33.
35) Cf. Ex 28, 9-12. 36) 1 Tim 1, 5. 37) 2 Cor 5, 10. Vulg.: *Manifestari oportet*, etc. 38) Io 9, 4.

suffragia. Non tamen negantur hic suffragia Sanctorum, cum dixerit Christus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula,* [39] sed quod in die iudicii non erit Sanctorum suffragiis locus; non dicit quod non possint aut quod nolint, sed quod tam sero dare nequeunt, nemo enim tunc sibi satis confidet, nemo satis se habere putabit, *iustus* enim *vix salvabitur,* [40] non enim *sunt condignae passiones huius temporis;* [41] ex propriis operibus meritisque nunc quisque, non ex alienis, erit iudicandus: *Resurgent qui bona egerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt,* etc.; [42] *Reddet unicuique secundum opera sua.* [43] Alioquin prodesse multis Sanctorum merita luce clarius est, nam propter merita Abrahae multa Deus concessit Hebraeis beneficia; [44] propter meritum Moysi dimisit illis peccatum, [45] propter merita David servavit partem regni filio Salomonis; [46] Christus propter meritum centurionis sanavit servum ipsius, [47] propter meritum chananitidis curavit filiam a daemone, [48] propter meritum Iairi archisynagogi suscitavit filiam, [49] propter meritum eorum qui per tectum dimiserunt paralyticum curavit eum, dimissis peccatis, [50] illi enim salutem impetrarunt a Domino, sicut Augustinus ait quod Stephanus Paulo fidem impetravit orando pro persecutoribus. [51] Non igitur, non igitur negantur hic Sanctorum suffragia, nisi tantum in die iudicii. Nuptiae gloriam paradisi designant: *Gaudeamus et exultemus... quia venerunt nuptiae Agni et uxor ipsius praeparavit se... Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt!* [52] Inclusio est benedictio: *Venite, benedicti Patris mei;* exclusio maledictio: *Ite, maledicti, in ignem aeternum,* [53] propter olei defectum: *Esurivi enim,* etc.

III. Est hodiernum Evangelium dogmaticum propter multa mysteria quae in eo continentur, criticum propter asperitatem **Est hoc Evangelium dogmaticum,**

39) Lc 16, 9. 40) 1 Petr 4, 18. 41) Rom 8, 18. 42) Io 5, 29. Vulg.: *Procedent, qui bona fecerunt,* etc. 43) Mt 16, 27; Rom 2, 6; Apc 22, 12. 44) Cf. Gn 13, 14-17. 45) Cf. Ex 32, 11-14. 46) Cf. 3 Rg 11, 12-13. 47) Cf. Mt 15, 22-28; Lc 8, 41-55. 48) Cf. Mt 15, 22-28. 49) Cf. Mc 5, 21-43; Lc 8, 41-55. 50) Cf. Mc 2, 3-12; Lc 5, 17-25. 51) Serm. 168, cp, 6, (P. L. 38, 914); serm. 317, cp. 2, ibid. 39, 1436. 52) Apc 19, 7-9. Vulg.: *Uxor eius praeparavit se.* 53) Mt 25, 34. 41. Vulg.: *Discedite a me,* etc.

criticum et paraeneticum; sententiae: *Amen dico vobis, nescio vos;*[54] paraeneticum: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*[55] Praecipue duo continentur in eo: meritum huius Virginis et praemium; meritum, inquam, virtutum eius, virginitatis, sanctitatis et divinae prudentiae; praemium, quia: *Quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias,*[56] siquidem per nuptias quas fecit rex filio suo, felicitas paradisi designatur.

docemur etiam fidem et bona opera nil valere sine caritate.

Docemur in hoc Evangelio ad salutem aeternam consequendam non satis esse fidem, quae in hoc Evangelio designatur per virginitatem, simulque inculpatam et sine crimine vitam, nam, ut Paulus ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes,* etc.; nec item satis esse bona opera una cum fide, nam: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et... tradidero,* etc.[57] Nam etiam quinque fatuae una cum virginitate habuerunt lampades ardentes in manibus; adhuc opus fuit oleo in vasis. Supernatat oleum ceteris liquoribus, et caritas virtutibus: *Nunc autem manent tria haec: fides, spes, caritas; maior autem,* etc.[58] Ita Paulus docet caritatem, praeter fidem et opera, esse summopere necessariam; si trium horum unum tantummodo desit, non patet aditus ad salutem. Ita opus est ut *sobrie... iuste et pie vivamus in hoc saeculo expectantes,* etc.[59] Sobrietas virginitas est, iustitia lampas accensa in manibus, pietas, quae ad omnia valet,[60] caritas.

II. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, etc.[1]

Valde laudantur in S. Scriptura virginitas et prudentia.

I. Celebrans hodie Sancta Mater Ecclesia festum gloriosae virginis, Christi sponsae, Sanctae N., duplici ex capite eam lectione huius Evangelii laudat: a virginitate et a prudentia; quod fuerit virgo, non fatua, sed prudens et sapiens, quae cum Christo hodie intravit

54) Ibid. vr. 12. 55) Ibid. vr. 13. 56) Ibid. vr. 10. 57) 1 Cor 13, 2-3. 58) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Fides, spes, caritas, tria haec,* etc. 59) Tit 2, 12-13. 60) Cf. 1 Tim 4, 8.

1) Pericope huius festi Mt 25, 1-13. Codex f. 95.

ad nuptias coelestis gloriae; quod fuerit virgo, sed *sancta corpore et spiritu;* [2] quod servaverit illud Salvatoris: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris* [3] et illud: *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* [4] Et quidem in Divinis Litteris magna tum virginitatis tum prudentiae laus est, nam virginitas quidem coelestium spirituum virtus est, Angelorum vita, sapphirinus ille divinitatis thronus apud Ezechielem, [5] nam sapphirus lapis est pretiosus, coelestis coloris, siquidem de sponso in *Canticis* ait sponsa: *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris,* [6] ad designandam Christi virginalem puritatem; nam castitas etiam est eburneus Salomonis thronus, [7] ebur enim candidissimum nullam patitur corruptionem, sic et virginitas semper candida et incorrupta manet. Prudentia vero supra modum in *Sapientia* Salomonis commendata a Spiritu Sancto est. [8] De prudenti autem hac virginitate sic apud Isaiam legimus: *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum; quia haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea et elegerint quae ego volui et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.* [9] Loquitur hoc loco Divinus Vates de eunuchis illis *qui se castraverunt propter regnum coelorum.* [10]

Tempore legis naturae et mosaicae virginitas culta non erat.

Non fuit autem culta virginitas tempore legis naturae et legis mosaicae, hinc eunuchi apud homines contemptui erant, licet necessitatem in virtutem convertentes, honestam Deoque placentem vitam ducerent in timore Domini; imo apud Iudaeos eunuchus omnibus erat privatus honoribus ex praescripto Legis, nam *Deuteronomio* 23 sic est litteris demandatum: *Non intrabit eunuchus in ecclesiam Domini;* [11] ingredi autem ecclesiam Domini est aliquid muneris vel officii aut dignitatis in republica aut templo exercere; nullam consequi poterant publicam functionem. Quare erat quisque eunuchus veluti arbor arida, quae aspicientium oculis nihili grata est et vix utilis est nisi ad ignem.

2) 1 Cor 7, 34. 3) Lc 12, 35. 4) Mt 10, 16. 5) Cf. 10, 1. 6) 5, 14. 7) Cf. 3 Rg 10, 18. 8) Cf. Prv 3, 11; 3, 13; 4, 5; 14, 29; 24, 3. 9) 56, 3-5. 10) Mt 19, 12. Vulg.: *Qui seipsos*, etc. 11) Vr. 1.

sed tantum in lege gratiae nota facta est gloria illius et pretium.

At Deus loquens de tempore legis gratiae ait: *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum*, quia, inquit, si eunuchi pietatis cultores fuerint et virtute praediti, *dabo eis in domo mea*, in Ecclesia militante et triumphante, *locum et nomen* multo *melius* multoque diuturnius nomine, quod sancti patres habent a posteritate. Non enim minus gloriosum est nomen Eliae, Elisei, Ieremiae et aliorum, quorum nullam legimus posteritatem, quam Abrahami, Isaac et Iacob aliorumque patriarcharum; sic in Novo Testamento non minus gloriosum est et aeternum nomen Apostolorum et apostolicorum virorum Basilii, Hieronymi, Augustini, Antonii, Benedicti, Dominici et Francisci, quam antiquorum patriarcharum: *Nomen*, inquit, *sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Sic beatissima haec Virgo, cuius hodie diem festum celebramus, non minus gloriosum nomen adepta est ex merito castitatis et professione virtutis[12] quam Sara, Rebecca, Lia et Rachel. Illos ergo beatificat ibi apud Vatem Deus, et hic in hodierno Evangelio Christus, qui non contenti sua castitate, debitum Deo cultum exhibent divinamque legem pro virili servantes, ea sectantur quae Deo magis placere intelligunt. Hoc est quod ait: *Simile est regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso.*

Hac parabola significat Dominus ad salutem requiri virginitatem et prudentiam.

II. Quoniam vero per decem virgines universa Ecclesia designatur, indicat Christus hac parabola duo haec vel maxime ad salutem necessaria esse: virginitatem et prudentiam, virginitatem honestatemque vitae, ut non secundum carnem vivamus, nam *si... secundum carnem*, inquit, *vixeritis, moriemini;*[13] per virginitatem summa vitae honestas intelligenda est, sicut Paulus *ad Ephesios* ait: *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.*[14] Eam honestatem vitae a nobis requirit Christus, quae ab honestissima virgine exigitur; naturali enim verecundia prohibente, virgo honesta nil turpe audet dicere, nec inhonestum quid novit proferre; sic, inquit, *omnis immunditia ... nec nominetur in vobis.* Hinc idem Paulus ait quod *qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;*[15]

12) Cf. Breviarium Rom., orat. 2 pro Virgine et Martyre. 13) Rom 8, 13.
14) 5, 3. 15) Gal 5, 24.

hoc est quod ait alibi Christus: *Sint lumbi vestri praecincti.* Subiunxit autem: *Et lucernae ardentes;* hoc est quod hic ait: *Quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes... Prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* [16] Prudentiam hic dicit sapientem et sagacem providentiam, quae in futurum sibi prospicit et praeparat necessaria et utilia quaeque, sicut prudens dicitur nauta, qui in longinquas oras navigaturus, navim instruit necessariis omnibus, ut ad quemcunque eventum adversae fortunae, ad superanda maris pericula parata sint omnia; sic prudens dux et imperator exercitus adversus hostem acturus bellum, prius quaecunque gerendo bello necessaria sunt praeparat providetque. Sic Christus prudentes sapientesque virgines appellat, quae sibi prospicientes, necessarium et abundans oleum compararunt.

III. Prudentis viri tria sunt vel maxime munera. Primum est, proposito fine, prospicere sibi ad eum consequendum media necessaria, utilia, sufficientia et quae sunt expedientiora et meliora; non enim temere nec praecipitanter operatur vir prudens, sed consiliatur et secum cogitat ut semper eligat meliora. **Prudentis viri est media necessaria ad finem prospicere**

Secundum est inquisita inventaque media disponere et ordinare ad finem eisque non abuti, sed optime uti eaque conservare, ut pro loco et tempore ea applicet ad opus quod intendit; sic vir prudens sollicitus est et diligens, nec inconsiderate aut negligenter vel inconstanter agit. **eaque ordinare,**

Tertium est solerti animo et mente perspicaci praevidere et evitare pericula prudenterque declinare emergentes difficultates et timere rationabilia pericula semperque abundanti cautela uti. **pericula praevidere et vitare;**

Sic fecerunt prudentes virgines: finis erat exire obviam sponso venienti ad suscipiendam sponsam nocturno tempore; lumine ergo opus erat ad depellendas tenebras noctis, hinc paraverunt sibi lampades, et oleum; nec tantum acceperunt lampades ut exirent obviam sponso, sed etiam ornaverunt, idest optime concinnaverunt. **sic virgines istae lumen paraverunt,**

Quoniam vero incerta erat hora adventus, *acceperunt oleum* non tantum in lampadibus, sed etiam in vasis, ut si, prorogante sponso **oleum providerunt,**

16) Mt 25, 2-4.

adventum, lumine consumptum foret oleum lampadarum, asservato in vasis oleo restaurarent; sic pericula quae facile evenire poterant praeviderunt eisque prudenter occurrerunt elegeruntque abundare in cautela. Necesse est enim tempora considerare, non tantum praesentia, sed etiam futura, nec tantum prospera et felicia, sed etiam adversa paratumque ad omnia esse. Prudens enim nauta navim instruit necessariis navigationi, non tantum tranquillo mari, sed etiam orta tempestate, et si opus fuerit, bellicam etiam munitionem parat propter piratarum incursus; nec quia facile potest octo vel decem diebus navigationem longinquam secundo vento absolvere, annonam providet pro paucis diebus, sed pro multis.

et prudenter sibi servaverunt.

Tandem quod illis necessarium erat prudenter sibi asservare noverunt, nam fatuis dicentibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur*, responderunt: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes et emite vobis,* [17] quod quidem significat quod in die iudicii nemo poterit iuvari meritis aut suffragiis Sanctorum. Haec igitur prudentia, fratres, ad salutem necessaria est. Sicut autem Philisthaei, mox ut Samsonem supernaturali virtute destitutum in manibus habuerunt, exocularunt erutis oculis, [18] ita daemones id satagunt, prudentiae oculos nobis eruere; et sicut Naas rex Ammonitarum Hebraeis voluit dextros eruere oculos, [19] ita diabolus nobis spiritualem prudentiam auferre, nam *prudentia carnis mors est.* [20]

III. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. [1]

I. Sanctam Ecclesiam hodie Christus decem virginibus comparat propter fidelium innumeram multitudinem, denarius enim numerus limes est omnium numerorum. [2] Sunt autem hae decem virgines

17) Ibid. vrr. 8-9. 18) Cf. Idc 16, 21. 19) Cf. 1 Rg 11, 2. 20) Rom 8, 6.

1) Pericope huius festi Mt 25, 1-13. Codex f. 98. 2) Quia omnes continet numeros. Cf. S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 3, dist. 38, a. 2, q. 1, conclusio; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 18, cp. 14, col. 989.

cum decem lampadibus [figuratae per] decem aurea candelabra in templo Salomonis, quorum quinque posita fuerunt ad dexteram divini oraculi et quinque ad sinistram, [3] et per decem luteres aeneos, quorum quinque positi fuerunt ad dexteram partem templi et quinque ad sinistram. [4] Ostendit autem Dominus hac parabola quod non omnes fideles salvantur et quod ad salutem duo necessaria sunt: virginitas et sapientia, nam quinque tantum virgines sapientes intraverunt cum sponso ad nuptias, non autem virgines fatuae. [5]

Ostendit Dominus hac parabola ad salutem duo necessaria esse.

Videndum autem nobis est quid virginitas ista significet quidve sapientia. Virginitas communis est virtus omnibus hisce decem puellis, quae universam Ecclesiam in parabola hac repraesentant. Quod autem omnibus fidelibus in Ecclesia commune est, non est caritas, non iustitia, sed fides. Fides omnibus membris Ecclesiae communis est virtus, hinc Paulus ait: *Aemulor... vos Dei aemulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo;* [6] et Deus per Oseam ait: *Desponsabo te mihi in fide.* [7] Virginitas ergo fidem significat, nam sicut virginitas est incorruptio et integritas carnis, ita fides est incorruptio et integritas mentis. Hinc synagoga, quandiu in fide cultuque veri Dei permanebat, *virgo Israel* dicebatur, [8] sed deficiens a cultu veri Dei ad cultum idolorum falsorumque deorum et in fide peccans, dicebatur *meretrix*, hinc Isaias ait: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* [9]

Virginitas fidem significat

Fides igitur recta, pura et integra virginitas est, quae ad salutem necessario requiritur; sed non sufficit, nam: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est.* Multi dicent Christo in die iudicii: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus... et virtutes multas fecimus?* Sed Christus dicet: *Nescio vos; discedite a me operarii iniquitatis.* [10] Sic in hodierno Evangelio dicunt fatuae virgines: *Domine, Domine, aperi nobis;* sed respondetur eis: *Amen dico vobis, nescio vos.* [11] Sicut autem vera virginitas apud Deum necesse est ut praeter carnis incorruptionem habeat etiam mentis

rectam, puram et integram;

3) Cf. 2 Par 4, 7. 4) Cf. 3 Rg 7, 38. 5) Cf. Mt 25, 6-10. 6) 2 Cor 11, 2. 7) 2, 20. Vulg.: *Sponsabo te,* etc. 8) Cf. Is 37, 22; Ier 18, 13; 31, 4. 21; Thr 2, 13. 9) 1, 21. 10) Mt 7, 21-23. Vulg.: *Qui facit voluntatem... nunquam novi vos... Qui operamini iniquitatem.* 11) Ibid. 25, 11.

incorruptam integritatem, sic et fides externa et interna necesse est ut sit: *Corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*[12] Et sicut difficile valde est virginitatem illibatam servare, maxime in tempore tentationis, cum intrinsecus tentat caro et extrinsecus adest amatorum sollicitatio, sic difficile valde est integram fidem servare in tempore tentationis, cum diabolus et ministri eius haeretici et infideles pro viribus impugnant ut expugnent. Cavendum autem est maxime ab avaritia, nam: *Radix... omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide,*[13] sicut Eva suasu serpentis cupiens gustare de ligno scientiae boni et mali.[14] Cavendum etiam a carnis cupiditatibus, nam propter carnis libertatem Salomon a fide excidit et in idololatriam lapsus fuit.[15]

sapientia autem bona opera;

At vero, uti diximus, quamvis integra fides perpetuo intacta servetur et ad salutem summopere necessaria sit, non tamen sola sufficit; nam quinquae fatuae virgines, etsi perpetuam virginitatem servarunt, non tamen nuptiale convivium meruerunt ob fatuitatem. Necessaria est ergo sapientia, nam virgines sapientes intraverunt cum sponso ad nuptias.[16] Nec tamen existimandum est quod ad salutem necessaria sit sapientia Salomonis, quod salvari non possint nisi viri omni scientia et sapientia instructi; sed moralis sapientia requiritur; non speculativa, nam *scienti... bene facere et non facienti, peccatum est illi,*[17] sed practica. Christus hodie virgines sapientes dicit, quae acceptis lampadibus accensis et oleo plenis, sumpserunt etiam aliud oleum in vasis, prudenter prospicientes in futurum ne forte, nimium tardante sponso, extinguerentur lampades si, consumpto oleo, aliud non haberetur quod possit apponi. Sapientes dicit, quoniam providerunt sibi omnia necessaria ad occurrendum sponso quacunque hora veniret, etiam si quarta vigilia noctis venturus fuisset. Vera autem sapientia caritas est, haec super omnia ad salutem necessaria est. Sapientia igitur christiana in eo consistit, ut quisque provideat sibi quaecunque necessaria sunt ad salutem, ut abundet potius bonis operibus quam deficiat.

12) Rom 10, 10. 13) 1 Tim 6, 10. 14) Cf. Gn 3, 1-6. 15) Cf. 3 Rg 11, 4-5.
16) Cf. Mt 25, 10. 17) Iac 4, 17. Vulg.: *Bonum facere*, etc.

Sapiens igitur virgo primo omnium accipit lampadem in manibus, ornat eam, implet oleo, accendit et vas plenum oleo sibi parat pro tempore necessitatis. Quod autem hic dicit Dominus virgines cum accensis lampadibus, alibi dixit: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris;*[18] et iterum: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.*[19] Lampas ergo accensa est bonum opus, vita honesta, conversatio bona, ut uno dicam verbo, vita exemplaris, quae hominibus magnae est aedificationis et dat sanctitatis odorem; vita enim sine bono nomine et fama virtutis lampas est extincta. Lampades autem non tantum accenderunt, sed etiam ornarunt. Morum autem elegantia magnum est vitae ornamentum, etiam si non omnis elegantia morum optimorum necessaria sit ad salutem. Impleverunt lampades oleo pietatis et bonae voluntatis, amoris virtutis et boni desiderii et accenderunt lampades per opera exemplaria et nominis claritatem famamque virtutis.

lampas vitam exemplarem,

Hoc autem omnes virgines fecerunt omnesque exierunt cum sponsa Sancta Ecclesia obviam sponso Christo per desiderium salutis aeternae, sperantes gloriam paradisi. Sapientes autem virgines hoc plus fatuis praestiterunt, quod fatuae quidem oleum in lampadibus tantum sumpserunt, at prudentes non tantum in lampadibus, sed etiam in vasis. Lampades, ut plurimum, ex vitro fiunt diaphano et translucido, ita quod videtur oleum quod est in ea, olearia autem vasa et lecythi testacea sunt, ex argilla, materia opaca et minime transparente. Hoc est discrimen inter veros iustos et hypocritas: isti virgines sunt stultae, omnia opera sua faciunt *ut videantur ab hominibus*[20] et de occultis apud Deum meritis nihil curant; iusti autem non sic, sed prius quaerunt placere Deo et postea hominibus, principaliter curant internam sanctitatem, quae soli Deo patet, et deinde externam, quae hominibus conspicua est. Nam sicut umbra sequitur corpus et agere videtur quidquid agit corpus, ita vita exterioris hominis sequitur vitam interioris, cum bene formatus est *in iustitia et sanctitate veritatis.*[21] Hinc de virgine vera dixit Paulus quod *cogitat quae Domini sunt quomodo placeat Deo... ut sit*

ut placeat non mundo sed Deo;

18) Lc 12, 35. 19) Mt 5, 16. 20) Mt 6, 5. 21) Eph 4, 24.

sancta corpore et spiritu;[22] *corpore* in oculis hominum, *spiritu* in oculis Dei; *corpore* per sanctitatem externam, *spiritu* per internam.

oleum tandem caritatem,

Hoc est habere oleum in lampadibus et in vasis, nam oleum in lampadibus videtur, oleum autem in vasis non videtur. Oleum igitur in vasis caritas est et vera gratia Spiritus Sancti, quae sanctificat animam coram Deo. Est autem oleum istud in vase opaco, ubi videri non potest, quoniam nemo scit *odio an amore dignus sit,*[23] et nemo est qui scire possit cuius meriti quisque sit apud Deum quandiu in mundo est.

sine qua omnia opera nullius meriti sunt apud Deum.

Fatuae autem virgines cum evigilassent a somno clamore expergefactae, tunc cognoverunt quod lampades extinguebantur, quia in die iudicii tunc omnes hypocritae certo experimento cognoscent quod opera, quae ex caritate non sunt facta, nullius meriti sunt apud Deum, sicut Apostolus ait: *Si linguis hominum loquar et Angelorum... si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam et... omnem fidem, ita ut montes transferam... si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.*[24] Nec tantum id certo experimento cognoscent, sed etiam quod tunc frustra a veris iustis opem et auxilium desiderabunt nihilque eos iuvabit. Quod autem prudentes virgines dicunt: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes et emite vobis,*[25] significat quod etiam iusti tunc certo cognoscent meritorum nil sibi superesse ac vix sibi sufficere bonorum operum merita ad gloriam consequendam: *Non* enim *sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis;*[26] hoc est quod Petrus dixit: *Iustus vix salvabitur,*[27] hoc est in die iudicii vix iustis suppetent sufficientia et condigna merita salutis aeternae.

Tria igitur necessaria sunt ad salutem: vita innocens,

II. Docet igitur Dominus in hac parabola quod tria necessaria sunt ad salutem: vita innocens et immaculata per observantiam mandatorum divinae legis, quae malum fieri prohibet. Haec est virginalis vita, non vivere secundum carnem, abstinere ab illicitis volup-

22) 1 Cor 7, 32-34. 23) Eccle 9, 1. Vulg.: *Amore an odio dignus sit.* 24) 1 Cor 13, 1-3. Inserit pericopen vr. 2 in vr. 3. 25) Mt 25, 9. 26) Rom 8, 18. 27) 1 Petr 4, 18.

tatibus et vitiis carnis, nam: *Si ... secundum carnem vixeritis, moriemini;* [28] et: *Qui ... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [29] Hoc primum est ad salutem necessarium.

Sed non sufficit declinare a malo, necesse est etiam facere bonum. Necessaria sunt bona opera, ut virgo habeat lampadem accensam in manu: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae accensae in manibus vestris; Ut videant opera vestra bona.* bona opera.

Et adhuc non sufficit etiam secundum hoc cum primo ad salutem, nam etiam hypocritae sic vivunt; bona opera sine caritate nullius sunt meriti apud Deum. Denaria, quamvis aurea vel argentea, in regno expendi non possunt nisi habeant imaginem et superscriptionem regis. Tertium igitur super omnia necessarium est caritas in Deum, recta et pura veraque gratia Spiritus Sancti, sanctificans animam. Hoc est oleum in vasis repositum, nam gratia Spiritus Sancti unctio dicitur et oleum laetitiae: *Unxit te ... Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis;* [30] hoc est oleum quod omnibus liquoribus superfertur ac supernatat, nam *maior ... horum est caritas,* [31] quae Deum unice super omnia diligit; hoc eleum est quo ungendum est caput Christi, [32] caput autem Christi Deus. [32*] caritas in Deum.

Totam autem hanc parabolam Christus eo direxit, ut semper vigilantes simus semperque parati; hic est parabolae huius scopus, hinc in fine subiunxit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* [33] Quid est *vigilate?* Nunquam dormiendum est? Profecto etiam sapientes virgines *dormitaverunt ... et dormierunt.* [34] Non hoc dicit Christus, sed ut vigilantes simus ad faciendum quod fecerunt virgines prudentes, ut provideamus nobis necessaria et semper sic provisi maneamus ne somnus mortis nos imparatos inveniat, sed ut, facta necessaria provisione, possimus dormire securi. Tota hac parabola Christus vigilantiam commendat.

III. Tria sunt nobis, uti diximus, ad salutem necessaria: fugere vitia et peccata, facere bona opera et vera caritate Deum diligere gratiamque Spiritus Sancti habere, quae in Sacramentis datur, maxime vero, post Baptismum, in sacramento Poenitentiae et Euchari- Ad gratiam acquirendam et servandam Sacramenta frequentare oportet.

28) Rom 8, 13. 29) Gal 5, 24. 30) Ps 44, 8. 31) 1 Cor 13, 13.
32) Cf. Mc 14, 3. 32*) Cf. 1 Cor 11, 3. 33) Mt 25, 13. 34) Ibid. vr. 5.

stiae. Quare haec nos, ut par est, frequentare oportet: sanctam Confessionem et sacram Communionem. Hic venditur hoc oleum; in Baptismo donatur, sed hic venditur: in Confessione emitur contritione, vel saltem attritione cordis et poenitudine animi doloreque peccatorum, et in Communione emitur devotione et oratione. Haec autem Sacramenta post iudicium non erunt; quamvis enim, quoniam indelebilis est sacerdotalis character, habebunt tunc etiam sacerdotes potestatem dimittendi peccata et consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, unde aiunt: *Ite potius ad vendentes,*[35] non tamen legimus quod vendentes vendiderint oleum fatuis virginibus, quae emere volebant necessarium oleum. Non erunt tunc amplius Sacramenta conferentia gratiam necessariam ad consequendam salutem aeternam. Nunc possumus necessarium oleum emere, tunc autem non poterimus; nunc igitur satagendum nobis est ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus.[36] Si nunc extinguitur lampas, deficiente oleo caritatis per peccatum mortale, possumus oleum a vendentibus emere, tunc autem non poterimus. Hic semper deberet esse omnium cogitationum nostrarum scopus in tota vita nostra, ut in gratia Dei decidamus. At *quia nescitis diem et horam* mortis, necesse est satagere ut semper in gratia Dei vivamus, ut quacunque hora venerit mors, nos paratos inveniat.

Tribus hisce gradibus scala coeli constat: fuga peccatorum, studio bonorum operum et vera in Deum caritate.

Scala coeli tribus hisce gradibus constat: fuga peccatorum, studio bonorum operun et recta in Deum caritate, quae scalae, cacumen est cui innititur Deus.[37] Hae sunt tres partes divini templi: atrium, sanctum et sanctum sanctorum.[38] Vigilandum nobis est, ut Divus Gregorius ait hoc loco, «ut bona opera quae agimus cum magna cautela teneamus, ne appetitus laudis subrepat et quod foris ostenditur, intus a mercede evacuetur».[39] Nam ob hanc causam in die iudicii, cum omnes virgines in media nocte ob adventum sponsi a clamore expergefactae fuerint, accidet quod ait Regius Vates: *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis:*[40] *viri divitiarum,* viri valde divites, qui omni virtutum supellectili hic videbantur ornati,

35) Ibid. vr. 9. 36) Cf. 2 Petr 1, 10. 37) Cf. Gn 28, 12-13. 38) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1-9. 39) *In Evangelia*, hom 12, (P. L. 76, 1118). 40) Ps 75, 6.

veluti pharisaeus ille: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo;* [41] sed in die iudicii nihil inveniet vir iste divitiarum in manibus suis. Accidet, sicut Isaias ait, quemadmodum esurienti qui somniat se manducare et bibere, sed cum evigilaverit, invenit se somnio delusum, [42] adhuc enim fame et siti laborat. Bona enim opera, nisi ex caritate fiant propter Deum, somnia sunt, imagines et umbrae bonorum operum, quae Deo placent et vitam aeternam merentur; sunt enim non apes mellificae, sed vespae apibus similes, sed non mellificae; sunt non aurum, sed cuprum, aurichalcum; non argentum, sed stamnum, sed plumbum, quod ignis facili negotio consumit et in nihilum redigit, non purificat sicut argentum et aurum; sunt sicut nummi adulterini, qui non in aede monetaria et argentaria principis officina vera regis imagine signati sunt, sed a falsis monetariis dolo et fraude conficti sunt, similes quidem nummis veris et currentibus, sed qui vere nullius sunt valoris.

IV. *Simile est regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso.* Est Evangelium hoc veluti magnus thesaurus auri, argenti et lapidum pretiosorum. Clavis autem huius Evangelii est ultima eius clausula: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam,* mortis utique et divini iudicii. De illa vigilantia loquitur Christus, de qua Paulus ait: *Evigilate, iusti, et nolite peccare,* [43] imo de qua idem Dominus paucis verbis ante parabolam hodierni Evangelii dixerat: *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam.* [44]

Gloriam paradisi Dominus convivium nuptiale vocat.

Duo sunt quae praecipue docet Dominus in hoc Evangelio, quorum alterum spectat ad finem nostrum, alterum vero ad media; alterum ad gloriam et vitam aeternam, alterum ad gratiam et virtutem; alterum ad praemium, alterum ad meritum; alterum est coelum apertum, alterum scala coeli; alterum terra promissionis, alterum iter per desertum; alterum patria est, alterum via. Gloriam paradisi comparat Christus in hoc Evangelio nuptiali convivio: *Quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias,* [45] et alibi dixit:

41) Lc 18, 12. 42) Cf. 29, 8. 43) 1 Cor 15, 34. 44) Mt 24, 43; Lc 12, 39. 45) Mt 25, 10.

Simile... est regnum coelorum homini regi qui fecit nuptias filio suo,[46] ad designandum quod vita aeterna ducetur semper cum infinita iucunditate et gaudio, infinita cum animi et corporis consolatione.

virtutem autem vigilantiam appellat.

Virtutem autem, quae ad salutem consequendam necessaria est, vigilantiam appellat dicens: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*. Et quidem multis nos ad vigilantiam parabolis Dominus cohortatur, quasi haec ad salutem consequendam et summopere necessaria sit et sufficiens, nam etiam in *Apocalypsi* legimus: *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua,*[47] et idem Dominus apud Lucam: *Beati servi illi quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis;*[48] ubi et subiungit: *Quod si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique.* Sic etiam apud Marcum: *Videte, vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit; sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam... et ianitori praecepit ut vigilet. Vigilate ergo... ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes;*[49] et iterum apud Lucam: *Vigilate... omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista quae futura sunt et stare ante Filium hominis.*[50] Quare nonnisi vigilantiam videtur exigere.

Vigilantia significat prudentiam et diligentiam ad bene operandum.

V. Sed videndum nobis est quidnam vigilantia ista significat. Paulus apostolus scribens *ad Thessalonicenses* ait: *Non dormiamus sicut... ceteri, sed vigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt; nos autem, qui diei sumus, sobrii simus.*[51] Et Dominus apud Lucam ait: *Attendite... vobis ne forte graventur corda vestra [in] crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa.*[52] Vigilantia opponitur somnolentiae, vigilia somno; somnus autem est veluti mortis imago, somno enim consopiuntur ac ligantur omnes corporis sensus, ita ut homo dormiens ad mortui instar nec videat, nec audiat, nec sentiat, nec penitus aliquid operetur; dormiens

46) Ibid. 22, 2. 47) 16, 15. 48) 12, 37-38. 49) 13, 33-36. 50) 21, 36. Vulg.: *Ista omnia*, etc. 51) 1 Thess 5, 6-7. 52) 21, 34.

enim nihil facit boni aut mali; qui autem vigilat, videt, audit, sentit, loquitur, movetur, exercet sensus externos et internos, semper aliquid agit. Vigilantia ergo significat prudentiam et diligentiam exercentem corporis et animi vires bene vivendo et operando. Quare quod prius dixerat Dominus prudentem virginitatem aut virginalem prudentiam, nunc vigilantiam dicit.

Multi satis sibi esse existimant ad salutem si a malis operibus abstineant, ab adulteriis, a furtis, ab homicidiis, a blasphemiis et similibus vitiorum pestibus; hinc nihil satagunt bene operari; ita vivunt ut sint tanquam dormientes, qui nihil faciunt boni aut mali: *Si dormit, salvus est;* [53] sed Lazarus mortuus erat. Qui sic dormit, mortuus est apud Deum. Opus est vigilia, exercitio sensuum interiorum et exteriorum ad salutem: *Surge qui dormis et exurge a mortuis;* [54] *Evigilate, iusti, et nolite peccare, ignorantiam enim Dei quidam habent.* [55]

ad salutem enim non sufficit abstinere a malo, sed oportet etiam bona facere.

Prudentiam Dominus cum vigilantia in hodierno Evangelio coniungit, sicut etiam P e t r u s : *Estote ... prudentes et vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.* [56] Prudentiam requirit, sed cum innocentia vitae, sicut alibi: *Estote ... prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* [57] Prudentiam hic Dominus appellat oculatam diligentiam. *Satagite,* fratres, ait P e t r u s, *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* [58]

53) Io 11, 12. 54) Eph 5, 14. 55) 1 Cor 15, 34. 56) 1 Petr 4, 7-8.
57) Mt 10, 16. 58) 2 Petr 1, 10.

PARS SECUNDA

DIES SANCTI ANDREAE APOSTOLI

Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres... mittentes rete in mare, et vocavit eos: *Venite post me et faciam,* etc.[1]

I. Quasi cervus nimio aestuans sitis ardore currit ad fontes aquarum ad explendam sitim, ita Christus hodie summo desiderio salutis nostrae flagrans, tanquam sitientissimus pergit ad aquas maris Galilaeae ibique sitim explet, conversis ad fidem suam hodie Petro, Andrea, Iacobo et Ioanne. *Ambulans Iesus iuxta mare:* non casu, sed data opera pergens, sicut venator ad venandum summo cum desiderio capiendi praedam et sicut mercator quaerens bonas margaritas;[2] ambulans sicut piscator ad piscandum mittitque verbi sui sagenam in mare, nam: *Simile est regnum coelorum sagenae missae in mari.*[3] Sicut Deus in mundi primordiis ambulans super aquas: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* creavit lucem: *Dixit... Deus : Fiat lux. Et facta est lux,* nam antea *tenebrae erant super faciem abyssi,*[4] ita hodie Christus ambulans iuxta aquas creat verbo suo novam fidei lucem in cordibus Petri, Andreae, Iacobi et Ioannis, qui antea tenebris obvolutum habebant intellectum: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei.*[5] Et sicut tunc efficax fuit Dei verbum, nam mox ut dixit: *Fiat lux,* statim *facta est lux* et lux qui-

Hodie Christus novam fidem creat in Apostolorum cordibus,

1) Pericope huius diei Mt 4, 18-22. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Mt 13, 45.
3) Ibid. vr. 47. 4) Gn 1, 2-3. Ordine inverso affert hos vrr. Vulg.: *Spiritus Domini ferebatur.* 5) 2 Cor 4, 6. Vulg.: *Lucem splendescere.*

dem *bona*,[6] sic efficax fuit hodie verbum Christi, nam mox ut dixit: *Venite post me... statim, relictis* omnibus, *secuti sunt eum.*[7]

qui Christum secuti, facti sunt Ecclesiae patriarchae.

Sicut vocavit Deus Abraham dicens: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum*,[8] statimque egressus est Abraham, sicut praeceperat illi Deus, Deumque secutus, factus est fidei pater,[9] ita hodie sanctissimi hi Apostoli promissis Christi illecti, sequuntur illum factique sunt summi Patriarchae Ecclesiae fideique patres optimi ac praestantissimi promissisque multo felicius potiti sunt quam Abraham. Sicut Deus fecit Moysen ex pastore ovium pastorem hominum, faciens eum synagogae principem,[10] et David similiter faciens eum Israelis regem,[11] sic ait his: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, eosque principes Ecclesiae constituit: *Constitues eos principes super omnem terram;*[12] sic et Ioseph pastor factus princeps Aegypti.[13]

Sicut Elias Eliseum vocavit et in prophetam unxit

II. Sicut Elias vocavit Eliseum, sic Christus hos Apostolos. Elias post ieiunium quadraginta dierum in deserto unxit Eliseum in prophetam;[14] sic Christus post ieiunium quadraginta dierum hos vocavit Apostolos.[15] Reperit Elias Eliseum arantem, et cum venisset ad eum, misit pallium suum super eum, qui statim, relictis bobus, cucurrit post Eliam. Christus est verus Elias, quod est D e u s m e u s D o m i n u s ; hic vocat Eliseum facto potius quam verbis, mittens pallium suum super eum, illud utique pallium quod ascendens in coelum dimisit ei; immisit super hos hodie Christus gratiam Spiritus Sancti, qua post Christi ascensionem cumulatissime fuerunt repleti,[16] cum sicut Eliseus duplicem spiritum veri Eliae acceperunt,[17] unde mox secuti sunt Christum sicut Eliseus Eliam: *Statim, relictis* omnibus, *secuti sunt eum.* Fuit enim verbum Christi non tantum expressivum et significativum, sed etiam effectivum, sicut

6) Gn 1, 4. 7) Mt 4, 22. Vulg.: *Continuo relictis*, etc. 8) Gn 12, 1-2. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Quam monstrabo tibi.* 9) Cf. Hebr 11, 8. 10) Cf. Ex 3, 1 sqq. 11) Cf. 1 Rg 16, 11-13. 12) Ps 44, 17. 13) Cf. Gn 41, 41-45. 14) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq. 15) Cf. Mt 4, 1-11. 16) Cf. Act 2, 1-4. 17) Cf. 3 Rg 2, 9-15.

in creatione mundi: *Dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt.* [18]

Et quidem Eliseus d i v i n a s a l u s interpretatur, nam pro Israelis salute unctus fuit propheta multaque miracula, accepto spiritu Eliae, in salutem Israelis operatus fuit et multo plura quam Elias. Nam de Elia quidem octo tantum miracula legimus: clausit coelum annis tribus et mensibus sex ne plueret, [19] multiplicavit farinam et oleum viduae sareptanae, suscitavit ei filium mortuum, [20] fecit descendere ignem de coelo ad comburendum sacrificium in Carmelo, [21] obtinuit suis precibus pluviam post tres annos, [22] fecit duabus vicibus descendere ignem de coelo super quinquagenarios missos ab impio rege Israelis ad capiendum eum, [23] et tandem divisit aquas Iordanis paulo ante quam assumeretur igneo curru in coelum. [24] Sed de Eliseo multo plura legimus, nam, rapto in coelum Elia, ipse Eliae pallio iterum aquas Iordanis divisit, [25] sanavit aquas Iericho, imposito vase novo pleno sale, [26] fecit dilacerari ab ursis pueros idololatrarum quibus maledixit, [27] impetravit fecunditatem mulieri sunamitidi, [28] eidem mortuum filium suscitavit, [29] impetravit aquas veluti alter Moyses trium regum exercitibus, [30] multiplicavit oleum viduae, [31] multiplicavit panes viginti ut ex eis centum homines saturarentur et superesset, [32] dulce fecit amarissimum pulmentum, [33] fecit natare ferrum in aqua et ab alveo fluminis sursum ascendere, [34] mundavit a lepra Naaman syrum, [35] infecit lepra Giezi hebraeum eiusque posteros ob avaritiam, [36] excaecavit ministros regis Syriae, ostendit Giezi exercitum Angelorum in sui defensionem, [37] fugavit ab obsidione Samariae exercitum Assyriorum fecitque in Samaria, quae eo ob famem devenerat ut mulier filium suum devoraret, [38] inopinatam abundantiam [39] et tandem etiam mortuus occisum hominem revocavit ad vitam. [40]

In salutem Israelis.

18) Ps 32, 9. 19) Cf. 3 Rg 17, 1; Lc 4, 25; Iac 5, 17-18. 20) Cf. 3 Rg 17, 8. 23.
21) Cf. ibid. 18, 21-40. 22) Cf. ibid. vr. 41. 23) Cf. 4 Rg 1, 9-14.
24) Cf. ibid. 2, 8-9. 25) Cf. ibid. vrr. 13-14. 26) Cf. ibid. vrr. 19-22.
27) Cf. ibid. vrr. 23-24. 28) Cf. ibid. 4, 8-17. 29) Cf. ibid. vrr. 18-37.
30) Cf. ibid. 3, 1-20. 31) Cf. ibid. 4, 1-6. 32) Cf. ibid. vrr. 42 sqq.
33) Cf. ibid. vrr. 38-41. 34) Cf. ibid. 6, 5-7. 35) Cf. ibid. 5, 1-14.
36) Cf. ibid. vrr. 21 sqq. 37) Cf. ibid. 6, 8-23. 38) Cf. ibid. vrr. 25 sqq.
39) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 40) Cf. ibid. 13, 20-21.

Ita Christus hos Apostolos vocat pro salute mundi.

Christus vero pro vera aeternaque mundi salute hos Apostolos hodie vocavit. Hi enim vere aquas Iordanis diviserunt sicut Iosue, ut per Iordanis medium electus Dei populus cum salute transiret, [41] in figuram Baptismi, his autem Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* [42] sic per Baptismum mundaverunt gentilem populum a lepra peccati, infecto hebraeo; hi steriles gentium aquas Evangelii praedicatione fecundaverunt, hi sterilem gentilitatem partu filiorum ditaverunt, hi multos spiritu coram Deo mortuos suscitaverunt, hi gratiae oleum multiplicaverunt, hi poenitentiae pulmentum amarissimum dulce fecerunt, hi fontem aquarum viventium universo mundo aperuerunt, hi ferrum humani cordis durum et grave desuper natare fecerunt per mirabilem gentium vocationem praedicatione crucis Christi, hi panem verbi Dei coelestisque doctrinae, quae panis est vitae aeternae, multiplicaverunt in mundo, hi mundum excaecaverunt in sapientia carnis et illuminaverunt in sapientia spiritus, hi mundi oculos aperuerunt ad videnda invisibilia coelestiaque arcana, hi, fugatis exercitibus infernalibus, magnam fecerunt in Ecclesia Dei abundantiam spiritualium alimentorum et mortui etiam mundo facti sunt post Christum causa aeternae vitae.

Figura istorum Apostolorum Moyses missus ad liberandum populum a servitute Pharaonis.

III. Pro salute igitur gentium vocantur a Christo hodie sanctissimi hi Apostoli: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum,* ut sicut Moyses eduxit filios Israel de Aegypto, [43] ita vos populum Dei de potestate tenebrarum educatis. Et quidem mirabile fuit quod Deus tunc ad tale tantumque opus, ad liberandum, inquam, populum suum de manu potentissimi et crudelissimi regis Pharaonis eumque educendum ex vastissimo Aegypti regno Moysen elegit pauperculum pastorem, virum quidem humano iudicio ad tale opus ineptissimum, cum nec loqui sciret: *Non sum,* inquit, *eloquens.* [44] Apparuit tamen ei in igne flammaque ardente in rubo, nec tamen comburente, eique munus tantae legationis imposuit, [45] virgam tantum pastoralem dans ei et dicens: *Virgam... hanc sume*

41) Cf. Ios 3, 15 sqq. 42) Mt 28, 18-19. 43) Cf. Ex 14, 19 sqq.
44) Ibid. 4, 10. 45) Cf. ibid. 3, 2-12.

in manu tua, in qua facturus es signa.[46] Sed opus ad quod elegit Christus Apostolos longe est mirabilius quam sit coelum maius terra, sol astrum splendidius luna, oceanum mare quovis lacu stagnoque amplius, elephas animal formica grandius, totus mundus una tantum eius minima parte. Nam Moyses ad unam tantum gentem mittebatur, sed hi ad omnes: Ite, *docete omnes gentes ; Praedicate Evangelium omni creaturae;*[47] utrunque quidem opus praedicatione veritatis perficiendum erat.

Arduum valde fuit opus Moysi iniunctum.

Sed videamus quid praedicandum erat, quibus, a quibus, quomodo, quanta cum difficultate et resistentia et tandem ad quid, quo fine. Et quidem perarduum quoad haec omnia fuit opus Moysi iniunctum quodque ipse aggressus est; nam Moyses quidem, qui ad praedicandum mittebatur, vir erat nullius tunc auctoritatis, vilis humillimaeque fortunae, quales sunt ovium pastores mercenarii, nam non suas sed Iethro pascebat oves.[48] Deinde, nec loqui expedite poterat: *Non sum eloquens*, sed balbutiens impeditaeque linguae erat; deinde, difficile valde erat ut gens innumerabilis uni tantum homuncioni fidem adhiberet omnesque eius persuasionibus assentirent, nam populo innumerabili praedicaturus erat. Tertio, praedicaturus illi erat terram patribus promissam, quam nemo illorum viderat, exigens ut Aegyptum, in quo omnes nati educatique erant, relinquerent cum domibus et possessionibus suis, facturi iter ad terram incognitam valdeque longinquam, cum mille periculis perdendi propria vitamque ipsam, nedum non acquirendi aliena. Quarto, contendendum illi erat cum potentissimo rege crudelissimoque tyranno Pharaone et cum universa Aegypto. Quinto, summae ei superandae vincendaeque difficultates erant ex parte tum Hebraeorum tum Aegyptiorum; et tandem sexto, difficillimum erat introducere populum illum in terram promissionis, quae tota munitissimis civitatibus gentibusque fortissimis plena erat; eiicere autem tot tantosque populos a patria terra summae difficultatis ac omnino insuperabilis videbatur.

Sed tamen opus ad quod destinati delectique sunt Apostoli infinitis gradibus superat opus ad quod Moyses fuit. Primo qui-

46) Ibid. 4, 17. 47) Mc 16, 15. 48) Cf. Ex 3, 1.

sed opus Apostolis commissum infinite superius est, agitur enim de conversione totius mundi;

dem, quia hic non unius tantum populi agitur temporalis corporalisque salus, sed omnium gentium totiusque mundi salus spiritualis et aeterna. Et Moyses quidem educatus fuit in regali palatio, a filia Pharaonis in filium adoptatus, [49] edoctus in *omni sapientia Aegyptiorum*, [50] et si ineloquens ipse erat, deputatus illi fuit adiutor eloquentissimus Aaron. [51] Deinde, Hebraeis praedicaturus erat hebraeus ipse illisque valde notus, qui in Deum credebant Deique promissa facta patribus suis expectabant, et nonnisi promissa haec illis praedicabat quae illi summopere et credebant et sperabant et desiderabant cupientes a durissima servitute et captivitate liberari. Quis enim captivus libertatem non desideret?

insuper Apostoli magis quam Moyses indocti et ineloquentes erant;

Et quoad Pharaonem, iam Deus dixerat illi: *Ecce constitui te deum Pharaonis*, [52] idest dedit ei potestatem omnimodam super Pharaonem, ut posset in eum facere quaecunque vellet ac si Deus esset; quare factus erat Pharaone multo potentior, quasi fortissimus gigas et Samson [53] quovis infirmo homine, quae sic poterat emergentes omnes, quamvis perarduas et alioquin invincibiles difficultates facillime vincere ac superare. Sed in hoc opere erant omni ex parte difficultates permaximae. Primo quidem, hi qui ad totius mundi conversionem deliguntur, ipso Moyse multo impeditioris linguae et ineloquentiores erant; nec tamen sicut ille in *omni sapientia Aegyptiorum* edocti, sed ignorantes omnium scientiarum ac ineruditissimi erant; nec educati in regalibus palatiis tamquam nobiles inter nobiles, sed erant pauperrimi et ignobilissimi omnium virorum, nec carne tantum et sanguine, sed etiam animo vilissimo, quibusvis cuniculis timidiores. Deinde, praedicandum illis erat Evangelium, quod captu et creditu difficillimum est, ut quod Deus sit unus et trinus, quod homo cum latronibus in cruce suspensus, mortuus et sepultus, esset vivus et verus Deus, quod mortui omnes sint resurrecturi et in aeternum victuri, quod sit in coelo paradisus deliciarum et in centro terrae poenarum infernus, [54] quod sub modici panis

Evangelium praedicare debebant hominum captu et creditu difficillimum,

49) Cf. ibid. 2, 5-10. 50) Act 7, 22. 51) Cf. Ex 4, 14-15. 52) Ibid. 7, 1. 53) Cf. Idc 15, 1-16, 1 sqq. 54) De loco inferni diversae sunt catholicorum sententiae. Suarez *De Angelis*, lib. 8, cp. 16: « Quod infernus sit sub terra dubitandum non est propter communem sensum Patrum ita intelligentium Scripturas, quae semper de inferno tanquam de loco inferiori hoc mundo visibili loquuntur, et ideo motum in infernum semper descensum appellant ». S. Augustinus cum dixisset: « Cuiusmodi sit (ignis inferni) et in

specie in Sacramento Altaris sit verum Christi corpus et alia huiuscemodi quae omnino sunt incomprehensibilia.

praedicare poenitentiam,

Quoad carnem vero praedicabant quod per poenitentiam et macerationem crucifigenda est cum suis vitiis et concupiscentiis,[55] quod spernenda sunt omnia terrena ac temporalia bona, honores, divitiae, voluptates, coelestiaque et aeterna a Deo post vitam hanc expectanda, quod tantum in Deo ponenda est omnis fides, spes, cogitatio, voluntas, amor et desiderium cordis nostri, et demum quicquid sensui humano carnique displicet, quae nec sapientissimi quique philosophi eloquentissimique persuadere unquam hominibus vel paucissimis potuissent, quamvis toto studio totisque nervis intentis huic rei summa cum diligentia operam darent.

praedicare omnibus gentibus quae Deum non cognoscebant et vitam brutissimam ducebant;

Et hoc quidem Evangelium sic summis difficultatibus plenum praedicandum erat non uni tantum genti, sed omnibus gentibus: *Praedicate Evangelium omni creaturae; Docete omnes gentes, baptizantes*, etc., et gentibus quidem non fidelibus, sed infidelibus et idololatris. Nam Moyses quidem Hebraeis tantum, qui Deum cognoscebant et in eum credebant, praedicavit, non Aegyptiis qui nec credebant nec agnoscebant Deum, idola tantum colentes. Sed hi gentibus qui Aegyptiis multo peiores infideliores que erant vitam brutissimam ducebant, adulteros scelestissimosque homines et meretrices publicas infamissimasque pro diis adorantes. Sed quam difficile homines vitia sua relinquunt, ambitiosi honores, avari divitias, luxuriosi voluptates, dici vix potest, quamque difficile credunt quae supra humanum captum humanamque existimationem sunt.

obsistere debebant Iudaeorum perfidiae et imperatorum gentilium crudelitati,

Quarto, his non unus tantum Pharao ut Moysi restiturus obstaturusque erat, sed romani imperatores omnes usque ad Constantinum a spirito satanico agitati, nam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*[56] Imo, quid dico? Primo contendendum cum perfidis Iudaeis fuit christiani nominis inimicis ho-

qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Divinus Spiritus ostenderit », *De Civitate Dei*, lib. 20, cp. 26, (P. L. 41, 682), quasi seipsum emendans, alibi subiunxit: « De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur ». *Retract.*, lib. 2, cp. 24, ibid. 32, 6in. Ad quam, postremam sententiam S. Auctor etiam inclinare videtur. Cf. *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 277; part. 2, pag. 205. 55) Cf. Gal 5, 24. 56) Eph 6, 12.

stibusque atrocissimis, deinde cum tyrannis gentilibus, cum Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino Vero, Severo, Maximino, Decio, Valentiniano, Aureliano, Maximiano et Diocletiano; ab his enim decem persecutiones gravissimas passa fuit Christi Ecclesia ante Constantinum; [57] et post eum a Iuliano Apostata, [58] a Valente imperatore ariano [59] aliisque arianis principibus et haereticis, et, ut uno dicam verbo, totus mundus obstitit huic operi ad quod Apostoli hi delecti ac delegati a Christo fuerunt. Et qualis quantaque haec resistentia fuerit non lingua dicat, sed sanguis innumerabilium Martyrum, millia enim millium et decies millies centena, [60] imo millena millium millenorumque millium passi sunt ad emergentes quotidie difficultates invincibiles superandas.

necnon haereticorum impietati.

Sed tandem, difficultatibus omnibus divina Christi virtute superatis, christianae fidei subiectum est romanum imperium ac totus pene mundus. Sicut Moyses populum Dei eduxit ab Aegypto, sic sancti Apostoli mundum de potestate tenebrarum, idololatria et infidelitatis impietate in Sanctam Christi Ecclesiam, quae vere terra promissionis est, introduxerunt, sicut ait illis hodie Christus: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

Et tamen omnes invictissime superarunt difficultates.

IV. Profecto miraculum videre hic mihi videor super omne miraculum. Fuit magnum miraculum creare mundum ex nihilo, sed maius est converti peccatorem ad Deum et iustificari, [61] nam praeterquam quod hic creatur in eius corde fides, spes, caritas, gratia Sancti Spiritus et virtus ad bene vivendum secundum voluntatem, hic quidem est voluntatis et liberi arbitrii repugnantia, Deus autem liberam hominis voluntatem cogere minime potest; sed hic exprimitur atque praedicitur mundi conversio, non unius tantum hominis aut populi, sed omnium gentium fe e ac populorum, ubi primum est miraculum fidei et illud quidem maximum.

Hoc maximum fuit miraculum fidei,

Tria sunt, inquit D i v u s B e r n a r d u s, [62] maxima mira-

57) Cf. P. Allard *Storia Critica delle Persecuzioni*, vol. 5 per totum. 58) Cf. S. Gregorius Naz. *Orat. 4 contra Iulianum*, (P. G. 35, 626-361); *Orat. 25 in Laudem Heronis*, ibid. col. 1210-1211; Socrates *Hist. Eccles.*, lib. 3, cp. 12-13, ibid. 67, 410-415. 59) Cf. Theodoretus *Hist. Eccles.*, lib. 4, cp. 11-33, ibid. 82, 1146-1195. 60) Cf. Dn 7, 10.
61) Cf. S. Augustinus *In Evangelium Ioannis*, tract. 73, (P. L. 35, 1823). 62) *In Vigilia Nat. Domini*, serm. 3, ibid. 183, 89.

cula: Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum, ut homo credat quae non videt. Sed quae penitus incomprehensibilia sunt, et hoc quidem tanta certitudine et firmitate, ut paratus sit pro fidei defensione vitam et omnia quae habet prodigere, summum miraculum est. Quod mundus antiquam fidem et religionem, quae vera erat superstitio, in christianam fidem religionemque mutarit et nedum simplices homines ac mulieres vilesque plebes, sed etiam summi principes, reges, imperatores doctissimique et sapientissimi viri crediderint hominem cum latronibus in cruce suspensum vivum verumque Deum esse in eumque crediderint summaque fide et religione eum adorarint atque coluerint, hoc mihi miraculorum omnium summum maximumque videtur, nil minus eo quod Deus ipse homo fieri et pati morique in cruce voluerit. Hoc est: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

mysteria penitus incomprehensibilia mundo persuadere;

Miraculum etiam spei et caritatis, ut homo propter spem aeternorum temporalia omnia bona, quae summe nedum diligebat, sed etiam desiderabat et quaerebat maiora, spreverit ac nihili fecerit vitamque ipsam, ut in tot millibus Martyrum cernimus, propter Deum profuderit, miraculum plane est maximum.

miraculum spei et caritatis,

Miraculum virtutis humanaeque consuetudinis, ut homines, qui una cum idololatriae impietate turpissimam foedissimamque vitam ducebant, mores adeo mutarint, ut sanctissimam vitam instituerint duxerintque pristinae conversationi ex diametro oppositam, nedum diversam; miraculum est ut tenebrae illae sint conversae in lucem, nox in diem, hiems in aestatem, lutum in aurum, terra in coelum, lapides in astra, opus plane supernaturale, superhumanum, vere divinum: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Virtute Christi perfectum est opus, hinc ait: *Faciam vos fieri.*

miraculum virtutis;

Et nos adimpletum videmus promissum quod tunc incredibile videbatur. Unde discendum nobis est ut etiam quae incredibilia nobis videntur firmissime credamus Dei verbis fidem adhibentes, quoniam fidelis est Deus, *seipsum negare non potest.* [63] Si quis Christum verba haec sanctis Apostolis tunc dicentem audisset intellexissetque verborum sensum percepissetque Christi promissum, quod

et tamen adimpletum videmus Christi promissum.

63) 2 Tim 2, 13. Vulg.: *Negare seipsum non potest.*

pauperculi illi piscatores futuri essent principes Ecclesiae, summo in honore positi, a summis principibus, regibus et imperatoribus adorandi, quid intra se dixisset? quid cogitasset? Profecto incredibile visum illi fuisset. Nos tamen adimpletum promissum Christi videmus.

His verbis manifestat Christus divinitatem suam et maximum desiderium salutis humanae.

V. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* In quibus verbis manifestat Christus Apostolis divinitatem suam, sicut cum Deus Moysi apparuit in rubo ardenti, ut eum ex pastore ovium faceret pastorem hominum, revelavit illi divinitatis suae nomen: *Ego sum qui sum*, sive *ero qui ero;* [64] quia Deus futurus erat homo, sicut nunc est Christus, qui per ardentem rubum designabatur in eoque praefigurabatur: in igne natura divina: *Deus noster ignis consumens est,* [65] in rubo, planta quae ex inculta nascitur terra, natura humana ex Virgine; non consumebat ignis rubum, nec Deus in Christo naturam destruit humanam; apparuit tunc Deus in igne, per quem caritas designatur: *Deus caritas est,* [66] unde expressit Moysi desiderium salutis populi, sic Christus, qui coelestis ille est homo igneus Ezechieli visus [67] et ille de quo Malachias ait: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator quem vos quaeritis et Angelus testamenti quem vos vultis ... Ipse ... quasi ignis conflans,* [68] ostendit hodie desiderium salutis humanae quo flagrat. Hinc hodie ambulat secus mare Galileae vocatque hos Apostolos: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

Vocatio principium est salutis.

Vocationem enim principium salutis esse Paulus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui ... quos autem praedestinavit, hos et vocavit;* [69] et vocator est Christus, vocati Apostoli; modus, cum promissione: *Faciam vos fieri;* scopus: *Venite post me;* finis, salus humana: *Piscatores hominum;* effectus: *Statim, relictis retibus, secuti sunt eum.* Vocator Christus Deus et homo, hinc verbum Christi, quatenus hominis, fuit sensibile, significativum et expressivum, sed quatenus Dei, fuit operativum et effectivum citissime et mirabiliter. Est Deus qui vocavit Abraham, qui

64) Ex 3, 14. Ex hebraico. 65) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 66) 1 Io 4, 8. 16, 67) Cf. 1, 26 sqq. 68) 3, 1-2. 69) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis*, etc.

vocavit Moysen, qui Samuelem vocavit ad revelanda ei divinitatis suae mysteria [70] atque ut iudex esset et rector populi Israel; homo est, sed sicut Elias qui Eliseum vocavit. Deus est qui vocat, non sicut vocavit Adam ad puniendum eum ex iustitia, [71] sed vocat ad salvandum ex sua misericordia, vocat caritate motus, nam: *Quos... praedestinavit, hos et vocavit,* praedestinatio autem ex caritate est: *Caritate perpetua dilexi te;* [72] *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* [73]

Vocatio est tractus liberi arbitrii ad Deum.

Imo quid vocatio est nisi attractus quidam liberi arbitrii ad Deum? *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* tui; [74] *Traham eos in funiculis Adam, in funiculis caritatis;* [75] *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* [76] Attractus autem, non violentus, non coactus, sed ex voluntate, imo ex voluptate:

« Trahit sua quemque voluptas ». [77]

Trahitur homo amore et desiderio, trahunt mitia dulciaque poma puerulos ad parentes atque nutrices, trahit ramus viridis agnum, trahit fons sitientem, mensa esurientem, ignis in hieme frigescentem. Sic dulcis quidam attractus est divina vocatio, cum liberum arbitrium nostrum ad Deum salutis desiderio trahitur ascenditque, sicut ferrum ab alveo fluminis sursum natans ad Eliseum.

Vocantur autem Apostoli sicut Abraham, sicut Moyses, sicut Samuel, sicut Eliseus, homines, sed praeordinati praedestinatique a Deo ad aeternam salutem consequendam; vocantur homines, sed viriles, Andreas enim v i r i l i s interpretatur, non enim effeminatos vult Deus, sed viriles fortesque, sic enim Gedeoni dixit: *Qui formidolosus est et timidus, revertatur,* [78] idest discedat a castris.

Ad opus humanae salutis Christus paucos vocavit.

Iussit autem Dominus Gedeoni ne magnum exercitum duceret secum ad pugnandum contra innumerabilem exercitum Madianitarum, *ne,* inquit, *glorietur contra me Israel et dicat: meis viribus liberatus sum.* [79] Sic Christus paucos Apostolos discipulosque elegit ad opus humanae salutis, ut luce clarius constaret non humanum sed divinum opus esse mundi salutem. Hinc P a u l u s *1 Corinthiis* ait: *Videte enim vocationem vestram, fratres, quoniam non multi sa-*

70) Cf. 1 Rg 3, 1 sqq. 71) Cf. Gn 3, 9. 72) Ier 31, 3. 73) Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 74) Ier 31, 3. 75) Os 11, 4. Vulg.: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* 76) Io 6, 44. Vulg. *Nemo potest venire.* 77) Virg. *Bucolica*, lib. 2, vr. 65. 78) Idc 7, 3. Vulg.: *Qui formidolosus et timidus est, revertatur.* 79) Ibid. vr. 2.

pientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.[80] Sic[81] enim Deus contra Pharaonem et Aegyptum scinifibus, muscis et ranis pugnavit,[82] sic imbelli et inermi adolescentulo David superbum, fortem armatumque gigantem prostravit,[83] sic per manum mulieris Iudith Holofernem occidit Assyriorumque exercitum fudit,[84] sic per unum solum Ionatham cum armigero suo castra Philisthaeorum dissipavit,[85] sic per Gedeonem cum trecentis tantummodo viris copiosissimum exercitum Madian ad nihilum redegit.

eos autem vocavit qui terrenorum concupiscentia non detinebantur,

Sed quos ad opus illud salvandi populum suum a Madianitis elegit, ad aquas probavit; voluit enim ut ex universo exercitu Hebraeorum illi tantum ad pugnam pergerent qui non bibissent aquam curvatis genibus, sed qui manu ad os aquam proiicientes,[86] laverunt potius os quam biberunt; quod quidem signum erat quod hi nec nimium sitientes nec nimium lassi aut fatigati erant, sed indefessi fortesque.[87] Sic eos vocat elegitque Christus quos non nimium videt terrenarum rerum sitibundos, nam concupiscentia radix est omnium malorum,[88] sed illos qui temperato sunt animo et habentes victum et quibus tegantur, his contenti sunt.[89] Sic vocat Apostolos hos. Suis laboribus simplici iustaque arte et manibus victum sibi et vestitum lucrari quaerebant; vidit eos *mittentes rete in mare,*[90] alios autem duos *reficientes retia sua.*[91]

ut praedicatione fidei et observantia mandatorum et consiliorum Evangelii imitatores sui essent

Deinde illis, quos Deus ad Madianitas debellandos[92] elegerat, dixit Gedeon dux exercitus: *Quod me facere videritis, hoc facite.*[93] Accepit autem ipse altera quidem manu tubam, altera vero lagenam vacuam cum accensa lampade in medio eius, sicque militibus suis dedit tubas et lagenas cum accensis facibus in medio lagenarum;

80) 1, 26-29. Vulg.: *Quia non multi sapientes,* etc. 81) In margine haec adiecta fuerunt: « Sic enim ex sterili muliere promisit Abrahae innumerabilem hominum multitudinem; Ioseph ex captivo facere voluit summum Aegypti principem; sic ex tenebris lucem creavit, ex nihilo mundum. 82) Cf. Ex 8, 1 sqq. 83) Cf. 1 Rg 17, 40-51. 84) Cf. Idt 13, 1 sqq. 85) Cf. 1 Rg 14, 1-15. 86) Cf. Idc 7, 4-7. 87) Ms.: *Preicientem.* 88) Cf. 1 Tim 6, 10. 89) Cf. ibid. vr. 8. 90) Mt 4, 18. 91) Ibid. vr. 21. 92) Ms.: *Deus* iterum ponitur. 93) Idc 7, 17.

sic Christus ait hodie: *Venite post me.* Hoc quidem idem est ac quod Gedeon dixit: *Quodcunque videritis me facere, hoc facite.* Accepit autem Christus in altera manu tubam evangelicae praedicationis, in altera vero lagenam vacuam, idest vitam pauperem, et tandem lagenam confregit in sua passione per martyrium corporis sui ac tunc magis animi eius virtus resplenduit. Sic ait: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* per praedicationem Evangelii: haec est tuba. Et post resurrectionem suam Dominus dicens Petro: *Sequere me,* [94] dixit hoc *significans qua morte clarificaturus esset Deum,* [95] praedixit illi martyrium: ecce lagena confracta. Et quidem piscatores esse hominum est esse *pastores et doctores ad consummationem Sanctorum... ad opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* [96]

Sed *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;* [97] non enim ad fidem tantum vocantur hi Apostoli et ad sequelam Christi per observantiam mandatorum Dei et consiliorum etiam Evangelii, quae vita est perfectorum virtutes Christi perfecte imitantium: *Discite a me, quia mitis sum,* etc.; [98] *Exemplum... dedi vobis,* etc.; [99] sed vocantur etiam ad apostolatum, ad praesulatum, ad regimen Ecclesiae, ut Christi essent vicarii, ut essent patriarchae Ecclesiae et fidei patres sicut Abraham, principes Ecclesiae Christi sicut Moyses synagogae, iudices saeculi sicut Samuel; et sicut Eliseus fuit veluti alter Elias, plenus duplici spiritu Eliae, sic hi pleni Spiritu Christi essent veluti vivae imagines Christi, ipsi Christo simillimi in sanctitate et iustitia, in gratia Spiritus Sancti, in praedicatione Evangelii, in operatione miraculorum, in primatu Ecclesiae, pastores, doctores, Episcopi, rectores, pontifices, capita Ecclesiarum, fundamenta Ecclesiae, portae civitatis Ierusalem, salvatores mundi. Hic est vocationis finis: *Faciam vos fieri piscatores hominum,* idest salvatores mundi, ad aeternam vestram gloriam specialissimumque honorem.

et sic patres Ecclesiae et salvatores mundi constituerentur.

VI. Scopus quidem vocationis est sequela Christi, imitatio Christi, nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii*

94) Io 21, 22. Vulg.: *Me sequere.* 95) Ibid. vr. 19. 96) Eph 4, 11-12. Vulg.: *In opus.* 97) Io 10, 11. 98) Mt 11, 29. 99) Io 13, 15.

Scopus vocationis Apostolorum est imitatio Christi, qui est exemplar sanctitatis perfectum

sui; Christus enim perfectum est exemplar sanctitatis, quoniam infallibile est et cognitum. Deus quidem prius erat exemplar perfectionis: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;* [100] *Estote... perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est.* [101] Et infallibile quidem est istud exemplar, sed incognitum: *Deum nemo vidit unquam;* [102] *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest, lucem* enim *habitat inaccessibilem.* [103] Angelus vero et homo suapte natura infallibiles minime sunt, nam Angelus peccavit in coelo [104] et homo in paradiso. [105] Christus autem Deus et homo est; et quatenus quidem Deus infallibilis, peccare non potest; sic enim exemplar necesse est esse, alioquin si errant fabricatores vel pictores aut sculptores, non peccant si error in exemplaribus est.

et cognitum;

At necesse est etiam ut notum sit exemplar et coram oculis positum, ut videri possit ad illud ad amussim imitandum; neque enim fabricator potest exemplar ideasque aedificii, quae in mente sunt architectoris conspicere; sic enim Deus Moysi exemplar tabernaculi construendi dedit dixitque: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est;* [106] similiter Davidi formas descriptionesque templi aedificandi. [107] Sed Christus quatenus homo notum se omnibus visibilemque exhibuit, hinc ait: *Discite a me,* etc., et: *Exemplum... dedi vobis,* etc.; hinc hodie: *Venite post me,* imitatores mei estote: *Conformes fieri imagini Filii sui;* hoc enim forte est quod homo *ad imaginem et similitudinem Dei* [108] creatus dicitur, nam Christus est imago Dei: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* [109]

sic B. Andreas Christo simillimus factus est in gratia et caritate,

Sic Sanctus Andreas Christo factus simillimus est, uti erat in natura, sic et in gratia et in gloria modo in coelo. Tria sunt in Christo: Divinum Verbum habitans in sacra humanitate Christi, anima sanctissima et caro innocentissima. Et in carne quidem Christi elucet martyrii passio, in anima perfectissima sanctitas et in Verbo infinita bonitas. Andreas factus est Christo simillimus, quoniam templum Dei et Spiritus Sancti fuit, in anima totus Spiritus

100) Lv 11, 45; 19, 2; 20, 7; 1 Petr 1, 6. 101) Mt 5, 48. 102) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 103) 1 Tim 6, 16. Vulg. *Nullus hominum... inhabitat,* etc. Ordine inverso affert has pericopas. 104) Cf. Iob 4, 18; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 105) Cf. Gn 3, 1-7. 106) Ex 25, 40. 107) Cf. 1 Par 28, 11-19. 108) Gn 1, 27; 5, 1; 9, 6. 109) Col 1, 15.

Sancti gratia repletus et in carne martyrio coronatus et cruci affixus. Qualis autem et quanta fuerit caritatis perfectio in corde Sancti Andreae elucet in sua passione. Siquidem is Deum vera caritate diligit qui ex toto corde, anima, mente et viribus diligit, [110] nil cupiens contra voluntatem Dei, nil diligens supra Deum, nil aeque ac Deum, sed super omnia Deum: Qui enim diligit aliquid plus quam me, *non est me dignus.* [111] Ille autem diligit Deum super omnia qui Deum supra seipsum diligit, nam homo quaecunque naturaliter diligit, propter seipsum diligit, ad suam utilitatem, honorem vel voluptatem. Quare qui Deum plus quam seipsum diligit, hic vere Deum ex caritate diligit.

nam supra omnia Deum dilexit,

Sicut autem probatur aurum in fornace, ita vera caritas in tribulatione, in cruce. Qui propter Deum magnas pati vult tribulationes usque ad mortem ipsam, sicut Martyres sancti, hic Deum vere diligit. Sed tribulationes istas alius quidem fert patienter sicut Iob, [112] et id quidem signum perfectae est caritatis; alius vero nedum patienter, verum etiam hilariter, sicut Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt*, etc., [113] hoc autem signum est perfectioris caritatis; alius autem nedum cum hilaritate patitur, sed pati summopere desiderat sicut Christus: *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, [114] unde in cruce ait: *Sitio*, [115] et hoc perfectissimae est caritatis. Hanc ostendit Andreas, cum summum ostendit desiderium moriendi in cruce propter amorem Christi.

pro cuius amore tanta passus fuit et mortem crucis laetissime sustinuit.

VII. Finis vero vocationis huius salus est mundi, unde cum Dominus Apostolos hos vocat de navi, videre mihi videor illam nubeculam de mari ascendentem ad preces multiplices ipsius Eliae, quando annis tribus et mensibus sex non pluerat; illa autem nubecula quae parva tanquam vestigium pedis hominis videbatur, crevit postea ad modum quod totum obtexit coelum deditque copiosissimam pluviam, qua sterilis fecundata fuit terra magnaque fames et summa rerum caritas in magnam conversa copiam et abundantiam fuit. [116]

Finis vocationis Apostolorum est salus mundi.

110) Cf. Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 111) Mt 10, 37-38. 112) Cf. Iob 1, 13-2, 1-10. 113) Act 5, 41. 114) Lc 22, 15. 115) Io 19, 28. 116) Cf. 3 Rg 18, 44-45.

Sic Apostoli hi hodie vocati a Christo erant tunc quidem parvi meriti, virtutis atque valoris, sed accepta Spiritus Sancti gratia indutique virtute ex alto, facti fuere maxima nubes, quae coelestis doctrinae pluvia – *concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum* [117] – universam terram fecundarunt, ut sterilis prius, postea fructum faceret trigesimum, sexagesimum et centesimum. [118] Sed multis orationibus Elias nubeculam illam obtinuit, ita Christus multis orationibus obtinuit a Deo Patre sanctos Apostolos per quadraginta dies in deserto ieiunans et orans, [119] ut hi fierent, superatis diaboli tentationibus, piscatores hominum sicque salvaretur mundus.

Tandem vocat Christus ad se Apostolos hos promissis eos alliciens magnis: *Faciam vos fieri piscatores hominum;* ita Deus promissis alliciens Abrahamum vocavit: *Faciam... te in gentem magnam et* benedicens *benedicam tibi;* [120] sic vocavit Hebraeos ut ex Aegypto egrederentur ad sacrificandum serviendumque ei promittens eis felicissimam terram lacte et melle manantem in perpetuam habitationem. [121] Sic Christus vocat omnes peccatores: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [122] Christus autem extra mare positus vocabat a mari discipulos, quia ipse nulla fuit mundi infectus malignitate, nulla carnis concupiscentia aut oculorum vel superbia vitae, [123] imo nec mundanas divitias, nec honores, nec voluptates voluit, quorum ratione excitantur in mari hoc tempestates, in mundo tumultus, lites, dissensiones, etc.; hinc vocat nos extra hoc mare Christus, ut et nostrae et aliorum causa salutis simus.

Christus homo factus est pro mundi salute.

VIII. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui cognominatur Petrus, et Andream fratrem eius, mittentes rete in mare.* Post Adae peccatum Deum deambulabat *in paradiso ad auram post meridiem,* [124] sic Christus hodie ambulat secus mare Galilaeae, Deus infinitae magnitudinis, qui ait: *Coelum et terram ego adimpleo;* [125] quem *coelum et coeli coelorum... capere non possunt,* [126] cui coelum sedes est et terra scabellum pedum eius, [127] qui

117) Dt 32, 2. 118) Cf. Mt 13, 8; Mc 4, 8. 119) Cf. Mt 4, 1-10.
120) Gn 12, 2. 121) Cf. Ex 3, 15-17. 122) Mt 4, 17. 123) Cf. 1 Io 2, 16.
124) Gn 3, 8. 125) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 126) 3 Rg 8, 27.
127) Cf. Is 66, 1; Act 7, 49.

ubique est per potentiam ubique operans, per praesentiam omnia videns, per essentiam omnia infinita suae naturae magnitudine implens, hodie factus homo pro salute mundi videtur ambulare quaerens salutem hominum, sicut pastor ovem quae periit et mulier perditam margaritam;[128] ambulat veluti alter Ioseph missus a patre ad videndum si cuncta prospera sunt circa fratres suos;[129] ambulans sicut sol ut omnibus lucis et caloris sui copiam vitalem largiatur: *A summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius.*[130]

In mundo duplex est genus vitae: bonae et malae.

Ambulans Iesus. Ille Deus, qui suapte natura immobilis est: *Ego... Deus et non mutor,*[131] factus est homo, creatura mutabilis, sed propter mundi salutem, hinc voluit appellari *Iesus*, s a l v a t o r: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[132] *Ambulans iuxta mare.* Ambulasse legimus Dominum iuxta mare[133] et supra mare,[134] non intra mare vel sub mari, in profundo, inquam, maris. Mare enim mundum istum significat, qui *totus in maligno positus est,*[135] et *omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis,* etc.[136] Est autem in mundo hoc multiplex vitae genus, tum bonae tum malae. Bonae quidem duplex genus esse docuit Christus, dum ait adolescenti illi, qui petiit: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* ait: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata;*[137] hoc vitae genus bonum est et salutare; aliud est multo melius et securius: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes,* etc.[138] Malae quoque vitae duplex est genus, sicut duplex peccatum est: originale et actuale; sic mala vita est malorum fidelium, sed multo peior infidelium. Primum genus vitae est ambulare iuxta mare, iuste vivendo nec quippiam contra iustitiam agendo; secundum est ambulare supra mare; tertium ambulare in mari sive intra mare, quartum ambulare sub mari. Intra mare ambulaverunt Hebraei imperfecti et cum adhuc legem Dei non accepissent, sub mari Aegyptii qui in mari Rubro perierunt, etc.[139]

128) Cf. Lc 15, 2-9. 129) Cf. Gn 37, 14. 130) Ps 18, 7. 131) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego... Dominus,* etc. 132) Mt 1, 21. 133) Cf. Mt 13, 1; 15, 29; Mc 1, 16. 134) Cf. Mt 14, 25-26; Mc 6, 48-49; Io 6, 19. 135) 1 Io 5, 19. 136) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est.* 137) Mt 19, 17. 138) Ibid. vr. 21. 139) Cf. Ex 14, 21 sqq.

Ambulans Iesus iuxta mare, dicit: *Venite, post me;* iubet enim iuxta mare ambulare, non supra; nam supra mare ambulare consilium est, non praeceptum: *Si vis perfectus esse;* tantum Petro iussit supra mare ambulare,[140] quoniam praelati necesse est ut sint in statu perfectionis; observantiam evangelicorum consiliorum consulit, sed legis observantiam praecipit.

Non praecipit Christus statum perfectionis.

Ambulans... iuxta mare: ille qui ut Deus ambulavit Petrumque ambulare fecit supra mare et filios Israel in medio maris Rubri ac Iordanis,[141] hodie tanquam homo *ambulans... iuxta mare,* ad maris litus videtur; pro salute enim nostra nunc exercuit opera divinitatis, nunc vero humanitatis, nam cum in submersionis periculo discipulos vidit, tunc ad salvandum eos supra mare ambulavit.[142]

Iuxta mare Galilaeae: mare rotundum et mare revolutionis mundus est iste. Mare enim hic dicitur lacus Genesareth, in quem Iordanis influit et in lacum Asphaltidem terminatur fluxus eius,[143] et ob hunc Iordanis transitum in perpetuo motu est lacus iste et saepe a ventis et procellis infestatur; sic mundus iste lacus quidam est – aquae multae populi multi,[144] – et aquae dulces, quoniam natura bona est et vita dulcis. In his aquis piscantur homines, hi quidem divitias, alii dignitates, alii voluptates, retibus artium, negotiorum tractatuum et actionum humanarum. Sed perpetuus transitus Iordanis, perpetuus fluxus mortalis huius vitae ad mortem semper tendentis ibique cursum suum terminantis, sicut Iordanis in lacu Asphaltidi, qui etiam mare Mortuum dicitur, facit ut mare istud sit in perpetua revolutione diversarum fortunarum, nunc prosperae nunc adversae, nunc sanitatis nunc infirmitatis, nunc vitae nunc mortis; saepe etiam aereae potestates hoc mare rabidis ventis procellosisque infestant, unde in mundo innumera bella, iurgia, lites, dissentiones infinitaque mala.

Mundus est perpetuus fluxus concupiscentiarum et revolutio fortunarum.

In hoc igitur mari mille perpetuarum revolutionum Christus videns oculo pietatis et misericordiae suae, qui semper beneficus

140) Cf. Mt 14, 28. 141) Cf. Ios 3, 15-16. 142) Cf. Mt 14, 24; Mc 6, 48.
143) Cf. Ios 3, 16. 144) Proverbium deductum ab Apc 17, 15. Cf. S. Bernardinus Senensis *Quadragesimale,* t. 1, serm. 51, cp. 3, pag. 263; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 26, cp. 23, col. 1461.

est sicut sol in coelo – illo oculo qui vidit afflictiones filiorum Israel in Aegypto,[145] – duos fratres – placet Christo germana caritas, socialis pax, fraterna concordia, – duos fratres, qui futuri erant tanquam duo cherubim in sancta sanctorum,[146] tanquam duo Seraphim, in quorum medio vidit Isaias Christum sedentem,[147] tanquam duae columnae *Iachin* et *Bohaz* in templo Salomonis, in quorum medio erat mare aeneum,[148] tanquam duo principes synagogae, Moyses et Aaron,[149] tanquam duo luminaria magna in coelo,[150] tanquam duo filii Ioseph, Ephraim et Manasses, ambo benedicti,[151] tanquam Sem et Iapheth, quibus benedixit Noe,[152] tanquam duo illi exploratores Iericho, quos Rahab salvavit;[153] *Simonem, qui cognominatur Petrus:*[154] *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,*[155] sed Simon prius dicebatur, idest o b e d i e n s – haec enim fundamentum Ecclesiae est, – et Andream, idest v i r i l e m – nam haec quoque summopere necessaria est, – *mittentes rete in mare,* humanis negotiis suisque artibus operam dantes; sic Moyses pascebat oves,[157] Eliseus vero arabat campos.[158] Sed: *Venite,* inquit, *post me,* sicut discipuli post magistrum, servi post dominum, milites post ducem, filii post patrem, homines post Deum, ne mundus amplius et mundana quaeratis; divites abeunt post aurum et pecuniae thesauros, etc., vos autem *venite post me. Venite,* inquit, *ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve;*[159] non sicut mundanum quod grave admodum est et iniucundum saepeque omnino inutile, sicut ipse Petrus expertus fuit hodie, nam *per totam,* inquit, *noctem laborantes nihil cepimus,* laxato autem in verbo Christi rete, *concluserunt piscium multitudinem copiosam;*[160] unde viso hoc miraculo, Apostoli hi hodie ad Dominum conversi sunt, sicut L u c a s ait.[161] Quare facto ostendit eis Dominus hodie quod sine Christo omnis labor,

In hoc mari vidit Christus duos fratres, Petrum et Andream, suis artibus operam dantes

eosque ad sui sequelam vocavit.

145) Cf. Ex 3, 7. 146) Cf. Ex 25, 18-20. 147) Cf. Is 6, 1-2. 148) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 149) Cf. Eccli 45, 1-27. 150) Cf. Gn 1, 14-18. 151) Cf. ibid. 48, 1-20. 152) Cf. ibid. 9, 26-27. 153) Cf. Ios 2, 1 sqq. 154) Mt 4, 18. Vulg.: *Qui vocatur Petrus.* 155) Ibid. 16, 18. 156) Sic enim latine haec nomina interpretantur. 157) Cf. Ex 3, 1. 158) Cf. 3 Rg 19, 19. 159) Mt 11, 28 sqq. 160) Lc 5, 5-6. 161) Cf. ibid. vrr. 8-11.

quamvis magnus et diuturnus, vanus est: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus;* sed cum Christo quivis labor, etsi minimus, utilissimus est, sic *concluserunt piscium multitudinem copiosam.*

Non pastores eos appellat, sed piscatores.

IX. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Non immerito Dominus hic homines ad sui fidem convertendos electosque pisces vocat, sed quia pisces mox a Deo creati, benedicti fuerunt [162] et in diluvio omnia animalia interierunt, [163] praeterquam pisces, quibus terrestria omnia aereaque animalia cibus et esca fuerunt magnumque utile et emolumentum ex illorum extremo damno perceperunt; sic electi in die iudicii. [164]

Sed quomodo, quaeso, Apostolos piscatores vocat quos pastores Ecclesiae doctoresque constituit? Piscatores enim venatores sunt piscium, non pastores. Sed: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit,* etc.; [165] *Dominus mortificat et vivificat,* mortificat primo in carne et vivificat sic in spiritu; *humiliat et sublevat,* [166] sic Paulum primo humiliavit et deinde exaltavit. [167] Necesse est ut moriamur pristinae vitae, carni, sensui, mundo, peccatis vitiisque omnibus, ut cum Christo in aeternum vivamus..

Deinde, ubi Dominus Petro ait: *Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens,* [168] graece est ζωγρῶν, quod proprie est v i v u m c a p e r e, dictione composita ex ζῶ, v i v o, ἀγρεύω, [169] quod est v e n a t u c a p i o; quare significat capiendos pisces non ad mortem, sicut hostes in bello capiuntur ab hostibus ad mortem vel perpetuam captivitatem, sed sicut capiuntur de manu tyranni captivi vitae et libertati donandi. Capiuntur piscanturque a mari, ubi a serpentibus devorantur, ut in piscina Sanctae Ecclesiae vivi ac securi perpetuo teneantur. Dixit autem haec verba Dominus Petro postquam maximam comprehenderunt piscium multitudinem, adeo ut duas impleverint naviculas, [170] ad designandum quod non paucos

162) Cf. Gn 1, 21-22. 163) Cf. ibid. 8, 19. 164) In margine haec adiecta fuerunt: « Sic post resurrectionem, facta piscatione, acceperunt de piscibus quos prendiderunt, et igni assaverunt Dominoque apposuerunt ad manducandum, et alias partem piscis assi cum favo mellis ». 165) Io 12, 24. 166) 1 Rg 2, 6-7. 167) Cf. Act 9, 1-22. 168) Lc 5, 10. 169) Ms.: Αγρευω. 170) Cf. Lc 5, 7.

homines intra rete evangelicae praedicationis conclusuri essent, sed multos ac innumerabiles.

At illi statim, relictis retibus... secuti sunt eum, [171] commoti tamen praedicatione Christi, nam prius ascendens in naviculam Petri *docebat de navicula turbas,* [172] deinde, viso tali ac tanto miraculo, *stupor enim circumdederat... omnes;* [173] hinc statim, relictis omnibus, Christum secuti sunt, sicut qui invenit thesaurum in agro et pretiosam margaritam negotiator, vendit omnia sua ad agrum et margaritam coemenda. [174]

Statim ac vocati Christum secuti sunt.

Secuti sunt eum. De Enoch legimus quod *ambulavit... cum Deo,* [175] similiter de Noe; [176] de Abraham vero legimus dixisse illi Dominum: *Ambula coram me et esto perfectus;* [177] similiter de Ezechia: *Memento, quaeso, quomodo ambulaverim in conspectu tuo... in corde perfecto;* [178] sed de Apostolis, quod abierunt post Dominum, quod secuti sunt Dominum. Nec sine mysterio, sed ad tres leges designandas, legem, inquam, naturae, legem Moysi et legem Christi. Primi ambulabant cum Deo, divinis tantum inspirationibus acti Deo serviebant; secundi ante Deum, qui in carne venturum praecedebant habentesque Christi imaginem in lege depictam eam imitabantur; sed tertii sub Evangelio Christum sequuntur post adventum Dei in carne, habentes vivum perfectissimumque virtutum exemplar. [179]

Quattuor Apostolos hodie Dominus vocavit;

Et progressus pusillum *vidit alios duos... Iacobum... et Ioannem* filios Zebedaei, *cum Zebedaeo patre eorum reficientes retia sua et vocavit eos. At illi... relictis retibus et patre, secuti sunt eum;* [180] nam ipsi quoque miraculum viderant, quare eos Dominus non tantum voce et verbis, sed operatione etiam miraculi vocavit. Sicut Magos astro-

171) Mt 4, 22. Vulg.: *Illi autem*, etc. 172) Lc 5, 3. 173) Ibid. vr. 9. 174) Cf. Mt 13, 45-46. 175) Gn 5, 24. 176) Cf. ibid. 6, 9. 177) Ibid. 17, 1. 178) 4 Rg 20, 3. Vulg.: *Ambulaverim coram te*, etc. 179) In margine haec adiecta fuerunt: « Item lex quidem Moysi docebat Deum vindicem esse peccati et videre eum omnia opera nostra tum interna tum externa, veluti homo videt quaecunque fiunt coram eo, in oculis suis; sic volebat ut homines cogitantes se semper coram Deo esse, uti Elias ait et post eum Eliseus, a vitiis et peccatis abstinerent, ne oculos divinae maiestatis offenderent et Deum contra se ad iram provocarent. Sic illa lex tota timoris erat. Sed lex Christi lex est amoris vultque ut non timore poenae, sed virtutis amore ducti per viam iustitiae ambulemus. Deus enim nunc ita agit ac si peccata nostra non videat, sicut homo non videt quae post se posita sunt, curatque potius ipse semper ante oculos esse nostros, ut nos ipsum semper videamus, non tamen faciem eius terribilem, sed posteriora eius, in quibus ostensurum se Moysi repromisit omne bonum, quae videns Moyses clamavit: Deus, Deus, *Deus misericors et clemens* ». 180) Mt 4, 21-22. Vulg.: *Illi autem*, etc.

logos ad se ab oriente vocavit coelesti stella, quae miraculo eis apparuit,[181] ita hos Apostolos piscatores mirabili piscium captura vocavit. Quattuor Apostolos Dominus hodie vocavit qui futuri erant quattuor columnae principales Ecclesiae, nam: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem,*[182] idest multas; futuri erant quattuor fundamenta principalia et quattuor principales portae coelestis civitatis Ierusalem, quae duodecim fundamenta portasque habet cum duodecim nominibus Apostolorum Christi; quattuor flumina, quae universum mundum erant aqua sapientiae salutaris irrigatura;[184] quattuor principales gemmae et capita quattuor ordinum duodecim gemmarum in pectore summi sacerdotis;[185] quattuor anuli aurei arcae foederis Domini;[186] quattuor illi fabri quos vidit Zacharias ad conterenda cornua ferrea gentium,[187] idest quattuor monarchias; quattuor principalia signa in coelo solis iustitiae, duos solstitiorum et duos aequinoctiorum coluros.

Petrum, Andream, Iacobum et Ioannem.

Vocat Simonem Petrum, quia delectatur stabili obedientia et eius quidem obedientiam hodie expertus fuit, primo, quia ascendens in eius navim, *rogavit... a terra reducere pusillum;*[188] secundo, quia dixit: *Duc in altum et laxate retia vestra in capturam,* etc.,[189] et tertio in sui sequela; secundo Andream, quia delectatur virili fortitudine non minus quam iusta obedientia; tertio Iacobum supplantatorem,[190] qui temperantiae legibus carnales concupiscentias supplantat sicut Iacob Esau;[191] et quarto Ioannem, qui futurus erat aquila illa summae intelligentiae atque prudentiae. Hae enim virtutes omnes simul ad salutem necessariae sunt et Christo Domino summopere placent.

Sicut Lia fecunda quattuor primos filios peperit patriarchae Iacob,[192] ita hodie Christo haec operatio – *ambulans... iuxta mare,* – quattuor hos Apostolos. *Ambulans,* inquit Matthaeus[193] et Marcus;[194] verum Lucas: *Et ipse,* inquit, *stabat secus stagnum Genesareth.*[195] Haec duo sunt genera vitae:[196] Lia et Rachel, Martha

181) Cf. ibid. 2, 1-12. 182) Prv 9, 1. 183) Cf. Apc 21, 10-14. 184) Cf. Gn 2, 10-14. 185) Cf. Ex 28, 15-30. 186) Cf. ibid. 25, 12. 187) Cf. 1, 20-21. 188) Lc 5, 3. 189) Ibid. vr. 4. 190) Sic enim latine hoc nomen interpretatur. 191) Cf. Gn 28, 36. 192) Cf. Gn 29, 31 sqq. 193) 4, 18. 194) Cf. 1, 16. 195) 5, 1. 196) Idest activae et contemplativae.

et Maria, Moyses orans in monte et Iosue pugnans contra Amalec in plano,[197] David et Salomon, Petrus et Ioannes.

Designatur in hoc Evangelio duplex vocatio: Iudaeorum et Gentilium.

X. Designatur in hoc Evangelio duplex vocatio, Iudaeorum et Gentium, nam per binarium, qui multitudinis principium est, multitudo designatur. Multi autem ex Iudaeis et Gentibus convertendi ad Christum erant, duae enim naves duas designant ecclesias, Iudaeorum et Gentium; sic enim tunc duo Christus habebat ovilia, sicut ait: *Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili,*[198] itemque: *Non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*[199] Nam et inter Gentes multi Deum colebant in naturali lege viventes, sicut ante legem Moysi Patriarchae; sed post Christum ex duabus fit una Ecclesia. Et prius quidem ecclesia Gentium in peiori statu erat, hinc vidit Petrum et Andream integrum rete mittentes in mare, sed Iacobum et Ioannem rupta retia reficientes, sed postea ex unius retis piscibus implentur ambae naviculae, ad unitatem fidei fideliumque designandam; hinc omnes una, relictis omnibus, Christum secuti sunt. Has duas ecclesias Paulus *ad Romanos* expressit, nam inquit: *Gentes quae legem non habent, huiusmodi legem non habentes, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, ostenduntque opus legis scriptum in cordibus suis.*[200]

Designatur etiam miraculum conversionis mundi ad fidem.

Sed Christus in Petri navim ascendit, quia ex Iudaeis natus est, homo iudaeus et circumcisus, sed pro salute utriusque populi. Quod autem Petrus implet ambas naviculas mysterium est: *Quia salus ex Iudaeis est;*[201] *Quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.*[202] Omnes hi magno miraculo commoti, in Christum credentes ipsum secuti sunt, facti eius discipuli. Nam profecto magnum miraculum fuit; siquidem facilius est noctu quam diu pisces capere et nocturnum tempus ad piscandum aptius tempus est quam diurnum, quoniam non vident tunc retia pisces securioresque per maria natant; aptiori autem et opportuniori tempore per totam noctem nihil ceperant: *Per totam,* inquit, *noctem,* etc.; deinde tempore quidem diurno multo inopportuniori brevissimoque temporis spatio ad Christi iussum in-

197) Cf. Ex 17, 8-13. 198) Io 10, 16. 199) Ibid. 11, 52. 200) 2, 14-15. Vulg.: *Naturaliter... Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt,* etc.
201) Io 4, 22. 202) Is 2, 3.

numeram ceperunt multitudinem piscium, unde omnes stupore circumdati sunt et extasi quadam rapti, positi extra se sunt.

quod est maximum miraculorum.

Sed miraculum piscationis hominum, quod per mirabilem hanc piscationem designabatur, multo futurum erat mirabilius atque stupendius, si considerentur piscatores, pisces, mare, tempus, rete et navis. Piscatores Apostoli, viri ignobiles, etc.; rete praedicatio absque omni humana sapientia et eloquentia; mare mundus procellosus: *Erat... contrarius ventus,*[203] factaque est procella et tempestas magna, ita ut pene mergerentur;[204] tempus autem procellosum ad piscandum ineptissimum est; Christi autem Evangelium praedicatum est tempore maximae persecutionis, flante vento contrario operatione malignorum spirituum; navis Ecclesia Christi divinaeque legis observantia, quam carnales homines vitiisque dediti summopere abhorrent; pisces innumera hominum et Iudaeorum et Gentilium multitudo credentium fidemque Christi suscipientium summo cum periculo amissionis omnium bonorum, divitiarum, facultatum, honorum, dignitatum, voluptatum vitaeque ipsius, videntes millia millium Martyrum et tamen ad rete hoc cumulatim concurrebant tanquam ad summas delicias invitati, ac si intra hoc rete et navim paradisus esset.

Difficile Christum sequuntur qui terrenorum amore detinentur.

XI. *Relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Vicit in cordibus eorum amor Christi omnium mundanarum rerum amorem. Amor bonorum temporalium magnus est; hinc adolescens ille, audito Christo verbo: *Vade, vende* omnia *quae habes,* etc., *abiit tristis;*[205] hinc tam difficile divites eleemosynas largiuntur .Parentum vero amor et ipse in bonis filiis permagnus esse solet. Sed hi, *relictis retibus* navique cum Zebedaeo patre ac matre, *secuti sunt* Dominum, non modico tempore unius horae aut diei vel hebdomadae, mensis aut anni, sed semper usque in finem.

Ad meliora semper nos vocat Deus.

Vocavit autem hos Dominus a mari ad terram, a periculis ad securitatem; sic ad meliora vocat nos semper Deus salutis nostrae cupidissimus: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Piscatores, inquit, eritis, sed multo meliorum piscium. Sicut Deus Hebraeis commu-

203) Mt 14, 24. 204) Cf. Mc 4, 37. 205) Mt 19, 21-22.

tare voluit terram Aegypti in multo meliorem terram promissionis, et servitutem Pharaonis durissimam idolorumque cultum in liberam servitutem cultumque Dei, et carnalia sacrificia, quae idolis offerebant et quibus delectari eos nimium videbat, in sacrificia Dei; sic Christus Apostolis piscationem hominum largitur eis pro piscatione piscium.

Andreas vocatus a Christo fuit quia semper virtutis studiosissimus;

Vocavit Christus Andream, quoniam fuit semper virtutis studiosus; prius enim Ioannis Baptistae erat discipulus, et mox ut audivit Ioannem de Christo dicentem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* [206] Christum secutus est, una cum alio quodam condiscipulo petensque a Christo ubi habitaret et accepto responso: Veni et vide, abiit, vidit et cum eo mansit die illo. [207] Discedens autem a Christo et inveniens fratrem suum Simonem dixit ei: *Invenimus Messiam* [208] duxitque fratrem suum Simonem ad Christum. [209] Quare ipse fuit primus Christi discipulus, maior natu Petro. In operatione autem miraculi multiplicationis quinque panum hic dixit Christo: *Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces.* [210] Hic una cum Philippo adduxit Gentiles ad Iesum in die palmarum, [211] et tandem post Christi ascensionem cum ceteris Apostolis unanimiter perseverans in oratione, repletus est Spiritu Sancto. [212]

ostenditur enim in eo perfecta legis observatio et magna fides;

Sed quot mysteria in his quae de sanctissimo hoc homine in Divinis Scripturis legimus ad aeternam eius laudem et gloriam continentur! Quod enim prius intimus fuit Ioannis discipulus ac postea Christi, designat prius mosaicae legis perfectum observatorem fuisse, deinde evangelicae, nam Ioannes legis typum gessit, Christus vero Evangelii. Et in eo quidem mira cernitur fides, nam verbis primi magistri sui Ioannis: *Ecce Agnus Dei*, ecce *Filius Dei,* [213] simpliciter credidit moxque Christum secutus est, tractus virtutis amore salutisque desiderio, et cupiens Christi conversatione ac familiaritate frui, petiit: *Magister, ubi habitas?* [214] Et venit et vidit et mansit die illo cum Christo. Venit incipiens, vidit proficiens, mansit die illo cum Christo factus in Christi fide perfectus. Hinc fratri Christi fidem praedicavit: *Invenimus Messiam*, mundi creatorem, redem-

206) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.
207) Cf. ibid. vrr. 37-40. 208) Ibid. vr. 41. 209) Cf. ibid. vr. 42. 210) Io 6, 9.
211) Cf. ibid. 12, 20-22. 212) Cf. Act 2, 1-4. 213) Io 1, 34. 214) Ibid. vr. 38.

ptorem et salvatorem, summum pontificem, summum iudicem ac summum regem populi Dei; *invenimus Messiam*, infinitum thesaurum, pretiosissimam margaritam; *invenimus Messiam*, auctorem naturae, fontem gratiae, regem gloriae. *Invenimus Messiam.* O inventio beata et gloriosa! inventio thesauri omnium thesaurorum, inventio paradisi infinitae gloriae, inventio novi mundi, mundi maximi, imo ter maximi!

Fuit etiam primus Evangelii praedicator qui homines ad Christum perduxit.

Hic ergo fuit primus Christi discipulus et primus fidei Christi et Evangelii praedicator, primus qui ad Christum convertit, nam duxit fratrem suum Simonem Petrum ad Iesum; Petrum convertit petram et fundamentum totius Ecclesiae, et cum primus esset, non tamen cum filiis Zebedaei primatum appetiit, aut cum illis intercedente matre quaesivit petiitque a Christo.[215] Hic suis apud Deum intercessionibus causa est nobis beneficiorum, gratiarum donorumque Dei, ut Deus bona nostra multiplicet, in necessitatibus nostris nobis subveniat nobisque affluenter ac superabundanter provideat. Hic Gentiles infidelesque populos praedicatione sua ad Christum adduxit, hic propter Deum omnia reliquit, Christum super omnia diligens et supra seipsum, quod in martyrio tandem manifestissime claruit, et Christum secutus imitatusque perfectissime fuit.[216] Unde in summo dignitatis gradu constitutus fuit a Christo, electus Apostolus, caput et princeps Ecclesiae, columna templi Domini, piscator hominum, qui rete praedicationis Evangelii multos pisces piscatus fuit, multos populos ad Christi fidem convertit fecitque ut corde in Christum crederent et ore confiterentur: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*[217] Et piscatio quidem haec piscibus causa fuit non mortis sed vitae: *Omnis* enim *qui credit in illum, non confundetur.*[218]

Nec tantum Iudaeos, sed etiam Gentiles ad Christi fidem perducere quaesivit, sciens quod Deus *vult omnes homines salvos fieri;*[219] *Non enim est distinctio Iudaei et Graeci, nam idem Dominus dives in omnes qui invocant illum.* Sed *quomodo ... invocabunt in quem non crediderunt?... Quomodo credent... sine praedicante? Quomodo...*

215) Cf. Mt 20, 20-21; Mc 10, 35. 216) Cf. *Acta et Martyrum S. Andreae Apostoli* (P. G. 2, 1218 sqq.). 217) Rom 10, 10. 218) Is 28, 16. Ex translat. Septuaginta; Rom 9, 33; 1 Petr 2, 6. 219) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc.

praedicabunt nisi mittantur? etc. [220] Sic Apostoli hodie delecti sunt a Christo ad praedicationem Evangelii: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, evangelizatores pacis et boni: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* [221] Praedicatores, inquam, gratiae et gloriae, ut sic praedicantibus his missisque ad praedicandum, factis Apostolis, audirent gentes Evangelium, crederent, invocarent Deum, non confunderentur, sed salvarentur, nam *fides ex auditu*, nam *quomodo audient sine praedicante? Auditus autem per verbum Christi. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?* Sic non inquit hodie Christus: *Faciam vos fieri piscatores* omnium *hominum*, sed *piscatores hominum*, idest multorum; nec ceperunt hodie omnes pisces maris, sed copiosam piscium multitudinem. [223] Occasio autem non credendi fuit mors Christi, nam ibi Isaias loquitur de Christi passione et morte; [224] sic Paulus ait: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;* his autem qui salvi fiunt *Dei virtutem et Dei sapientiam.* [225] Sic item ait: *Tota die extendi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi,* [226] nam sic *positus est* Christus *in ruinam et in resurrectionem multorum... et in signum cui contradicetur.* [227]

Duo sunt fidelium status in Ecclesia: saecularium et Religiosorum.

XII. Qui autem salvari vult necesse est ut sit vel Petrus vel Andreas vel Iacobus vel Ioannes. Hic fuit vir altissimae contemplationis et summae perfectionis ob nimiam caritatem, quae *est vinculum perfectionis,* [228] vir summae continentiae et virginalis castitatis, cuiusmodi sunt multi religiosi viri a mundo totaliter segregati Deoque dediti. Nam duo sunt fidelium in Ecclesia status: saecularium et Regularium; et Regularium quidem quidam sunt contemplationi vacantes uti Ioannes, qui iam perfectionis apicem sunt adepti; alii vero actioni operant dant tenduntque ad perfectionem supplantando vitia, quorum typus est Iacobus. Hos secundo Chri-

220) Rom 10, 12-15. 221) Ibid. 222) Ibid. vrr. 16-17. Ordine inverso affert hos vrr. 223) Cf. Lc 5, 6. 224) Cf. 53, 1 sqq. 225) 1 Cor 1, 23-24.
226) Rom 10, 21. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, *mihi* expunctum fuit.
227) Lc 2, 34. 228) Col 3, 14.

stus vocavit, nam religiones Regularium post Evangelii praedicationem et universalis Ecclesiae convocationem, a sanctissimis viris institutae sunt. At vero non necesse est ut omnes sint Regulares: *Si vis perfectus esse, vade*, etc. Religio est sub consilio, non sub praecepto. Fidelium autem saecularium alii quidem sunt viri mirae virilitatis et fortitudinis tum in bonis agendis tum in malis sufferendis, qui toti pietatis operibus insistunt, ecclesiis, oratoriis, sacris confessionibus et communionibus, sacris lectionibus et orationibus; saeculares qui vel perfectionis culmen assecuti sunt vel summis viribus contendunt ut assequantur. Alii vero communi tantum via contenti sunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* sufficit eis obedire divinis mandatis constantesque ac perseverantes esse in mandatorum Dei observantia; quod si cadunt aliquando, per poenitentiam mox resurgunt. Et illi quidem sunt Andreas virilis, hi autem Simon Petrus. In uno autem horum quattuor statuum necesse est ut sit quisquis salvari vult et vel in uno vel in altero, vel supra vel iuxta mare Christum sequi.

His verbis Christus Apostolos constituit pastores

XIII. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum:* primum piscatores ac deinde pastores, quoniam *Dominum mortificat et vivificat;*[229] prius occidendi sunt peccatores, ut postmodum iusti vivant; hinc verbum Dei dicitur *gladius spiritus: Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti;*[230] hinc ex ore Christi egreditur *gladius* ex *utraque parte acutus*, ut in *Apocalypsi* legimus,[231] et apud Isaiam: *Posuit os meum ut gladium acutum ... et posuit me quasi sagittam electam.*[232] Hoc est quod Iosue prius septem Chananaeorum populos in ore gladii interemit,[233] ac postea Israelitis terram promissionis ad pacifice habitandum sorte divisit.[234] Hinc Christus ille est qui Iosue apparuit, *princeps exercitus Domini,*[235] evaginatum gladium manu tenens quasi ad pugnandum et occidendum paratus,[236] occisis enim Aegyptiis, salvi facti sunt Hebraei.[237]

229) 1 Rg 2, 6. 230) Hebr 4, 12. 231) 1, 16. 232) 49, 2. Vulg.: *Quasi gladium... sicut sagittam electam.* 233) Dt 7, 1; Act 13, 19. 234) Cf. Ios 13, 1 sqq. 235) Ibid. 5, 14. 236) Cf. ibid. vr. 13. 237) Cf. Ex 14, 22 sqq.

Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum: instituam vos Episcopos principesque et summos Cardinales in Ecclesia mea. Sicut Deus Moysen vocavit ad principatum et regimen totius synagogae, cum nil minus cogitaret, gregem enim ovium duxerat ad interiora deserti ut pinguiora pascua inveniret;[238] similiter Saulem regem Israelis instituit, dum animalia amissa quaereret,[239] et David etiam ab ovibus vocavit regemque unxit;[240] sic Christus hodie Andream et Simonem fratrem cum Iacobo et Ioanne vocavit ad apostolatum, ad principatum et regimen totius Ecclesiae suae, cum omnes aliud in mente haberent animoque revolverent. Sicut etiam Deus ad regimen synagogae fratres germanos vocavit, Moysen et Aaron,[241] cognatione et amore, sanguine et animo coniunctos, ita Christus germanos fratres Petrum et Andream, quoniam ad bene regendam Ecclesiam rempublicamque rite administrandam caritate et amore multaque pace opus est inter praelatos et principes. **et principes Ecclesiae.**

Faciam vos fieri piscatores hominum. Paucis hisce verbis Dominus multa complexus est magnaque in eis philosophia continetur. Nam in eis comparat mundum mari, homines piscibus, Apostolos et praelatos piscatoribus, Ecclesiam navi, Evangelium divinamque legem retibus, religionem statumque perfectionis – *Si vis perfectus esse,* etc., – litori et terrae, quae est iuxta mare, et divinam imitationem corporali ambulationi et sequelae sensibili ipsius Christi. Septem ergo mysteria continentur his verbis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Nam ad statum perfectionis vocavit hodie Christus Apostolos, hinc *relictis* omnibus, *secuti sunt eum.* Nam hoc est quod diviti illi adolescenti Dominus dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus... et veni, sequere me.*[242] **Septem mysteria continentur his verbis.**

Vocat ergo Christus a mari ad terram Apostolos, ad locum multo securiorem; Religio enim locus est multo securior pro salute quam saeculum et mundana conversatio. Nam in mari multa pericula sunt. Praecipua vero pericula, quae semper in promptu sunt, tria esse videntur: tempestates et procellae primum tenent locum; scopuli vero et syrtes, vel dum inter Scyllam et Charybdim[243] na- **Religio locus securior est pro salute quam saeculum.**

238) Cf. Ex 3, 1 sqq. 239) Cf. 1 Rg 9, 1-17. 240) Cf. ibid 16, 11-13.
241) Cf. Ex 3, 1-4, 12-16. 242) Mt 19, 21. 243) Scylla et Charybdis, duo scopuli inter

vigatur, secundum est; tertium vero est piratarum et latronum infestantium et depraedantium navigantes, ita ut nullo tempore aut loco securitas sit in mari. Ita in mundo multa pericula sunt salutis: primum est in tentationibus carnis et diaboli, nam sicut flante vento intumescit mare et sublevantur undae, sic immittente satana malas cogitationes vel imaginationes, caro illicitis motibus agitatur; secundum periculum est occultorum vitiorum, passionum et affectionum inordinatarum in animo; tertium consistit in persecutionibus quas ab inimicis et malo in nos animo affectis hominibus bona nostra diripere cupientibus patimur. Est autem difficilis admodum patientiam in persecutionibus, difficilis tolerantia invidiarum, malevolentiae, detractionum et iniuriarum. Potest quidem homo salvari vivens in saeculo, nam et Hebraei cum salute mare Rubrum transierunt; at multi perierunt, sicut ibi periere omnes Aegyptii. Hinc Dominus vocat hodie hos Apostolos a mari ad terram, ad locum securiorem. Nam in mari ipsos etiam Apostolos legimus semel et iterum periclitatos: semel quidem praesente Christo, sed dormiente in puppi cum dies esset;[244] alias vero absente Christo, in nocte, ad quos liberandos venit Christus ambulans supra mare.[245] Sicut ergo terra securior mari est, ita Religio securior saeculo. Nam Religio est veluti virgo pura, de qua ait A p o s t o l u s quod cogitat quae Dei sunt, *quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu.*[246] Hoc enim unicum et singulare exercitium est personarum vere religiosarum.

Vocat autem Apostolos Christus in terram, non ad quiescendum vel sedendum, sed ad ambulandum. Post resurrectionem suam vocavit eos a mari ad perfruendum paratis deliciis, ad prandendum.[247] Illud autem significat vocationem ad gloriam, ad triumphantem Ecclesiam. Nunc autem ad militantem vocati sunt; vocat eos ad ambulandum post se, huic motui comparans virtutis progressum.

Calabriam et Siciliam, fretus periculosus nautis. Ex his ortum est vulgatum illud proverbium, auctoris tamen incerti:

Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdim »,

dictum de iis qui volentes periculum minus evitare, in maius incidunt. Cf. Io. Perin *Onomast.*, sub voce: *Charybdis.* 244) Cf. Mt 8, 23-24; Mc 4, 36-38. 245) Cf. Mt 14, 23-27; Mc 6, 47-51. 246) 1 Cor 7, 32-34. Inserit pericopen vr. 32 in vr. 34.
247) Cf. Io 21, 3-10.

Nam sicut in motu illo sunt duo termini et recta ambulans homo semper magis recedit ab uno et accedit ad alterum, ita in via virtutis duo sunt termini: mundus et Deus, cupiditas et caritas, caro et spiritus. Eo magis proficit homo, quo magis animo, cogitatione et affectu recedit a mundo et accedit ad Deum, ut unus cum eo spiritus fiat.[248]

Qui in saeculo manere vult integra opus est divinorum mandatorum observantia.

Si quis autem manere vult in saeculo, in mari huius mundi, navi opus est et integra; haec autem est integra divinorum mandatorum observantia: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Integram oportet esse navim, nam *si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*[249] Quoniam vero non potest tam integra esse navis, quin semper aqua paullatim in sentinam instillet, semper vel parum vel multum navis imbibit aquam, opus est sollicite evacuare sentinam, quod fit per sacram Confessionem; sic itaque ad salutem integra opus est fide et spe, integra caritate et observantia divinae legis. Hinc per navim Ecclesia designatur, quae per mare huius mundi navigans ducit homines ad portum salutis aeternae, ad patriam paradisi; Apostolos autem piscatores dicit *mittentes rete in mare* et *reficientes retia sua.*[250]

Praedicatorem necesse est sollicitum esse et virtute praeditum.

XIV. Sollicitum necesse est piscatorem esse, ut observet aptum tempus et locum ad piscandum, ut habeat bona retia; quod si, facta diligentia, non multos capit pisces, in culpa non est; nam et Petrus ait: *Domine, per totam noctem laborantes nihil cepimus.*[251] Sic decet esse praedicator: faciat quod in se est, nam Deus est qui mittit pisces in rete. Sic Paulus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit,* nam *neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*[252] Deus est qui mittit pisces in rete; hinc cum Petrus in Christi verbo laxavit rete, *concluserunt piscium multitudinem copiosam.*[253] Deus est qui convertit corda hominum.

Ipsum autem Evangelium et praedicationem reti comparat, sicut alibi dixit: *Simile est regnum coelorum sagenae missae in*

248) Cf. 1 Cor 6, 17. 249) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque autem totam,* etc. 250) Mt 4, 18-21. 251) Lc 5, 5. Vulg.: *Praeceptor, per totam,* etc. 252) 1 Cor 3, 6-7. Vulg.: *Sed Deus,* etc. 253) Lc 5, 6.

Comparat Christus Apostolos piscatoribus.

mare,[254] quia sicut rationibus veris et argumentis efficacibus convincitur animus, ita capitur testimoniis Divinarum Scripturarum veluti efficacissimis rationibus et argumentis. De Apostolis autem legimus quod mittebant rete in mare et post extractionem lavabant retia et reficiebant retia sua, satagebant puritati et integritati retium: integritati contra errores et haereses apertasque divinae legis transgressiones; puritati autem a malis moribus et vitiis carnis et mundi. Multi sunt qui piscantur, sed pauci qui lavant et reficiunt retia, qui satagant ut divina lex servetur integre et pure.

praedicationem Evangelii reti,

Tandem homines huius mundi pisces sunt; congregavit autem sagena pisces bonos et malos. In Lege habemus pisces mundos et immundos:[255] mundi sunt qui habent pinnulas et squamas: illis operantur et veluti brachiis natant aut alis volant, his autem defenduntur a laedentibus; immundi autem sunt quicunque his destituti sunt. Ait autem quod *elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt:*[256] boni tantum salvantur qui declinant a malo, hae sunt squamae, et faciunt bonum, hae sunt pinnulae piscium.

homines huius mundi piscibus.

XV. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae,* etc. Diximus vocationem hanc praefiguratam fuisse in vocatione Elisei, cum ab Elia vocatus fuit ut ipsius esset discipulus et minister unctusque in prophetam fuit.[257] Similis est vocatio, quamvis inter utranque multa sit differentia. Similis est, quoniam homo propheta, spiritu Dei plenus Elias, similiter Christus; Elias a Deo missus fuit ad vocandum Eliseum illumque in prophetam inungendum, similiter Christus, ideo hodie ambulabat quasi a Deo missus ad hoc opus; Eliseus homo pauper, nam arabat in agro, sic et Apostoli pauperes piscatores; sanctificatus dono specialis gratiae tunc Eliseus fuit institutusque propheta,[258] idest verbi Dei praedicator, similiter hodie Apostoli: *Faciam vos fieri piscatores hominum,* ut mittatis in mare huius mundi rete praedicationis evangelicae; et sicut non statim Eliseus donatus fuit spiritu prophetico Eliae, sed postquam ille raptus in coelum fuit,[259] ita etiam Apostoli, postquam Christus ascendit in coelum, repleti fuerunt spiritu Christi.

Vocatio haec vocationi Elisei similis est.

254) Mt 13, 47. 255) Cf. Lv 11, 9-12. 256) Mt 13, 48. 257) Cf. supra, pag. 322. 258) Cf. 3 Rg 19, 19-20. 259) Cf. 4 Rg 2, 6-10.

sed etiam dissimilis;

Dissimilis autem fuit, quoniam Elias homo tantum fuit, Christus autem etiam verus Deus, secundum nomen Eliae, quod interpretatur potens Deus; ille vocavit agricultorem, iste piscatores; Eliseus enim operabatur in terra et a terra victum quaeritabat, Apostoli autem ab aquis et mari; ille non solo verbo usus fuit, sed pallium suum super Eliseum misit,[260] Christus solo verbo Apostolos vocat; ille tantum unum, Christus hodie quattuor solo tantum verbo tanquam verus Deus, qui *dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt;*[261] Eliseus non statim secutus fuit Eliam, sed prius voluit a parentibus licentiam quaerere,[262] Apostoli autem statim, relictis etiam parentibus, secuti sunt Dominum; Eliseus sua non reliquit sed distribuit, occidit enim boves et coxit lignis aratri fecitque convivium domesticis suis,[263] Apostoli autem hodie statim, relictis omnibus et pro nihilo habitis, Christum sequuntur.

collatione autem hac multa consideranda proponuntur:

Ex universa autem hac collatione haec nobis consideranda sunt, quod nonnisi laborantes vocantur: ille aratro, isti piscatores, otium enim Deo valde displicet, et Christus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis.*[264] Cum enim otiositas multam doceat malitiam,[265] non facile vocat Deus otiosos: *Utinam esses calidus aut frigidus! Sed quia tepidus es... incipiam te evomere ex ore meo.*[266] Calidus est qui ex caritate bene operatur, frigidus est peccator qui operatur male, tepidus qui nec bene nec male operatur, sed in otio vivit. Multo autem difficilius est hunc salvari, quoniam morbus eius intrinsecus latet et difficillime a medicis cognosci et curari potest infirmus qui extrinsecus quidem sanus videtur, intrinsecus autem est ulceribus plenus. Otium est multorum vitiorum causa, hinc Sapiens ait: *Transivi per agrum hominis pigri... et ecce universa repleverant urticae,*[267] per vineam hominis stulti, et spinis repleta erat maceriaque dissipata; cogitationes autem mundanae a Christo spinae dicuntur quae sementem suffocant.[268] Non tamen impossibile est otiosos etiam a Domino vocari, nam etiam otiosos in

260) Cf. 3 Rg 19, 19. 261) Ps 32, 9. 262) Cf. 3 Rg 19, 20. 263) Cf. ibid. vr. 21. 264) Mt 11, 28. 265) Cf. Eccli 33, 29. 266) Apc 3, 15-16. Vulg.: *Esses frigidus aut calidus,* etc. 267) Prv 24, 30-31. Vulg.: *Per agrum hominis pigri transivi... et ecce totum,* etc. 268) Cf. Mt 13, 22; Mc 4, 18-19; Lc 8, 14.

Evangelio vocatos legimus: *Quid hic statis tota die otiosi?... Ite et vos in vineam meam.*[269]

Deinde advertendum est quod non vocantur nisi licitis artibus operam dantes, illi agriculturae, isti piscationi. Non facile vocat Deus operam dantes illicitis artibus; non tamen impossibile Deo est, nam vocatus fuit Matthaeus a telonio,[270] conversa Magdalena,[271] iustificatus publicanus.[272]

Deus eos vocat qui ex caritate bene operantur.

Non vacat autem mysterio quod Eliseus quidem de terra vocatur, Apostoli autem de aqua, quod est nobilius elementum; nam ille ad excolendam synagogam vocatus fuit, isti ad excolendam Ecclesiam, multo nobiliorem, nam illa Agar est haec autem Sara,[273] illa Phenenna haec autem Anna,[274] illa desertum, haec autem terra promissionis; et etiam quia agricultores, ut plurimum pro se laborant ut ex suis laboribus vivant, piscatores autem, ut plurimum, pro aliis laborant, aliis enim vendunt pisces et ex lucro emunt panes.

Praeterea multo maioribus periculis expositi sunt piscatores quam aratores; sic multo maius fuit praedicare Evangelium Gentibus quam legem Moysi Hebraeis; et Eliseus vocatus fuit ut nonnisi Israelitis legem Dei praedicaret, Apostoli autem ut omnibus gentibus: Ite, *praedicate Evangelium omni creaturae;*[275] ite, *docete omnes gentes.*[276]

Multo maius fuit praedicare Evangelium Gentibus quam legem Hebraeis;

Quod autem Eliseus vocatus fuit imposito pallio Eliae, Apostoli autem solo verbo, significat quod Evangelium multo spiritualius est lege Moysi, in qua multae erant caeremoniae ac fere tota in exteriori cultu consistebat, Evangelium autem, e contra, totum fere in interiori. Permissus fuit Eliseus prius parentes invisere licentiamque ab eis expetere ob naturalem in parentes amorem, non autem Apostoli, nam Christus ait: Qui *non odit patrem suum et matrem* et omnia quae habet, *non potest meus esse discipulus.*[277] Multo maior requiritur amor erga Deum ab Apostolis quam a Prophetis, a professoribus Novae Legis quam Veteris; permittebantur illi amare sua et suos,

Evangelium enim multo spiritualius est lege Moysi;

269) Mt 20, 6-7. 270) Cf. ibid. 9, 9; Mc 2, 14; Lc 5, 27. 271) Cf. Lc 7, 36 sqq.
272) Cf. ibid. 18, 10-14. 273) Cf. Gal 4, 22 sqq. 274) Cf. 1 Rg 1, 2.
275) Mc 16, 15. 276) Mt 28, 19. 277) Lc 14, 26.

at hodie Apostoli, *relictis retibus et patre,* relictis omnibus, statim secuti sunt Christum. Non quod necesse sit professores Evangelii omni naturali amore destitutos esse, sed ut sint sicut vaccae, quae a terra Philisthiim portaverunt arcam Domini in terram Israel: diligebant vitulos suos et sentientes illos mugire mugiebant, nec tamen intermittebant iter versus terram Israel, supernaturali virtute actae atque directae. [278] Sic gratia necesse est ut superet naturam, sicut hodie in Apostolis videmus, amor enim Christi superat in eis omnium rerum amorem, ideo relictis omnibus, secuti sunt Christum. Permissus fuit Eliseus facere convivium amicis suis, non autem Apostoli, quia permittebantur voluptates carnales etiam viris Deo dicatis in Veteri Lege, non autem viris religiosis Novi Testamenti. Sicut autem in Veteri Lege prohibebatur ne sacerdos contaminaretur pro morte etiam parentum, sic nunc exquiritur a praelatis Ecclesiae affectus separatus a carne et mundo: *Relictis retibus et patre, secuti sunt* Christum.

Apostoli vocati sunt ut essent veri imitatores Christi.

Tandem vocatus fuit Eliseus ut esset Eliae discipulus et imitator similisque ei, hoc enim praesagivit pallium super eum immissum; nam cum Elias raptus fuit in coelum, Eliseus, accepto pallio Eliae, repletus fuit spiritu Eliae factusque fuit Eliae simillimus. Apostoli autem vocantur ut sint Christi discipuli eique simillimi: *Venite post me,* mei imitatores estote, *et faciam vos fieri piscatores hominum.* Ad hoc venit Christus in mundum, ad salvandos homines praedicatione Evangelii et operatione miraculorum, sic et Apostoli fecerunt post Christi ascensionem in coelum repleti Spiritu Sancto.

Proponitur his verbis meritum et praemium imitationis Christi.

XVI. *Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum.* Duo nobis hisce verbis proponuntur: meritum et praemium, opus et merces, labor et retributio, certamen et corona. *Venite post me,* non ante me, non iuxta me, sed *post me,* quia non possumus esse Christo superiores vel aequales in virtute, sed inferiores tanquam imitatores. Imitantur pictores et sculptores opera naturae, sed naturae opera sunt viva et vera; non sic autem artis. *Venite post me;* sic Iosue iussit ut universus populus sequerentur arcam Domini,

278) Cf. 1 Rg 6, 10-12.

dum per Iordanem transituri erant a deserto in terram promissionis, sed ut a longe sequerentur arcam Domini,[279] quae Christus est. Infinitis enim partibus Christi perfectio excedit perfectionem omnium sanctorum: *Venite post me*, imitatores mei estote, sicut ars imitatur naturam,[280] simia hominem, heliotropium solem.

Duo requiruntur ad salutem: gratiae auxilium et humana cooperatio.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Non dixit: facio vos piscatores, sed *faciam*. Veluti si magnus philosophus iuvenes ad suum gymnasium invitet et dicat: Venite ad me, faciam vos philosophos. Nec dicit faciam vos piscatores, sed *faciam vos fieri*, quoniam necessaria est humana cooperatio, nam sumus cooperatores Dei, ut dum iacitur sagitta salutis contra Syriam, sit manus Elisei una cum manu regis Israel;[281] duplex enim manus requiritur ad salutem consequendam: manus Dei et manus hominis. *Faciam vos*, homines simplices, idiotas, qui nil minus cogitatis vel speratis; non enim ambitiosos vel praesumentes de se Christus vocat ad principatum Ecclesiae, sed eos qui nil minus cogitant. Sic vocavit Moysen et Aaron, sic Saulem ad regnum, sic Eliseum ad prophetiam, sic Gedeonem ad populi principatum.[282] *Venite post me; Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Statim, relictis* omnibus, *secuti sunt eum*, quoniam verbum Dei operatorium est, non tantum expressivum aut persuasivum, sed etiam effectivum et potentissime efficacissimeque motivum. Immitit spiritum suum Deus hominemque convertit in alterum hominem, sicut de Saule legimus quod unctus in regem ex humillimo pastore, mutatus est in alterum virum;[283] sic dicens Christus Matthaeo: *Sequere me*,[284] statim mutavit in alium hominem, ut qui prius thesaurizabat in terra thesaurizaret in coelo.[285]

In hoc mundo omnes sunt piscatores.

Faciam vos fieri piscatores hominum. In mundo hoc omnes homines sunt piscatores, omnes piscantur: hi quidem divitias et facultates, illi vero delicias et voluptates sensuum, vitam epicuream cum epulone ducere cupientes,[286] cum filio prodigo luxuriose vivendo;[287] alii piscantur honores et dignitates, alii favores et gratiam principum, alii humanas laudes nominisque et famae claritatem

279) Cf. Ios 3, 8 sqq. 280) Effatum ex Aristot. *Physicorum*, lib. 2, cp. 2, t. 1, pag. 205. 281) Cf. 4 Rg 13, 16-17. 282) Cf. Idc 6, 11 sqq. 283) Cf. 1 Rg 10, 1-16. 284) Mt 9, 9. 285) Cf. ibid. 6, 19-20. 286) Cf. Lc 16, 19. 287) Cf. ibid. 15, 11-14.

et immortalitatem gloriamque in mundo perpetuam. Animas autem nemo piscabatur, quae sunt pisces optimi, ita ut meliores esse non possint, qui sunt carissimi Deo summo regi et imperatori pisces, adeo ut qui unum ex his piscibus Deo praesentat, magnam supra modum ab eo mercedem accipiat et magna munera. Non cognoscebat autem mundus pretium horum piscium; sed Christus venit in mundum ad hoc, ad expiscandos hos pisces: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Hac autem piscatione Apostoli ditissimi facti sunt apud Deum et principes in mundo gloriosissimi. Hinc per Ieremiam ait: *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos; et post haec mittam eis venatores multos, et venabuntur eos.* [288] Sunt quidam pisces qui habent pretiosos lapides in capite et quandoque reperiuntur margaritae in visceribus piscium; [289] homo autem piscis est qui habet in capite tres pretiosissimas gemmas apud Deum infiniti pretii et valoris. [290] Promittit autem Dominus hisce verbis quod multos homines piscaturi essent, nam ut Lucas habet, postquam *concluserunt copiosam piscium multitudinem,* ita ut rumperetur rete et ut duas naves piscibus implerent, tunc Dominus ait Petro: *Ex hoc eris homines capiens,* idest multos [291] homines piscaberis atque salvabis.

sed soli Apostoli animas piscantur.

XVII. *Venite post me, faciam... vos fieri piscatores hominum.* His verbis, ut diximus, et virtus ipsa continetur et praemium virtuti promissum. Multa autem promisit Dominus discipulis suis in praemium virturtis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum; beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati misericordes, quoniam,* etc. [292] Nec tantum aeterna praemia voluit promittere, sed etiam temporalia quaedam; unde post beatitudines subiunxit: *Vos estis lux mundi... vos estis sal terrae; non potest civitas abscondi supra montem posita neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic lu-*

Multa promittit Dominus in praemium virtutis tum in coelo tum in terra.

288) 16, 16. Vulg.: *Multos venatores,* etc. 289) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 37, cp. 10, pag. 419-421 290) Idest tres facultates: memoriam, intellectum et voluntatem. 291) Ms.: *Mostos.* 292) Mt 5, 3-7.

ceat lux vestra coram hominibus, sive lucebit lux vestra, *ut videntes opera vestra... glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.*[293] Praemium autem quod hodie promittit temporale in praesenti vita accipiendum videtur: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Sicut cum vocavit Deus Abraham ad patriarchatum synagogae: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae.*[294] Magna utique benedictio et quae pro magnitudine impossibilis videbatur, sed *apud Deum omnia possibilia sunt:*[295] *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*[296]

In verbis autem hisce duo continentur: praeceptum virtutis: *Egredere,* etc., et praemium virtutis: *Faciam... te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum erisque benedictus.* Magnum virtutis praeceptum datum fuit Abrahae: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi,* quod idem est: relinque saeculum et veni mecum et sequere me. Non tamen iussus est Abraham relinquere omnia, nam Sacer Textus habet quod *tulit* secum *Sarai uxorem suam et Loth filium fratris sui universamque substantiam quam possederant.*[297]

Magnum est virtutis praeceptum Apostolis impositum.

Sed multo maius virtutis praeceptum datum est Andreae et Petro. Nam ille quidem iussus est Deum [diligere] supra terram, idest patriam suam, supra cognationem, idest gentilitatem suam, qui eiusdem erant sanguinis et familiae secum, et supra domum patris sui, ut propter Deum haec relinqueret; hi autem iussi sunt ut propter Deum penitus omnia relinquerent: *Continuo, relictis* omnibus, *secuti sunt eum.* Illi permisit Deus uxorem et facultates, his autem nihil penitus: *Relictis* omnibus, *secuti sunt eum;* et ibi quidem unum vocavit, hic autem duos, imo quattuor, quoniam multo maior futura erat Ecclesia quam synagoga multoque abundantiori caritate praedita.

293) Mt 5, 13-16. Vulg.: *Vos estis sal terrae... lux mundi... Ut videant opera,* etc.
294) Gn 12, 1-3. Cf. supra pag. 322, not. 8. 295) Mt 19, 26. 296) Lc 1, 37.
297) Gn 12, 5.

Magnum praemium promisit Abrahae: *Faciam... te in gentem magnam et magnificabo nomen tuum*, etc., quod humano sensui videbatur impossibile; nam uxorem sterilem habebat, nec ulla patebat via qua extra domum suam peregrinus et advena omnibus ignotus, nec admodum altae amplaeque fortunae homo, inter gentes barbaras magnificari posset; tamen uti promiserat Deus, ita evenit. Magnificatus adeo fuit Abraham, ut etiam cum regibus posset contendere: expugnavit quattuor reges qui Pentapolim devastaverant,[298] honoratus fuit a Melchisedech rege Salem,[299] visitatus ab Abimelech rege Palaestinae[300] et vir evasit princeps gloriosissimus, cui innumerabilem posteritatem dedit Deus ex sterili uxore.

sed magnum etiam est praemium promissum.

Praemium etiam quod promisit Christus Petro et Andreae magnum est, quod pro magnitudine videtur impossibile et incredibile: *Faciam vos fieri piscatores hominum, sal terrae, lumen mundi, civitas supra montem posita*, lucerna lucens *omnibus qui in domo sunt* huius mundi; faciam vos gloriosissimos principes Ecclesiae, ita ut vos mundus etiam mortuos adoret per omnia saecula. Quis tunc audiens Christum haec pauperculis piscatoribus dicentem credidisset? imo non irrisisset? Et tamen totus nunc mundus pauperculos illos piscatores adorat; non reges, non imperatores, non monarchas mundi, non Summos Pontifices, qui viventes tanquam dii ab hominibus adorantur, mortui autem ita sunt ac si nunquam fuerint apud homines; Apostoli autem iam mille quingentis et plus annis mortui adorantur a mundo, a summis etiam principibus et regibus. Non sunt ergo impossibilia nec incredibilia Christi promissa, licet pro magnitudine talia videantur.

Praedicatoribus varia utendum est arte ad homines convertendos.

XVIII. *Faciam vos fieri piscatores hominum*, non inquit: facio vos piscatores, nec: faciam vos piscatores, sed: *Faciam vos fieri piscatores*, ut prius discatis artem piscandi, ut sciatis quomodo et quando piscandum est. Piscatores enim non uno piscantur modo, sed pluribus, sed praecipue vero duobus: vel retibus et sagenis, vel hamo. Et retibus quidem multi simul capiuntur pisces, hamo autem unus tantum capitur; cum retibus piscantur, aliquando strepitum

298) Cf. ibid. 14, 5-16. 299) Cf. ibid. vrr. 18-20. 300) Cf. ibid. 20, 8 sqq.

magnum faciunt ad exterrendos pisces, ut sic conturbati facilius irretiantur; at cum piscantur hamo, expectant piscem magna cum patientia et silentio multaque dexteritate utuntur et escam deligunt qua pisces delectari norunt. Sic praedicatoribus varia utendum est arte. In publicis concionibus possunt, Prophetarum more, peccata severissime arguere maximisque comminationibus divinae irae peccatores ferire, sicut Ioannes Baptista turbis dicebat: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* [301] et sicut Christus: *Vae tibi, Corozaim! vae tibi, Bethsaida!* [302] Sed cum particularis alicuius personae desideratur salus, [303] dulciter alloquendus peccator est, *in spiritu lenitatis,* ut Paulus docuit, [304] sicut Christus egit cum samaritana, [305] cum Magdalena, [306] cum Zachaeo, [307] cum latrone in cruce, [308] cum Petro, [309] cum Thoma, [310] cum Paulo. [311]

ALIA HOMILIA

Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem eius, mittentes, etc. [1]

Petrus primum est fundamentum Ecclesiae.

I. In hodierno [2] Evangelio proponitur nobis quattuor Apostolorum Christi vocatio: Petri, Andreae, Iacobi et Ioannis, qui fuerunt quattuor primi Christi Domini discipuli, omnium electis-

301) Lc 3, 7. 302) Mt 11, 21; Lc 10, 13. 303) Ms.: *Sunt* adiicitur. 304) Gal 6, 1. 305) Cf. Io 4, 7-26. 306) Cf. Lc 7, 37 sqq. 307) Cf. ibid. 19, 1-10. 308) Cf. ibid. 23, 41-43. 309) Cf. ibid. 22, 61. 310) Cf. Io 20, 27-29. 311) Cf. Act 9, 1-7.

1) Mt 4, 18. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Cum hodie Sancta Mater Ecclesia celebret solemne festum in honorem sanctissimi et gloriosissimi apostoli Christi Andreae, pro panegyrico laudum ipsius proponit Evangelium hoc, in quo tamen de ipso nihil aliud dicitur, nisi quod sit vocatus a Christo, quod electus sit in discipulum et apostolum Christi, quod sit secundus Christi discipulus et apostolus. Christus tanquam summus pontifex instituit sacrum collegium duodecim cardinalium, in qua quidem promotione Andreas secundum locum meruit obtinere. Duodecim Apostoli in Divinis Litteris non sine magno mysterio multis sacris figuris veluti hieroglyphice describuntur tum in Veteri tum in Novo Testamento. In Veteri quidem in duodecim patriarchis, in duodecim fontibus Elim, in duodecim principibus duodecim tribuum, in duodecim lapidibus pretiosis in *Rationali* summi pontificis, in duodecim panibus propositionis, in duodecim lapidibus sublatis ex alveo Iordanis et positis in testimonium ac memoriale perpetuum miraculi transitus Iordanis, in duodecim bobus sustentantibus mare aeneum et multis aliis. Sed in Novo Testamento, in sacra *Apocalypsi*, in duodecim

simi et dilectissimi, quattuor pretiosiores lapides in *Rationali* summi pontificis,[3] quattuor lucidiores stellae in corona coelestis mulieris,[4] quattuor gloriosissimi principes et patriarchae Sanctae Ecclesiae, quattuor fundamenta coelestis civitatis Ierusalem ex quattuor pretiosissimis lapidibus. Refert in *Apocalypsi* Ioannes vidisse se in coelo gloriosissimam civitatem, cuius muri erant ex iaspide, tota vero civitas ex auro purissimo, habebatque duodecim portas factas ex gemmis, custoditas a duodecim Angelis; sed specialiter inquit quod murus civitatis habebat duodecim fundamenta ex lapidibus pretiosis, in quibus erant descripta nomina duodecim Apostolorum,[5] ita quod in primo fundamento scriptum erat nomen primi Apostoli, in secundo autem secundi. Petrus est primus Christi apostolus, primum Ecclesiae fundamentum post Christum; Andreas secundus apostolus, secundum fundamentum Ecclesiae. Vidit Petrum et Andream, duo prima fundamenta Ecclesiae: *Fundamentum primum,* inquit, *iaspis, secundum sapphirus.*[6] Iaspis solidissima gemma est, viridis coloris et ad vitri aut chrystalli instar saepe translucida; sapphirus vero cerulei coloris, sereno coelo similis, aureis punctis respersus, ita ut stellati coeli similitudinem referat. Estque gemma ista in Divinis Litteris celeberrima. Erat enim in *Rationali* summi pontificis, in secundo ordine medio loco posita. Ex lapidibus sapphirinis vidit Moyses scabellum pedum Domini: *Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et quasi coelum cum serenum est.*[7] Ezechiel vero ex sapphiro vidit thronum divinae maiestatis: *Et supra firmamentum ... quasi aspectus lapidis sapphirini similitudo throni; et super similitudinem throni quasi aspectus hominis desuper.*[8] Sapphiris ornatum sponsum describit sponsa in

Andreas secundum;

ille per iaspidem figuratus, hic autem per sapphirum.

stellis coronae coelestis mulieris, in duodecim portis et duodecim fundamentis coelestis Ierusalem. Infinitum esset haec omnia aperire et revelare mysteria. Sed quoniam Christus hodie prima iacit fundamenta Ecclesiae, quorum Andreas secundum est, videamus quaenam Ioannes de fundamentis istis dicat, ut sic sciamus quale fundamentum Andreas sit. *Fundamenta,* inquit, *civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus,* etc. Mirabile dictu, ut maximae civitatis, cuius murus duodecim millibus stadiis dicitur circumdare, omnia fundamenta sint ex pretiosissimis gemmis. Dixerat paulo ante: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim;* sed fundamenta sunt *omni lapide pretioso ornata,* unumquodque fundamentum est lapis pretiosus, et adhuc ornatus omni alio lapide pretioso. Sed quoniam hodie de Sancto Andrea sermonem instituimus, qui secundum fundamentum est, sapphirus est omni lapide pretioso ornatus ». 3) Cf. Ex 28, 17-20. 4) Cf. Apc 12, 1. 5) Cf. 21, 10-21. 6) Ibid. vr. 19. 7) Ex 24, 10. 8) 1, 26. Vulg. *Super fundamentum... lapidis sapphiri,* etc.

Canticis: Manus eius tornatiles aureae, plenae hyacinthis; venter eius eburneus, distinctus sapphiris; [9] sapphiro comparat Ieremias Nazaraeos, idest viros sanctissimos: *Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo,* sive rubinis, *sapphiro pulcriores.* [10]

Multis de causis Andreas sapphiro comparatur.

II. Age ergo, comparatur Andreas lapidi pretiosissimo, in Divinis Litteris celeberrimo et illustrissimo: *Fundamentum... secundum sapphirus.* Fuit Andreas sapphirus pretiosissimus. Generatur quidem in terrae visceribus sapphirus, sed virtute coelestis influxus radiorumque solarium, sereno stellatoque coelo similis est. Fuit Andreas homo natura terrenus, filius terreni Adae: *Primus homo de terra terrenus,* sed virtute Dei factus est Christo simillimus: *Secundus homo de coelo coelestis... Sicut portavimus imaginem terreni,* ita *portemus... imaginem coelestis.* [11] Fuit conversatione homo coelestis: *Nostra... conversatio in coelis est;* [12] coelestes erant eius cogitationes, desideria, affectiones, verba, opera; non thesaurizabat nisi in coelo, ut ibi semper esset cor ipsius. [13] Vere secutus Christum fuit Andreas per imitationem perfectam factusque est ei simillimus in vita et in morte.

Per sapphirum enim multa significantur quae optime huic B. Apostolo conveniunt.

Dicunt nonnulli quod lapis iste coelestem quandam attrahit virtutem a Iove et Saturno, ita ut quodammodo viam aperiat ad principatum et sacerdotium. [14] Commentum est, sat scio, sed in Andrea verissimum est. Factus est a Christo gloriosissimus princeps Ecclesiae magnusque sacerdos, episcopus, imo archiepiscopus, patriarcha et magnus cardinalis, secundus cardinalis creatus a summo pontifice Christo.

Sapphirus in Divinis Litteris significat Nazaraeorum vitam et sanctitatem: Andreas fuit nazaraeus immaculatissimus atque sanctissimus, fugiens semper non solum omne peccatum, sed omnem etiam occasionem peccati; sic tanquam verus nazaraeus nihil omnino gustavit quod ex vite oritur.

9) 5, 14. Vulg.: *Manus illius,* etc. 10) Thr 4, 7. 11) 1 Cor 15, 47-49.
12) Phil 3, 20. 13) Cf. Mt 6, 20-21. 14) Cf. Marsilius Ficinus *De Vita coelitus comparanda,* cp. 8, f. 155ᵃ; Lud. Alcazar *Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi,* cp. 21, pag. 729; Pierius Valerianus *Hieroglyphica,* lib. 41, circa finem.

Significat coelestes animi virtutes: *Venter eius distintus sapphiris*, pectus ornatum virtutibus; hic autem omnibus virtutibus et donis Spiritus Sancti repletus fuit.

Significat divinam sedem et inhabitationem, locum divinae gloriae, hoc enim significat thronus sapphirinus apud Ezechielem: Andreas templum et sedes Dei fuit per naturam et gratiam, nunc vero etiam thronus Dei per gloriam.

Significat etiam Martyrum gloriam, qui propter iustitiam passi sunt persecutiones: *Sub pedibus eius... opus lapidis sapphirini*, hebraice: *Opus lapidum*, sive *laterum sapphiri*. Lateres illi ex terra et luto, quos miseri Hebraei in gravissima persecutione diri et crudelis tyranni Pharaonis facere cogebantur, [15] conversi erant in coelestes sapphiros, quoniam propter Deum persecutionem illam patiebantur: *Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [16] Nihil tam indignum pati possumus in mundo propter Deum, quod non in pretiosissimas gemmas illud nobis Deus convertat in coelo. Vilissimam et ignominiosissimam crucis mortem sustinuit Andreas, propter Deum passus Christi martyrium, [17] at crucis ignominia translata est in coelestem gloriam.

Tandem sapphirus significat divini verbi praedicationem; nam hebraice dicitur סַפִּיר, [18] a verbo סָפַר, quod est enarrare, hinc liber dicitur סֵפֶר, quasi enarrator. Significat sapphirus coelum, cui simillimus est, at: *Coeli enarrant gloriam Dei:* הַשָּׁמַיִם מְסַפְּרִים כְּבוֹד־אֵל וּמַעֲשֵׂה יָדָיו מַגִּיד הָרָקִיעַ, [19] *et opus manuum eius nunciat firmamentum.* [20] סַפִּיר, [21] quasi narrator: talis fuit Andreas singularis fidei et Evangelii praedicator, nam etiam pendens in cruce usque ad ultimum spiritum praedicavit tanquam verus Apostolus, Dei nuncius. Merito igitur per sapphirum designatur Andreas: *Fundamentum... secundum*

15) Cf. Ex 1, 14. 16) Mt 5, 10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc.
17) Cf. supra, hom. 1, pag. 346, not. 216. 18) Ms.: *Sappir*, et infra: *Saphar*, *sepher*.
19) Ms.: *Haschamaim mesapperim chebod el umahasseh iadau maghid harakiah.*
20) Ps 18 (hebr. 19), 1. 21) Ms.: *Sappir*.

sapphirus, homo totus coelestis, totus vere intrinsecus et extrinsecus christianus, Christo simillimus, Christi perfectissimus imitator ex dono gratiae coelestis, quamvis natura homo terrenus esset similis nobis. Utinam nos quoque sic nomine et re christiani simus, sicut a Christo omnes vocati sumus: *Venite post me,*[22] sequimini me, estote imitatores mei: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde!*[23] *Relictis* omnibus, *secuti sunt eum,*[24] contemptis omnibus mundi huius bonis.

22) Mt 4, 19. 23) Ibid. 11, 29. 24) Ibid. 4, 20.

DIES SANCTI THOMAE APOSTOLI

Thomas autem, unus de duodecim... non erat cum eis quando venit Iesus... Post dies octo, iterum erant discipuli congregati, etc. [1]

I. Erat Thomas ad instar tenebrosae abyssi hodie, habens animam infidelitatis ac perfidiae tenebris opertam, velut domus quae in clarissima meridiei luce obscuritate plena est ob ianuas fenestrasque omnes clausas ac diligentissime obseratas, adeo ut nec minimus luci aditus pateat; erat sicut ovis in faucibus lupi atque leonis, sicut margarita perdita, sicut stella eclipsata. Sed Christus hodie tanquam verus Deus dicit: *Fiat lux. Et facta est lux,* [2] et sicut ianuis clausis ingressus ad discipulos fuit, [3] sic per fidem in cor Thomae ingreditur, sicut pius pastor ovem quae perierat quaerit, [4] imo tanquam David eam de faucibus lupi, ursi et leonis eripit [5] positamque in humeris suis ad ovile reducit, et sicut mulier evangelica drachmam ex decem perditam quaerens, cum invenerit gaudet. [6]

Hodie Christus per fidem in Thomae cor ingreditur.

II. *Thomas... unus de duodecim, qui dicitur Didymus.* Sicut Iacob patriarcha duodecim habuit filios, qui fuerunt duodecim patriarchae ac protopatres duodecim tribuum Israel, totius populi Dei duces ac principes synagogae, [7] ita et Christus duodecim voluit habere Apostolos, [8] qui essent patriarchae et principes Ecclesiae, qui praefigurati sunt in duodecim Patriarchis, in duodecim Prophetis, [9] in duodecim principibus populi qui prima munera obtu-

Christus duodecim habere voluit Apostolos.

1) Io 20, 24-26. Vulg.: *Ex duodecim.* 2) Gn 1, 3. 3) Cf. Io 20, 19. 4) Cf. Mt 18, 12-13. 5) Cf. 1 Rg 17, 34-35. 6) Cf. Lc 15, 8-9. 7) Cf. Gn 35, 22-26; 49, 1-28. 8) Cf. Mt 10, 2-5; Mc 3, 14-19; Lc 6, 13-16. 9) Cf. Eccli 49, 12.

lerunt,[10] in duodecim lapidibus pretiosis in *Rationali* summi sacerdotis,[11] in duodecim virgis positis coram Domino in electione summi sacerdotis,[12] in duodecim exploratoribus terrae promissionis,[13] in duodecim lapidibus extractis ex alveo Iordanis,[14] in duodecim fontibus aquarum Elim,[15] in duodecim panibus propositionis,[16] in duodecim titulis duodecim tribuum in altari aedificato a Moyse ad radices montis Sinai, in duodecim acetabulis ac phialis argenteis nec non duodecim aureis mortariolis plenis incenso ac duodecim vitulis oblatis in dedicatione tabernaculi,[17] in duodecim pueris David qui fortiter pugnaverunt atque vicerunt,[18] in duodecim bobus sustentantibus mare aeneum in templo Salomonis,[19] in duodecim leunculis throni Salomonis,[20] in duodecim praefectis Salomonis qui[21] per singulos menses praebebant ei ac omni domui suae annonam,[22] in duodecim portis civitatis Ierusalem quam in spiritu aedificandam vidit Ezechiel,[23] nam et Ioannes in *Apocalypsi* ait supernam civitatem Ierusalem duodecim portas et duodecim fundamenta habere in quibus sunt duodecim nomina Apostolorum Christi.[24] Vere enim Apostoli sunt patres Ecclesiae, quoniam ipsi nos per Evangelium in Christo Iesu genuerunt;[25] Prophetae qui de futura gloria vaticinati sunt; principes, quoniam episcopi et capita Ecclesiarum; exploratores qui, contemplata gloria terrae promissionis, eam nobis praedicaverunt; lapides pretiosi ob summum gratiae Spiritus Sancti valorem; lapides duodecim magni ac durissimi in fundamentum Ecclesiae sublati ex alveo Iordanis: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;*[26] fontes aquae scientiae salutaris; panes qui credentibus vitam contulerunt aeternam; vituli altaris Deo consecrati atque totaliter devoti; vasa argentea et aurea per divinam scientiam et caritatem; milites fortissimi qui tartareas potestates devicerunt; praefecti provinciarum Salomoni providentes annonam per conversionem animarum iuxta voluntatem Patris, nam: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me;*[27] boves sustentantes mare aeneum, quod est Eccle-

qui sunt duodecim patres Ecclesiae.

10) Cf. Nm 7, 2-3. 11) Cf. Ex 28, 15-21. 12) Cf. Nm 17, 2-9. 13) Cf. ibid. 13, 3-17. 14) Cf. Ios 4, 3-20. 15) Cf. Ex 15, 27; Nm 33, 9. 16) Cf. Nm 24, 5-7. 17) Cf. ibid. 7, 84 sqq. 18) Cf. 2 Rg 2, 15-16. 19) Cf. 3 Rg 7, 23-25; 2 Par 4, 15. 20) Cf. 2 Par 9, 17-19. 21) Ms: *Qui* bis ponitur. 22) 3 Rg 4, 7. 23) Cf. Ez 48, 30 sqq. 24) Cf. 21, 12-14. 25) Cf. 1 Cor 4, 15. 26) Tit 3, 5. 27) Io 4, 34.

sia; leones defensioni Salomonis astantes; portae coelestis civitatis, quoniam per eos apertus est nobis aditus salutis.

III. Erat Christus dies lucis, voluit duodecim horas habere; erat annus benignitatis divinae, voluit habere duodecim menses; erat *Sol iustitiae*, [28] voluit habere duodecim signa coelestia. Et unum quidem ex signis est Gemini, regnans in mense Maii, signum omnium altissimum, quando sol altissimo constitutus coelo clarissimos calidissimosque radios emittit. Et *Thomas*, inquit Ioannes, *dicitur Didymus*, idest geminus. [29] Novit Ioannes magnum latere in nomine Thomae mysterium, hinc illud nobis voluit interpretari: *Thomas, qui dicitur Didymus*. Sicut Deus non tantum creavit res, sed eis etiam nomina indidit, nam appellavit lucem diem et tenebras appellavit noctem et vocavit aridam terram et firmamentum appellavit coelum, congregationem aquarum appellavit maria et tandem hominem vocavit Adam, [30] declarans utique nominibus naturas rerum, sic Ioannes, dum nobis Thomae nomen interpretatur, magnum gratiae Christi in hoc Apostolo nobis declarat mysterium. Nam et in nominibus multa reconduntur in Divinis Scripturis mysteria, sic enim Deus Abrahamo et uxori eius nomina mutavit, [31] sic et patriarchae Iacob; [32] hinc Zachariae et Elisabeth revelavit quo nomine vocandus esset praecursor Christi, [33] Santissimae quoque Virgini et Beato Ioseph quo nomine vocandus esset Christus. [34] Hinc Ioannes divinorum mysteriorum acutissimus interpres ac contemplator altissimus, multa nobis sacra nomina interpretatur: *Rabbi, quod dicitur interpretatum magister;* [35] *Cephas, quod interpretatur Petrus;* [36] Messias, *quod est interpretatum Christus;* [37] *Siloe, quod interpretatur missus;* [38] *Rabboni, quod dicitur magister.* [39] Quis inficiatur magna sub his nominibus latere mysteria ac ob id nobis ab Evangelista, interpretata esse? Christus enim dicitur *Rabbi*, magister ob multitudinem scientiae magnitudinemque sapientiae divinae; dicitur *Christus*, unctus,

In nomine Thomae multa latent mysteria,

speciatim gratiae.

28) Mal 4, 2. 29) Sic latine hoc nomen interpretatur. 30) Cf. Gn 1, 5-26. 31) Cf. ibid. 17, 5. 15. 32) Cf. ibid. 32, 28. 33) Cf. Lc 1, 13. 34) Cf. Mt 1, 20-21; Lc 1, 31. 35) 1, 38. 36) Ibid. vr. 42. 37) Ibid. vr. 41. 38) Ibid. 9, 7. 39) Ibid. 20, 16.

tanquam summus rex, summus pontifex, summus propheta; *Petrus* dicitur *Cephas*, idest p e t r a , quia: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ;* [40] fons ille interpretatur m i s s u s , quoniam Christum designat, in quo baptizati sumus. Sic dum Thomae nomen E v a n g e l i s t a nobis interpretari voluit, magnum aliquod in eo subesse mysterium sapienter indicavit. [41]

Thomas interpretari potest abyssus.

Thomas poterat interpretari nobis a b y s s u s , nam si cum ת in medio scribatur תהום, [42] a b y s s u m significat. Nec immerito abyssus dici potuisset, ad instar illius primigeniae in primordiis creationis, cum *tenebrae erant super faciem abyssi ;* sed non semper tenebrae, nam *Spiritus Domini ferebatur super aquas; et dixit Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [43] Quo mystice hominis iustificatio designatur, dicente A p o s t o l o : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei.* [44]

vel immaculatus,

Poterat interpretari i m m a c u l a t u s atque p e r f e c t u s , nam תם et תמים [45] immaculatum perfectumque significat. Sic enim Apostolus hic, accepta gratia Spiritus Sancti, semper immaculatus mundusque ab omni vitio et omni peccato fuit, perfectus et consummatus in omni virtute et gratia.

iuxta Evangelistam tamen gemellum significat.

E v a n g e l i s t a tamen interpretatur dici Thomam a תאם, [46] quod g e m i n a r e significat, Didymus enim g e m i n u m gemellumque significat. Geminus autem dici potest Thomas quatenus homo, qui gemina constat substantia: anima et corpore, carne et spiritu, sensu et ratione; geminus ratione naturae et gratiae, quae in vocatione et iustificatione geminantur; geminus vita activa et contemplativa; geminus virtute, fide et caritate, geminus caritate Dei et proximi, geminus odio vitii et amore virtutis, geminus cognitione et amore Dei, geminus duplici spiritu Christi plenus, sicut Eliseus duplici spiritu Eliae, [47] geminus gloria animae et corporis, geminus aureola corona apostolatus et martyrii. Ob has omnes

Thomas in omnibus geminus.

40) Mt 16, 18. 41) Cf. Rom 6, 3. 42) Ms.: תהום. 43) Gn 1, 2-4. Vulg.: *Spiritus Dei... Dixitque Deus*, etc. 44) 2 Cor 4, 6. Vulg.: *Lucem splendescere ad illuminationem*, etc. 45) Ms.: תם et תמים. 46) Ms.: תאם. 47) Cf. 4 Rg 2, 9-15.

rationes merito Thomas hoc sortitus est nomen. Specialiter tamen ob confessionem geminae naturae in Christo, qua hodie ex incredulo factus fidelis Christum glorificavit dicens: *Dominus meus et Deus meus!* [48] his enim verbis clarissime confessus est veritatem utriusque naturae in Christo: *Dominus meus et Deus meus!*

Verum et ob aliam rationem Thomas Didymus mihi dictus videtur. Plane dum animam beati huius Apostoli contemplor in statu incredulitatis, videre mihi Rebeccam, in cuius utero infantes Iacob et Esau nondum nati collidebantur secumque pugnabant et, partu adveniente, ille, qui secundum Deum futurus erat posterior, natus est primus; [49] et simile etiam accidit in partu Thamar, infantes enim in utero eius contendebant veluti de primogenitura et nativitatis primatu, unde qui posterior futurus erat, prior ab utero manum emisit, quae filo coccineo ab obstetrice ligata fuit; sed tandem coactus hic fuit manum retrahere et alteri, qui vere primogenitus futurus erat, locum dare. [50] Sic, inquam, videtur mihi quod in anima Sancti Thomae pugnabant vehementer cogitationes cordis eius mentalesque conceptus; ex altera quidem parte sensus naturalis rationis et ex altera sensus fidei supernaturalis atque divinae. Sensus naturalis humanaeque rationis dicebat: quomodo possibile est ut homo talia passus et cum latronibus crucifixus, sit verus Deus immortalis et impassibilis, Deus ille qui *creavit coelum et terram*, [51] cui omnes Angeli serviunt? [52] Quod si non Deus sed purus homo fuit, quomodo possibile est ut alia tantaque passus resurgat? Ex altera vero sensus supernaturalis divinaeque fidei dicebat: si purus homo erat, quomodo talia tantaque miracula operatus est virtutis suae imperio? Profecto, si Deus non esset, talia tantaque miracula operari minime potuisset. Sed sensus naturalis: etiam, inquit, Prophetae operati sunt miracula, qui tamen homines fuerunt non dii; quod si non talia tantaque operati sunt, profecto minores eo fuerunt, ipse autem maximus omnium: *Vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* [53] Sic collidebantur infantes in utero eius, nam fidei dicenti: si pro-

maxime in conflictu in eius spiritu excitato inter sensum naturalem et supernaturalem circa fidem Christi.

48) Io 20, 28. 49) Cf. Gn 25, 22-23. 50) Cf. ibid. 38, 27 sqq. 51) Gn 1, 1. 52) Cf. Dn 7, 10. 53) Lc 24, 19.

pheta omnium maximus fuit, credendum est omnibus quae dixit; sed saepe dixit se Filium Dei esse ac verum Deum, et ad hoc probandum miracula faciebat, dixit etiam se resurrecturum tertia die; cur ergo non credis? respondet naturalis sensus: ipse saepe in parabolis obscure loquebatur, in metaphoris, et non intelligebantur quae dicebat; plane cum dixit se Filium Dei esse ac die tertia resurrecturum, metaphorice locutus fuit. Sed cum tempus partus appropinquasset, cum tertia advenisset dies qua Dominus ad divinitatis suae ostensionem resurrecturum se dixit, mens Thomae cum parere prius debuisset Iacob dilectum, peperit Esau odio habitum.[54] Resurrexit Christus, ut dixerat, et Apostolis apparuit, absente Thoma.[55] Dicitur ei post advenienti: *Vidimus Dominum.* Nec unus est aut duo qui id testantur, sed omnes; nec de auditu perhibent resurrectionis Christi testimonium, sed de visu: *Vidimus Dominum;*[56] testes sunt oculati, viri bonae fidei, qui et ipsi increduli fuerant et simile scandalum passi.[57] Quare omnis ratio expostulabat ut ipse quoque crederet, ut mens ipsius fidelem Iacob pareret.

At contra accidit, peperit enim infidelem Esau: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius, non credam.*[58] Qui, inquit, cito credit, levis est corde; oculus aliquando decipitur; potuit quod vobis apparuit phantasma esse vel anima eius in assumpto corpore aereo apparere, sicut apparuerunt saepe in assumptis corporibus Angeli sanctis Patriarchis atque Prophetis. Quare si apparuit vobis, debueratis tactu etiam certificari an phantasma esset corpusque aereum an verum illud corpus quod in cruce pependit. Ego igitur *nisi videro* et tetigero, *non credam.*

Magnam Thomas ostendit incredulitatem et pertinaciam et etiam occultam superbiam.

Magna profecto tum incredulitas tum pertinacia tum etiam occulta quaedam superbia, qua condiscipulos spernebat ac imprudentiae et levitatis arguebat. Et quidem etiam Apostoli cum viderunt Christum supra mare ambulantem, putaverunt phantasma esse,[59] et cum post resurrectionem ianuis clausis ingressus fuit ad eos, *existimabant se spiritum videre,* unde Dominus ait: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis ha-*

54) Cf. Mal 1, 2; Rom 9, 13. 55) Cf. Lc 24, 7; Io 20, 1. 56) Io 20, 25.
57) Cf. Lc 24, 9-11. 58) Io 20, 25. 59) Cf. Mt 14, 25-26; Mc 6, 48-49.

bere.[60] Et cum puella Rhode nunciaret de Petro quod pulsaret ad ostium, disciputi putantes eum adhuc esse in vinculis dixerunt: *Angelus eius est.*[61] Sic Thomas putavit credititque Apostolos esse deceptos, se autem decipi nolle, hinc ait: *Nisi videro in manibus eius fixuram*, non unius clavi, sed *clavorum* et non id solum, verum etiam *mittam digitum*, non alienum, sed *meum*, non in unum locum unius clavi, sed *in loca clavorum*, et adhuc *mittam manum meam in latus eius, non credam.* Sic alter frater, qui posterior esse debuit, prius de ventre manum emisit, quae coccino ligata fuit; coccinum autem signum peccati est: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum.*[62]

Peccavit Thomas peccato incredulitatis, a quo nec ipsi Apostoli illum convertere potuerunt;

IV. Peccavit Thomas peccato incredulitatis: *Noli*, inquit, *esse incredulus, sed fidelis;*[63] fuit autem peccatum ipsius quia resurrectionem non credidit, hoc vero quia divinitatem eius non credebat et ob id postea Christum videns dixit: *Dominus meus et Deus meus!* Causa enim ut non crederet resurrectionem incredulitas fuit divinitatis; hinc, visa resurrectione, confessus est divinitatem. Mansit autem in hac pervicaci incredulitate Thomas non uno aut altero diebus, sed ad octavum usque diem in sua perstitit opinione: *Post dies*, inquit, *octo, iterum erant discipuli eius intus et Thomas cum eis,*[64] signum profecto quod semper in sua hac perfidia perstitisset nullis persuasus aut rationibus aut argumentis convictus.[65] Quare decem illi Apostoli qui, suscepta gratia Spiritus Sancti, totum converterunt mundum innumerisque gentibus fidem resurrectionis Christi persuaserunt, unum hunc coapostolum et condiscipulum spatio octo dierum convertere minime potuerunt eumque ad credendam Christi resurrectionem inducere, adeo Thomas durae cervicis tunc erat obstinataeque, profecto quia divinae solius est potestatis fidem humanae menti caritatemque divinam et gratiam Spiritus Sancti, in qua salus vera consistit, coelitus infundere. Non enim astra, quamvis multa sint et splendore micantia, possunt clarum diem efficere; hoc enim solius est lucidissimi solis opus, ipso adveniente statim nocturnae tenebrae effugantur ipsiusque radius eas percutiens omnes eliminat; sic solius Dei est hominem fide

solus enim Deus potest hominem iustificare,

60) Lc 24, 37. 39. 61) Act 12, 15. 62) Is 1, 18. Vulg.: *Ut coccinum.*
63) Io 20, 27. 64) Ibid. vr. 26. 65) Ms.: *Convinctus*

vera et viva ac caritate *de corde puro... conscientia bona et fide non ficta*[66] iustificare; nanque maius est opus ac multo maius hominem iustificare quam creare, plus operis impendit Deus ad redimendum recreandumque hominem quam ad creandum et ipsum et universum cum ipso mundum.[67] Sicut ergo solus Deus mundum potuit creare, ita solus ipse mundum potest hominemque iustificare.

modo non adsit mala voluntas.

Sicut autem voluit universum mundum creare sua tantum bonitate motus, ita universum vult mundum salvare: Deus *vult omnes homines salvos fieri;*[68] et sicut facillimum illi fuit mundum solo verbo creare, ita facillimum est illi hominem iustificare in momento, in ictu oculi, modo non adsit malae voluntatis obex malitiaque illa quae peccatum in Spiritum Sanctum est. Hinc quod Apostolis omnibus difficillimum fuit facere, imo impossibile in spatio octo dierum, in quibus nihil penitus profecerunt, quamvis summopere laborantes pro Thomae conversione et salute, Christus uno momento, in ictu oculi, facillime operatur virumque summae incredulitatis et pertinaciae efficit summae ac constantissimae fidei, non inveniens in eo malae voluntatis et malitiae obicem. Non enim Thomas pravae voluntatis affectu tenebatur ne crederet, sed tantum difficultate intellectus, quia impossibile sibi videbatur esse quod illi ad credendum proponebatur. Venit ergo Christus *et stetit in medio* eorum *et dixit* eis: *Pax vobis. Venit... ianuis clausis,*[69] quia divinae virtuti nihil obstare potest ad dandam pacem caritatis et gratiae divinae, quae hominem cum Deo pacis et amoris vinculo unit, nisi mala ac depravata voluntas. Sic ait M a r c u s quod in sua patria Christus *non poterat... virtutem ullam facere... propter incredulitatem eorum,*[70] idest quia prava voluntate vitiisque affecti credere nolebant.

prava enim voluntas fidei impedimento est.

Sic enim Dominus docuit pravam voluntatem fidei impedimento esse. *Quomodo... potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam quae a... Deo est non quaeritis?*[71] Veritates enim fidei non sunt per se notae, ut solem lucidum esse, ignem calidum, triangulos tres angulos habere, neque demonstrationibus rationibusque

66) 1 Tim 1, 5. 67) Cf. S. Augustinus *In Evangelium Ioannis*, tract. 73, (P. L. 35, 1823). 68) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 69) Io 20, 26. 70) 6, 5-6. 71) Io 5, 44.

ineluctabilibus comprobari possunt, quales sunt conclusiones in scientiis demonstratae, haec enim a voluntate nihili dependent; sed sunt ad instar earum veritatum, quarum opinio potius est quam scientia aut intellectus, cum non necessariis rationibus sed probabilibus argumentis innitantur, quibus intellectus non cogitur assentiri. Saepe autem voluntas ad assentiendum vel dissentiendum inducit rerum amore vel odio ducta, unde facile credimus quae dicunt amici, difficile quae inimici, quamvis valde probabilia sint. Sic affectus ac passiones intellectum perturbant ne possit cognoscere verum, sunt enim veluti colorata conspicilia aut male apta ocularia, quae oculos impediunt ne res videant sicuti sunt. Hinc avarus difficile credit necessarium esse pauperibus eleemosynas largiri pro salute animae et ad thesaurizandum in coelo, carnis luxui deditus servandam continentiam esse et ieiuniis abstinentiisque carnem esse domandam. At vero, quoniam Christus pravam hanc voluntatem ac vitiorum perniciem non invenit in Thoma, sicut in scribis et Pharisaeis superbia, ambitione, avaritia hypocrisique infectis, propterea eum facillime ad suam iterum fidem convertit soloque pacis verbo iustificavit et sanctificavit.

In conversione Thomae ostendit Dominus quanti faciat unius animae salutem.

V. *Pax vobis.* Haec illa pax, quam in nativitate Christi Angeli annunciaverunt dicentes: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* [72] pax, cuius Christus dicitur princeps: *Pater futuri saeculi, princeps pacis... et pacis* eius *non erit finis;* [73] *Pax Dei, quae exuperat omnem sensum;* [74] pax, cum qua datur Spiritus Sanctus: *Iterum dixit: Pax vobis; et insufflavit* in eos *et dixit... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* [75] Deinde, ut ostenderet se propter Thomam specialiter modo ac principaliter apparuisse, dicit Thomae: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* [76] Pro salute ergo solius Thomae advenit Dominus, ut ostendat quanti faciat unius animae salutem; siquidem pro unius animae salute Filius Dei non recusasset

72) Lc 2, 14. Vulg.: *Gloria in altissimis*, etc. *In excelsis* ex Liturgia Ecclesiae.
73) Is 9, 6-7. 74) Phil 4, 7. 75) Io 20, 22-23. Vulg.: *Dixit ergo eis iterum*, etc.
76) Ibid. vr. 27.

in hunc mundum venire mortemque crucis obire. Hoc enim docuit ipse in parabola unius ovis perditae ex centum et unius drachmae ex decem; nam pastor, una tantum ex centum ove deperdita, relinquit nonagintanovem et vadit quaerere illam quae perierat; mulier similiter habens decem drachmas, si unam perdiderit, diligentissime quaerit ad inveniendam eam.[77] Hoc Paulus intelligens ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me.*[78] Nam et si pro omnibus Christus mortuus est, ita tamen pro omnibus mortuus est ac si mortuus esset pro singulis; et sicut homo non esset magis homo vel maior si solus esset in mundo, sicut phoenix,[79] nec minor est essentia humanae naturae in uno quia in multis aliis reperitur; sicut etiam accenso magno igne in medio atrii, nil minus calefit homo cum sociis quam si solus calefieret; nec homo magis illuminaretur a sole aut protegeretur a coelo si solus esset in mundo, sicut Adam ante formationem Evae, quam modo cum innumera hominum multitudine; nec tempus cum participetur ab omnibus minus participatur a singulis; ita plane in beneficio isto divino accidit.

His verbis ostendit Christus se verum Deum esse et vere resuscitatum;

Christus ergo ad ostendendum quod singulorum etiam hominum salutem desiderat, pro unius Thomae salute hodie discipulis suis apparuit, summus ac verus Deus Optimus Maximus. Ait igitur Thomae: *Infer digitum tuum huc.* Thomas, qui Christum Deum esse minime credebat, quem oculis corporeis non videbat praesentem, abesse putabat; Christus autem ostendit se praesentem fuisse verbaque illius audisse cum dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum,* quoniam ipse Deus ille est qui ait: *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in abscondito et ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non coelum et terram ego adimpleo, dicit Dominus?*[79a] Propterea dixit ei: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas.* Ubi et veram suam resurrectionem ostendit, dum se non tantum videndum, sed etiam palpandum praebet, et suam divinitatem, dum omnia nosse se mani-

77) Cf. Mt 18, 12; Lc 15, 4-8. 78) Gal 2, 20. Vulg.: *Tradidit semetipsum pro me.*
79) Alludit ad fabulam iuxta quam phoenix unica erat avis in mundo, de qua Ovidius:
« Una est quae reparet seque ipsa reseminet ales »,
Metamorph., lib. 15, vr. 392. Cf. etiam Plinius. *Hist. Nat.*, lib. 10, cp. 2, pag. 107.
79a) Ier 23, 23-24. Vulg.: *Vir in absconditis... Ego impleo,* etc.

festat, nec eum latuisse Thomae incredulitatem tam pertinacem et verba et ab eo dicta minime latuisse; siquidem verbis Thomae ad amussim respondet. Ille dixerat: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittan manum meam in latus eius, non credam.* Christus vero: *Mitte digitum tuum* in locum clavorum *et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.*

ostendit etiam magnam clementiam suam,

Et quamvis Thomas male Christo praescripserit modum fidei: *Nisi videro,* quasi non aliter Christus potuisset ei fidem resurrectionis eius persuadere qui solo voluntatis nutu potest et caecas hominum mentes illuminare et saxea corda emollire, Christus tamen humanae fragilitati pie et misericorditer condescendens tanquam piissimus ac clementissimus pater, iuxta illius praescriptionem fidem persuadere voluit.

qua victus Thomas, cognita veritate, omnem incredulitatem deponit.

Nec Thomam acri duraque correctione percutit, sed leni ac paterna dicens: *Noli esse incredulus, sed fidelis,* quoniam *non in commotione Dominus... [non] in igne Dominus... non in spiritu Dominus,* [80] sed in leni aura Dominus, qui totus pietas et benignitas est: *Noli,* inquit, *esse incredulus, sed fidelis.* Hinc Thomas, viso Domino benigneque correptus ab eo, cognoscit peccatum, deponit omnem et pertinaciam et incredulitatem et, cognita veritate resurrectionis Christi, eius etiam divinitatem confitetur dicens: *Dominus meus et Deus meus! Dominus meus* propter humanam naturam et *Deus meus* propter divinam. A resurrectione Thomas arguit cognoscitque divinitatem Christi. Nam Dominus a sua resurrectione tanquam a certissimo et infallibili signo docuit divinitatem eius cognoscendam, cum petentibus Iudaeis: *Quod signum ostendis... quia haec facis?* respondit: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui.* [81] Similiter scribis et Pharisaeis petentibus signum, respondit: *Generatio haec ...signum quaerit et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae;* [82] et cum ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* [83] Sic Thomas ex Christi resurrectione cognoscit et credit divinitatem, et quod corde credit, ore confitetur dicens: *Do-*

80) 3 Rg 19, 11-12. Ordine inverso affert has pericopas. 81) Io 2, 18-21. Vulg.: *Ille autem dicebat,* etc. 82) Mt 12, 39; Lc 11, 29. 83) Io 8, 28.

minus meus et Deus meus! Ubi causam cur non crediderat resurrectionem manifestat, scilicet quod divinitatem minime agnoverat, nunc autem et resuscitatum hominem agnoscit et Deum confitetur. Quo innuit Christum a seipso resurrexisse, nec alio suscitatore opus habuisse, cum Deus esset: *Dominus meus et Deus meus!*

Quattuor vicibus legimus in Evangelio Thomam esse locutum;

VI. Quattuor tantum vicibus in Evangelio legimus Thomam esse locutum: prima, cum, trepidantibus ceteris Apostolis ire in Iudaeam cum Domino, eo quod quaerebant eum Iudaei interficere, [84] ipse eos adhortatos ait: *Eamus et nos et moriamur cum illo,* [85] vox quidem fortitudinis et caritatis erga Christum plena; secunda, in sermone Domini post coenam, cum Dominus dixisset se ire ad praeparandum discipulis suis locum et quod ipsi viam locumque scirent quo ibat, [86] respondit Thomas: *Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire,* [87] vox plena humilis reverentiae et desiderii sciendi divina mysteria; tertia: *Nisi videro in manibus eius,* etc., vox plena pertinaciae et incredulitatis; et quarta: *Dominus meus et Deus meus!* vox plena fidei et caritatis divinae, ex fide enim vocat Dominum ac Deum, ex caritate vero Dominum suum ac Deum suum: *Dominus meus ac Deus meus!*

haec postrema mirabilis est fidei et caritatis professio, qua Christum Deum et hominem confitetur,

Brevissima plane sed altissima confessio, hoc enim idem est quod I o a n n e s, aquila illa altissime volans, ait: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis.* [88] *Dominus meus,* idest redemptor ac salvator meus, *et Deus meus,* creator et plasmator meus. Christum hominem Thomas Dominum suum dicit, quoniam agnoscit illum esse hominem, de quo R e g i u s V a t e s: *Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius;* [89] cui etiam Deus Angelos subiecit: [90] quem constituit caput super omnem Ecclesiam et *super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem.* [91] Dominum vocat, quoniam ipse est *Rex regum ac Dominus dominantium;* [92]

84) Cf. ibid. 11, 8. 85) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Moriamur cum eo.* 86) Cf. ibid. 14, 2-4. 87) Ibid. vr. 5. 88) Ibid. 1, 14. 89) Ps 8, 5-8. 90) Cf. Hebr 2, 5-8. 91) Eph 1, 21-22. Ordine inverso affert hos vrr. 92) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

ipse est enim homo ille sublimis super capita quattuor animalium Ezechielis, sedens in throno altissimo supra firmamentum.[93] Quattuor enim illa animalia quattuor designant mundi imperia ac monarchias; sed Christus *Rex regum* est *ac Dominus dominantium.* Thronus Christi de sapphiro esse visus est Vati, ipse autem Christus super thronum sedens visus est quasi species electri, qui lapis est pretiosissimus; unde videre est firmamentum istud cum hoc throno sapphirino desuper istoque electro quasi anulum in manu Dei, anulum quidem argenteum cum pretiosissima ac inaestimabili margarita summo Rege digna, quae multo multoque maioris est pretii quam totus anulus. Et universitas quidem creaturarum veluti anulus quidam est in digito Dei, unde circularis est mundus iste. Incipit enim circulus a natura angelica, quae Deo coniuncta est per veram beatitudinem, deinde descenditur ad naturam coelestem, hinc ad elementarem usque ad terram, quae centrum mundi est ac veluti inversa imago naturae divinae; ille enim nobilissima, haec vilissima; hic terminatur diameter semicirculi a summo usque deorsum. Deinde incipit alius semicirculus a terra ad lapides, ad metalla, ad plantas, ad animalia, ad homines, qui in statu naturae cum sint imagines Dei sicut Angeli in statu gratiae et gloriae, coniunguntur cum ipso Deo in vera beatitudine ut Angeli; et hic clauditur circulus ac anulus iste, in cuius suprema parte est lapis pretiosissimus, Christus, constitutus super omnem creaturam. Hoc est quod Thomas ait: *Dominus meus,* quia Dominus Christus, etiam quatenus homo, omnium creaturarum, Angelis etiam multo superior factus ratione hypostaticae unionis. Sicut enim reges in regali anulo habebant insculptum sigillum regale, sic in homine Christo unita fuit divina imago, quippe dicitur: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius.*[94] Quoniam vero imago est non artificialis, sed naturalis, connaturalis et consubstantialis, imago coaeterna et coaequalis, hinc Thomas non tantum ait: *Dominus meus,* sed etiam *Deus meus,* quia *in principio erat Verbum,* haec est imago, *et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.*[95] Istud ergo Verbum

super omnem creaturam constitutum.

93) Cf. 1, 4 sqq. 94) Hebr 1, 3. 95) Io 1, 1.

caro factum Thomas Dominum suum ac Deum suum dicit: *Dominus meus et Deus meus!* O felices qui Christum sic Dominum suum Deumque suum agnoscunt et confitentur! Dominum cui fideliter serviant, Deum quem in spiritu et veritate adorent et colant![96] Dominum quem pie sancteque timeant: *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum,*[97] Deum quem toto ex corde diligant: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua!*[98] Sic enim vere Thomas dilexit cum ait: *Eamus et nos et moriamur cum illo.*

Christus via salutis est, veritas et vita:

VII. Sed nos, heu infelices, Thomam quidem imitamur, non dicentem: *Eamus et nos et moriamur cum illo,* neque dicentem: *Domine, nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire?*[99] neque dicentem: *Dominus meus et Deus meus!* Non, inquam, eius animi fortitudinem, qua intrepide, vita etiam spreta ac vilipensa, Christum sequamur; non studium ac desiderium sciendi divina sacramenta: *Nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire?* cui Dominus altum illud responsum dedit: *Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me; si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodo cognoscetis eum et vidistis eum.* Ubi Dominus pio Thomae desiderio satisfaciens tum viam ostendit tum terminum quo iturus erat: *Ego,* inquit, *sum via, veritas et vita:* via salutis, non fallax sed vera, non ducens ad mortem sed ad vitam aeternam; via unica, nam: *Nemo venit ad Patrem nisi per me:* Pater est terminus, ego via certa, recta, plana, optima, infallibilis, per cuius fidem et imitationem veniendum ad Deum est, quoniam Christus mediator est noster: *Unus Deus, una fides, unum Baptisma;*[100] *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus;*[101] *Per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.*[102]

via per fidem vivam,

Via per fidem vivam, *quae per dilectionem operatur;*[103] veritas per spem, quoniam promissa eius vera non vana sunt, stat dictis: *Seipsum negare non potest,*[104] servat impletque promissa praemia;

96) Cf. ibid. 4, 24. 97) Ps 33, 10. Vulg.: *Quoniam non est inopia,* etc. 98) Mt 22, 36; Lc 10, 27. 99) Io 14, 6-7. 100) Eph 4, 5. 101) 1 Tim 2, 5. 102) Eph 2, 18. 103) Gal 5, 6. Vulg.: Per *caritatem operatur.* 104) 2 Tim 2, 13. Vulg.: *Negare seipsum non potest.*

et vita per caritatem et gratiam, cui debetur vita et gloria sempiterna non tantum in spiritu, verum etiam in carne per resurrectionem mortuorum: *Ego sum resurrectio et vita.* [105] Ostendit et terminum: *Nemo venit ad Patrem nisi per me:* Pater, inquit, Deus in coelesti gloria, in aeterna paradisi felicitate est terminus. Ad hunc terminum nemo venire potest, nisi per me; nam: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;* [106] Neque *est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* [107] nisi in nomine Iesu. *Nemo venit ad Patrem nisi per me,* quatenus via, veritas et vita. Via fuit, qua homines ducerentur ad cognitionem Dei, operatio miraculorum; veritas praedicatio Evangelii, vita Sacramentorum institutio: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis,* nam *qui videt me, videt et Patrem* meum, *quia ego in Patre et Pater in me;* [108] ideo qui me vera perfectaque fide agnoscit, hic etiam Patrem agnoscet meum, cum sit eadem utriusque substantia atque natura. *Et amodo cognoscetis eum et vidistis eum:* vidistis, inquit, Deum cum me videritis. Sicut Patriarchae atque Prophetae dicti sunt Deum vidisse, cum tamen non divinam essentiam viderint, sed in humana forma sibi apparentem conspexerunt; sic nos. Et multo magis *vidistis eum,* sed non cognovistis eum; sicut qui regem vidit nec tamen agnovit regem esse; sic caecus illuminatus viderat quidem Filium Dei, non tamen eum agnoverat; sic, inquit, *vidistis eum,* sed non cognovistis eum, cum me perfecte non cognoveritis; *amodo* tamen *cognoscetis eum,* induti virtute ex alto et Spiritu Sancto coelitus misso repleti.

veritas per spem, vita per gratiam et caritatem.

Sic altissime philosophatus est Christus ut pio Thomae desiderio satisfaceret finemque ei nostrum et media, per quae ad hunc finem pervenire possimus, demonstrans; utrunque enim Thomas scire desiderabat. O nos felices si vere gemino isto desiderio teneremur! Perveniremus utique aliquando ad utriusque perfectam cognitionem, quam Thomas assecutus hodie fuit dum ait: *Dominus meus et Deus meus! Dominus meus:* haec via est; *Deus meus:* hic est terminus.

105) Io 11, 25. 106) Mt 11, 27. 107) Act 4, 12. Vulg.: *Aliud nomen est,* etc.
108) Io 14, 7-10.

Nos magis Thomam incredulum imitari videmur quam fidelem,

VIII. Nos autem Thomam in eo tantum imitari videmur quo ait: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum, non credam.* Fuit Thomas semper geminus. Nam cum primo locutus fuit, duo dixit: *Eamus et nos et moriamur cum illo;*[109] secundo loquens, duo se scire velle ac desiderare demonstravit: *Nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire?* cum item quarto et ultimo duo dixit: *Dominus meus et Deus meus!* Similiter cum tertio fuit locutus, duplicem certitudinem requisivit: visus et tactus, oculorum et manuum. Sic multi dicunt: *Nisi videro... et mittam digitum... et mittam manum... non credam;* similes caeco qui, cum solem coelumque et astra videre non possit, negat haec reperiri dicens: Nisi videro non credam; nec vult videntibus fidem adhibere; sic Thomas oculatis testibus credere minime voluit, sicut si surdus musicen, eo quod harmoniam sonumque nunquam audierit, neget. Audierant Apostoli suavissimam Christi vocem, Thomas autem non credit: *Nisi videro... non credam.*

et multi eo dementiae deveniunt ut mysteria fidei negent,

Hac autem pertinaci incredulitate multi eo dementiae devenerunt, ut non tantum paradisum et infernum, animae immortalitatem vitamque aeternam Angelosque negaverint, sed etiam Deum ipsum: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.*[110] Et hi quidem mihi similes videntur homini, qui a solo patre ab incunabulis educatus,[111] matremque non noverit, nec unquam mulierem viderit, aut alium hominem, petat a patre dicens: Pater, quomodo, quaeso ego in hunc mundum veni? quomodo factus sum? quis me sic formavit? Pater vero dicat: Tu ex lumbis meis egressus es, ex meo semine formatus in utero cuiusdam animalis similis mei, quae dicitur mulier, novemque ibi mensibus formatus inde egressus es; ille vero minime credat, sed dicat: Quomodo potui ego ex lumbis tuis egredi, quomodo ex gutta seminis tantum corpus, tot membra, tot sensus formari? quomodo ibi respirabam? quid manducabam? quid bibebam? quomodo ibi ambulabam? quomodo alia naturae necessaria opera faciebam? Tu mihi illudis, quoniam impossibile mihi videtur esse quod dicis. Sic multi impossibilem existimant

109) Cf. ibid. 9, 1-38. 110) Ps 52, 1. 111) Ms.: *A patre* repetitur.

mundi creationem, impossibilem mortuorum resurrectionem, impossibilia vanaque alia fere omnia fidei nostrae mysteria ac Sacramenta, volentes exigua humani intellectus virtute divinam metiri potestatem et pugillo terram coelumque concludere, qui quaecunque ignorant aut capere minime possunt, impossibilia ducunt. Sed hos velim dicerent mihi: Quomodo ex minima sementicula generatur et nascitur magna arbor, ex modico semine magnus homo, magnum quodvis animal? Quomodo terra manet in medio mundi immobilis, nulla fulta columnis? Et cum extra mundum nihil sit finitusque sit magnitudine mundus coelumque, quomodo manet suspensus in nihilo? Unde sol talem tantamque lucem habet, et ignis ex silice accensus talem tantumque calorem?

quia ea comprehendere minime possunt;

Sed dimittamus haec magna, accipiamus parva, vel minima, quae apud nos sunt. Sumamus formiculam et dicant mihi isti sapientissimi viri quomodo generetur formica, dividant pellem, carnes, ossa, nervos, cartilagines, musculos, arterias, venas, sanguinem, spiritus vitales, naturales, animales; ubi anima vegetans cum suis viribus, quibus nutrit et auget corpus sibique simile generat; ubi vis qua appetit cibum, qua retinet, qua digerit, qua noxia expellit; ubi vis sensitiva, ubi motus, ubi memoria, ubi prudentia illa et admirabilis providentia. Accipiamus apiculam et videamus quomodo favum efformat tanta cum proportione et architectura, quis apes geometriam hanc docuit, quomodo mel dulcissimum ceramque efficiunt, quomodo suum regem tanquam exercitus ducem agnoscunt, sequuntur, honorant, tuentur defenduntque ab inimicis, pugnant acerrime pro rege vitamque pro eo prodigunt. Accipiamus araneum, quomodo suam telam araneasque tanta cum arte texit, quomodo suam telam orditur, quomodo filat. Quod si hos nodos veluti gordianos solvere minime possumus, quid miseri homunciones contra Deum caput erigimus? quid tanquam gigantes, pygmaei cum simus, Iovi bellum inferre praesumimus?[112] Etiam si Atlantes essemus, coelum quidem humeribus regere immensumque

at in regno etiam naturae multa sunt mysteria incomprehensibilia.

112) Alludit ad fabulam de bello Gigantum, de qua cf. Lucanus *Pharsalia*, lib. 1, vrr. 35-36; Ovid. *Fast.*, lib. 5, vrr. 35-42.

pondus sustinere,[113] non autem pugillo aut tribus digitis, uti volumus, concludere suspensumque tenere possemus.[114]

Deus summa veritas est, cui firmiter et absolute credendum est;

Quod si nos non cum incredulo Thoma infideles ac pertinaces in incredulitate sumus, sed Christi fide imbuti dicimus: *Dominus meus et Deus meus!* quid, quaeso, est quod cum fidem Thomae tenemus, non etiam opera, caritatem ceterasque virtutes tenere satagimus? Nescimus quod *fides sine operibus mortua est?*[115] Ego quidem nescio an vere cum fideli Thoma credamus, qui enim firmiter veraciterque credit, certius tenet quod credit quam si quod credit oculis videret et manu tangeret. Haec est enim fides, Deo magis quam visui tactuique fidem adhibere. Nam sensus saepe nos decipit, visus ostendit solem parvum esse, cum magnus sit mundoque hoc nostro terreno multo maior, ut piramidalis terrae umbra demonstrat, quod argumentum est lucidum corpus esse multo maius opaco; accensos in aere vapores cometasque ostendit tanquam vere coelestia astra. Accipit saepe oculus pro auro aurichalcum, pro argento plumbum, pro rebus larvas et imagines rerum. Sic visus saepe nos decipit. Deus autem summa veritas est, veritas infallibilis, ignis in quo nil frigoris, sol in quo nulla macula, lux sine ullis tenebris, coelum absque ulla contagione terrena. Quare fidelibus Dei multo certiora sunt firmioraque credita quam visa oculis manibusque tacta.

si autem credimus, fidem nostram operibus ostendere debemus.

Nunc ergo, quaeso, dicas mihi: Credis tu paradisum? Credo, ais. Credis infernum? Credo. Credis Deum ubique esse praesentem? Utique. Nunc dico: si haec quae credis sensu perciperes oculisque videres apertum infernum cum daemonibus, apertum paradisum cum Angelis Deumque summum regem ac iudicem praesentem et a te oculos nunquam avertentem, dic mihi, quaeso, peccares ne aliquando? posses ne peccatum aliquod committere coram Deo? Quae unquam mulier coram viro honoris zelantissimo adulterium

113) Alludit ad fabulam de Atlante coelum humeris sustinente et in montem excelsum converso, de quo Virg.:

« Latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit »;

Aeneid., lib. 4, vrr. 246-247; et Ovid. *Fast*, lib. 5, vr. 169:

« Atlas, humeros oneratus Olympo ».

114) Cf. Is 40, 12. 115) Iac 2, 26.

non dicam commisit, sed nec cogitare quidem de committendo ostendit minimo quovis nutu? Et nos coram Deo, in cuis conspectu tremunt omnes Angeli, auderemus peccare? Adam post peccatum, audiens vocem Domini Dei eiusque adventum praesentiens, fugit timore perculsus absconditque se, [116] non valens aspectum divinae faciei sustinere, quem dum peccavit absentem esse credidit, acciditque ei sicut accidit sponsae a viro suo in adulterio inventae, prae nimia enim verecundia sponsi faciem intueri non valet. Quod si nos tanta cum licentia peccatorum cupiditatibus habenas laxamus et ad currendum per viam peccatorum calcaria potius quam frena adhibemus, quomodo credimus? quaenam haec fides est nostra? Heu nos miseros! Tacitis cogitationibus cum Thoma dicimus: *Nisi videro... non credam;* putamus cum Thoma Christum esse absentem qui praesens est, quamvis oculis minime cernatur. Videt tamen ipse incredulitatem ac pertinaciam nostram et patienter ac longanimiter sustinet ad poenitentiam nos expectans:[117] *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos;* [118] manet absconditus: *Posuit tenebras latibulum suum;* [119] non videtur sed videt omnia: *Non est aliqua creatura invisibilis in conspectu illius; omnia... nuda et aperta sunt oculis eius.* [120]

IX. Discimus autem hodie *quam bonum et quam iucundum* sit *fratres habitare in unum... Sicut unguentum* Aaron *et sicut ros Hermon ac qui descendit in montem Sion.* [121] Apostolis simul congregatis apparuit Christus pacemque eis ac Spiritum Sanctum dedit.[122] Thomas vero absens non solum permansit in incredulitate, sed pertinacior factus in ea fuit et nisi ad apostolicum collegium reversus fuisset, longius forte in concepta perfidia perseverasset. Thomas tanquam ovis a grege se longius subtrahens vel a caula exiens a pastore non pascitur et in luporum truculentam rabiem incidit; sic Thomas. Hoc est quod Petrus ait: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus... circuit quaerens quem devoret.* [123]

Discimus etiam hodie quam bona et iucunda sit fraterna consuetudo et contubernium.

116) Cf. Gn 3, 6-8. 117) Cf. Rom 2, 4; 2 Petr 3, 9. 118) Ct 2, 9.
119) Ps 17, 12. 120) Hebr 4, 13. Vulg.: *Non est ulla creatura in conspectu eius,* etc.
121) Ps 132, 1 sqq. Vulg.: *Habitare fratres,* etc. 122) Cf. Io 20, 21-22.
123) 1 Petr 5, 8.

Cur dicit *quem* et non quos, cum omnes devorare quaerat? Profecto quia *ubi... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,*[124] inquit Christus. Sed *vae soli!*[125] Ubi homo singularis esse vult et a grege et congregatione fidelium se separat, hunc potest devorare diabolus. Hinc Christus pluraliter locutus fuit: *Oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis... et non rapiet eas quisquam de manu mea:*[126] eas congregatas in nomine meo, audientes vocem meam meque sequentes diabolus rapere non poterit. Thomas, dum fuit ad instar citharae in manu Davidis, Christi sapientissimi citharoedi, optimum suavissimumque edidit sonum: *Eamus... et moriamur cum illo.* At hodie pulsata a proprio spiritu, fidium proportione dissoluta, cacophoniam non symphoniam reddit. Et collegium quidem apostolicum fuit veluti psalterium Davidis,[127] non decordatum sed duodecordatum, quod dum simul a Spiritu Sancto Christoque pulsatur, harmoniam reddit: *Vidimus Dominum.* At si una tantum chorda pulsetur ab imperito, offendit sonus illius aures; sic Thomas male sonat: *Nisi videro... non credam;* sed a Christo chorda haec cum aliis in proportionem redacta,[127*] optime sonat: *Dominus meus et Deus meus!*

Confessionem Thomae Christus non laudavit, imo arguit.

X. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt.*[128] Confessus fuit Thomas clarissime Christi divinitatem multo apertius quam Nathanael, qui Christo dixit: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel;*[129] quam Martha, quae dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;*[130] quam Petrus, cum ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*[131] Et Christus quidem laudavit confessionem Nathanaelis dicens: *Quia dixi tibi... Vidi te sub ficu, credis; maius his videbis... Amen dico vobis, videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis;*[132] laudavit confessionem Marthae, ob quam illi fratrem Lazarum resuscitavit;[133] laudavit confessionem Petri: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in*

124) Mt 18, 20. 125) Eccle 4, 10. 126) Io 10, 27-28. 127) Cf. 1 Rg 16, 18 sqq. 127*) Ms.: *A Christo* iterum ponitur. 128) Io 20, 29. 129) Ibid. 1, 49. 130) Ibid. 11, 27. 131) Mt 16, 16. 132) Io 1, 50 sq. 133) Cf. ibid. 11, 39-44.

coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni coelorum. [134] Thomae autem confessionem non laudat, sed *quia*, inquit, *vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt.* Arguit potius quam laudet confitentem, etsi confessionem probat tanquam veram: *Quia*, inquit, *vidisti me* resurgentem, credidisti meam resurrectionem; si non vidisses, non credidisses, nunquam dicentibus et asserentibus assentitus fuisses captivatoque intellectu fidem oculatis testibus adhibuisses: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Et quidem Thomas corporeis oculis hominem tantum vidit non Deum, carnem non Verbum, cum corporeis oculis invisibilis sit natura divina; et tamen Deum invisibilem confessus est dicens: *Dominus meus et Deus meus!* Quare non tantum resurrectionem Christi vidit, sed etiam invisibilem credidit; non tantum divinitatem, verum etiam resurrectionem propria Christi virtute factam. Quare non immerito ait: *Credidisti*, cum fides sit *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* [135]

quia nonnisi sensibilibus argumentis probatam Christi resurrectionem credidit;

Sed quia nonnisi sensibilibus argumentis probata carnis resurrectione haec reddidit, quamvis tamen vera magnaque eius fides fuerit, non tamen magna laude digna. Sic enim regulum Christus coarguit dicens: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* [136] Nam etsi cum creditur ob signa et miracula visa, sine quibus non crederetur, bona est fides, multo tamen melior est ac multo maioris praestantiorisque meriti, cum sine ullis signis et argumentis creditur; hoc enim simplicioris est animi, promptioris voluntatis et intellectus multo magis captivati in obsequium Christi. Hinc praefert Christus fidem eorum qui non videntes crediderunt, fidei Thomae ac eorum qui crediderunt videntes signa: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Multo, inquit, maiorem ac multo praestantioris meriti fidem in te desiderabam et expectabam a te, o Thoma, te multo maiori gratia et gloria donare volebam; nam *beati*, idest beatiores, multo magis *beati qui non viderunt et crediderunt*, sicut: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti*, [137] idest multo melius. Sic P a u l u s ait bonum esse homini non nubere, [138] idest multo melius quam nubere, [139]

134) Mt 16, 17-19. 135) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum*, etc.
136) Io 4, 48. 137) Ps 118, 72. 138) Cf. 1 Cor 7, 8. 139) Ibid. vr. 38.

multo autem praestantioris meriti fides est cum sine ullis signis et argumentis creditur,

nam *beatior*, inquit, *erit si sic permanserit*, et qui non nubit *melius facit.*[140] Sic ait hic: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, idest magis beati. Nam illis quoque qui viderunt ait: *Beati oculi qui vident quae vos videtis, et aures ... quae audiunt* quae vos auditis. *Multi* enim *Prophetae*, iusti *et reges voluerunt videre quae vos videtis*,[141] uti Abraham *exultavit ut videret diem*[142] Christi; sed cum videntes beati dicantur, multo tamen beatiores non videntes praedicantur: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Ubi ostendit Dominus se desiderare virtutes non qualescunque nec utcunque, sed in perfectiori gradu quo reperiri possunt, sicut alibi ait: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.*[143] Beatus factus est hodie Thomas credendo ex visu et tactu, sed multo beatior si sine tali visu et tactu credidisset.

dummodo fides cum caritate coniuncta sit.

Neque tamen nos Apostolis beatiores erimus eo quod non videntes crediderimus, quamvis in hoc praestantior sit fides nostra, sed si praestantiori caritate praediti fuerimus. Sine caritate enim fides nil prodest: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam ... nihil mihi prodest.*[144] Si duo iuvenes litteris operam navent, et alter quidem feliciori praeditus sit ingenio, sed animus sit in ludis non in studiis, alter vero summa cum diligentia et assiduitate studeat summo discendi desiderio flagrans, hic profecto illum in scientia et doctrina longe anteibit, multis gradibus antecellet, quamvis ingenio inferior sit. Et si nobilis vir vocet duos servos qui serviant ipsi, et altero quidem gratis et amore velit ei famulari, alter vero mercede, gratior profecto erit domino servitus illius quam istius. At si hic summo deinde desiderio affectus placendi domino suo, summa ei cum diligentia ministret omnesque nervos et vires ad placendum ei intendat, alter vero iners ac segnes sit, nulla polleat arte, nullo studio, longe ille quam iste domino gratior et iucundior erit. Sic Apostoli beatiores nobis et gratiores Domino fuerunt ob summam maximamque caritatem qua Dominum coluerunt totoque ex corde, anima, mente et viribus super omnia intensissime ac perfectissime dilexerunt. Nam si nostra praestantior fi-

140) Ibid. vr. 40. 141) Mt 13, 17; Lc 10, 23-24. 142) Io 8, 56. 143) Mt 5, 20.
144) 1 Cor 13, 2-3. Vulg.: *Caritatem autem non habuero*, etc.

des, illorum fuit praestantissima caritas, sine qua nihil valet fides, quoniam sine caritate fides mortua est, sicut corpus sine anima, caro sine spiritu, fundamentum sine domus parietibus ac tectis, radix arboris sine trunco et ramis. Laudat Christus fidem, quoniam totius spiritualis aedificii basis ac fundamentum est, radix bonae arboris quae facit fructus bonos et non potest facere malos.[145] Sed sicut cum laudatur in Divinis Scripturis timor Dei, non est intelligendus timor sine spe in Deum, ut sit desperatus timor, et cum laudatur spes, non tamen sine timore, ut sit spes audax et praesumptuosa, sed duae hae rotae molares, superior et inferior, unitae necesse est ut sint semper, sic cum laudatur fides, non abiicitur caritas, ut sit sola fides sine caritate. Nam sicut in hac vita non potest esse caritas sine fide, sic fides sine caritate nihil prodest.

Fides sine caritate in hac vita nihil prodest.

Laudat ergo Christus fidem, sed fidem vivam, sicut qui laudat panem et vinum, non haec corrupta laudat, et qui fortem hominem vel pulcram mulierem vel magnum palatium vidisse dicat, haec non depicta intelligenda sed realia. Sic ait iustificatae et sanctificatae peccatrici Christus: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace,*[146] cum tamen dixerit: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;*[147] sic hodie fidem laudat: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Qui enim bene credens male vivit, Deum irridet, sicut medicum infirmus qui medico se credere dicens, nil tamen exequitur eorum quae ille pro ipsius salute ordinat, sicut servus dominum cui promittens maria et montes,[148] imperata tamen implere nec satagit nec cogitat quidem. Sed *Deus non irridetur; quae enim seminaverit homo, haec et metet ... Qui seminat in carne ... de carne ... metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.*[149]

nam qui bene credit et male vivit, Deum irridere videtur.

XI. *Beati qui non viderunt et crediderunt,* sed sicut crediderunt Apostoli, sicut credidit Thomas dicens: *Dominus meus et Deus meus!* ubi et fidem suam et affectum caritatis erga Christum ostendit. Beati qui cum Thoma sic dicunt: *Dominus meus et Deus meus!*

His verbis Thomas fidem suam et caritatem ostendit.

145) Cf. Mt 7, 17-18. 146) Lc 7, 50. 147) Ibid. vr. 47. Vulg.: *Remittuntur ei,* etc. 148) Proverbialis locutio ex Sallustio, *In Catilinam*, cp. 23; cf. etiam P. Mannucius *Adagia*, col. 531. 149) Gal 6, 7-8.

Non dicit: Dominus noster et Deus noster, sed *meus*, singulariter, agnoscens quod pro illius tantum salute ianuis clausis advenerat talis ac tantus Dominus, qui Dominus etiam et Deus est Angelorum. Agnoscit Christum Dominum suum ac Deum suum ac si pro ipsius tantum salute in mundum advenisset, ad salvandum ipsum solum. Hinc vult dicere Thomas sicut dixit Petrus: *Si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.*[150] Sic Thomas: Si, inquit, nullus tibi servire velit, nemo alius hominum te tanquam Dominum Deumque colere, ego solus id faciam ac si ego solus tuus essem servus, tua creatura et tu mei solius Dominus et creator: *Dominus meus et Deus meus!* meus creator et meus recreator! Miram animi gratitudinem erga Christum in corde ipsius Thomae verba haec praeseferre videntur: *Dominus meus ac Deus meus!* quasi enim pro ipsius tantum beneficio Deus et mundum creaverit et ad recreandum salvandumque venerit, Domino gratias agit.

Communia beneficia Deus sic omnibus dat ac si essent pro singulis.

Et vere haec animi gratitudo requiritur in corde cuiusque animae fidelis. Nil enim minus boni advenit singulari homini quod Deus pro multis utrunque hoc opus effecerit, quam si pro uno tantum ac pro se singulari, ut fuit Adam cum solus esset; sicut nil minus videt quis lunam in coelo nocturno tempore aut solem diurno, si una cum eo innumerabilis hominum exercitus haec ipsa intueatur, quam si solus haec ipse videret; sic nil minus beneficium est unicuique mundi tum creatio tum recreatio, quamvis communia sint, quam si singularia unicuique essent; imo multo maiora sunt. Nam cum Deus pro uno tantum homine universum mundum creaverit, dixit: *Non est bonum hominem esse solum;*[151] quare ad maiorem hominis utilitatem et voluptatem creavit etiam mulierem et filios ex eis nasci voluit. Hinc Thomas communia haec beneficia tanquam singularia agnoscens ait: *Dominus meus et Deus meus!*

In omnibus rerum adiunctis tum prosperis tum adversis

Nos felices, si Thomam imitemur primo cum ait: *Eamus et nos et moriamur cum illo:* si, inquit, secuti sumus Dominum in vita, sequamur et in morte; si secuti sumus tempore prosperitatis, sequamur et tempore adversitatis; si secuti sumus bene agendo, sequamur et mala patiendo propter iustitiam: *Eamus et nos et moriamur*

150) Mt 26, 33. 151) Gn 2, 18. Vulg.: *Esse hominem solum.*

cum illo; sic enim postea Beatus Thomas martyrium passus fuit pro Christo mortemque post multa tormenta. Imitemur Thomam cum ait: *Domine, nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire?* cupientes scire et terminum et viam et finem et media et terram promissionis et desertum et sancta sanctorum[152] et coelum et scalam per quam in coelum ascenditur: *Nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire?* Dic, inquit, nobis quo vadis et per quam viam. Cupiebat enim Thomas Christum sequi quo ibat et per viam qua ibat. Haec enim duo simul coniungenda sunt: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[153]

Christum sequi debemus.

Tandem imitari debemus Thomam cum ait: *Dominus meus et Deus meus!* in fide et caritate, in cognitione Christi et amore, cognoscendo beneficium et recognoscendo benefactorem; sic enim beati erimus. Hinc enim mox ut Christum sic Thomas confessus est, Dominus ait: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Praemium divinae fidei est coelestis aeternaque beatitudo, nam fides nos Dei filios efficit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri;*[154] *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus; scimus* autem *quoniam cum apparuerit,* tunc *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*[155] Deus est summe beatus ipsaque summa beatitudo; nos erimus similes ei, ergo beati sicut Deus,[156] immortales sicut Deus, impassibiles sicut Deus, sempiterni sicut Deus, aeterna vita, aeterna felicitate, aeterna gloria, omni bono, summo bono, infinito bono donati sicut Deus. Beatitudo enim « status est omnium bonorum aggregatione perfectus ».[157]

Haec est vera fides quae aeternam meretur beatitudinem.

Sed ut hanc beatitudinem consequamur, satagendum nobis est ut virtutibus perfecti simus, hanc enim virtutum perfectionem Dominus requirit; ob id dixit Thomae: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Non enim est Dominus sicut Isaac qui Esau magis quam Iacob diligebat et sicut Rebecca quae Iacob magis quam Esau amabat;[158] nam Deus ait: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*[159] Multi patres diligunt filios magis secundum carnem quam secundum spiritum, magis secundum corpus quam secundum animam; hoc est quod

Ad consequendam hanc beatitudinem requiritur perfecta sanctitas.

152) Ms.: *Et sancta* repetitur. 153) Mt 19, 17. 154) Io 1, 12. 155) 1 Io 3, 2. 156) Ms: *Similes ei,* loco: *Sicut Deus.* 157) Boetius *De Consolatione Philosophiae,* lib. 3, (P. L. 63, 724). 158) Cf. Gn 25, 28. 159) Mal 1, 2; Rom 9, 13.

Isaac magis Esau [diligebat], qui carnem significat, quam Iacob, qui significat spiritum. Non sic Christus; spiritum, spiritum, non carnem diligit,[160] spiritus perfectionem requirit perfectamque sanctitatem. Hinc eos qui spiritu virtutibusque perfectiores sunt, eos magis diligit, eos magis beatificat; sic praefert Iacob ipsi Esau et minorem Ephraim maiori Manasse, [161] minorem Abel maiori Caino; [162] sic *erunt novissimi primi et primi novissimi.* [163] Multi sunt in hoc mundo primi in oculis hominum, qui in futuro saeculo erunt novissimi in oculis Dei propter imperfectionem virtutum, et multi sunt in hoc mundo novissimi pauperes, despecti, qui in futuro saeculo erunt primi propter spiritus, caritatis, fidei virtutumque omnium perfectionem.

Sicut durissima illa petra deserti percussa Moysi et Aaronis virga illa quae miraculo floruit ac fructificavit, [164] magnum peperit emisitque flumen aquarum viventium, [165] sic hodie cor Thomae, quod ad instar lapidis durum erat, pertinaci et obstinata incredulitate firmatum ac veluti adamantinum effectum, Christi praesentia verboque percussus – Christus enim in resurrectione virga illa est, – magnam fidei confessionem eructavit: *Dominus meus et Deus meus!* Haec fides fluvius est qui paradisum irrigat. [166] Sicut sol noctem convertit in diem, hiemem in aestatem, terram nimio ardore combustam in ignem, ita Christus, *Sol iustitiae,* [167] Thomam convertit hodie ab incredulitate ad fidem. Erat in incredulitate Thomas sicut nox, sicut hiems, sicut terra; nox obscura, hiems frigida, terra gravis ac ignis qui non extinguitur et vermis qui non moritur. [168]

160) Ms.: *Significat* loco: *Diligit.* 161) Cf. Gn 48, 20. 162) Cf. ibid. 4, 4-5. 163) Mt 20, 16. 164) Cf. Nm 17, 6-8. Cf. supra, pag. 122, not. 15. 165) Cf. ibid. 20, 8-11. 166) Gn 2, 10. 167) Mal 4, 2. 168) Cf. Mc 9, 43-45. 47.

ALIA HOMILIA

Thomas autem, unus de duodecim, qui dicitur Didymus, etc. [1]

I. Sicut magnus Moyses in sua cosmopoeia magni huius mundi in principio suae formationis duplicem faciem ostendit: prius quidem faciem obscuram et tenebricosam: *Tenebrae erant super faciem abyssi,* cum terra adhuc esset inanis et vacua; postea vero ostendit faciem illuminatam et claram: *Spiritus Domini ferebatur super aquas; et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux; viditque Deus lucem quod esset bona,*[1*] ita Ioannes ostendit in suo Evangelio mystici huius mundi Ecclesiae Sanctae Dei in suo primordio duplicem faciem ostendit: prius quidem faciem incredulitatis, postea vero faciem perfectae fidei; faciem incredulitatis, quoniam discipuli non crediderunt Christi resurrectionem, quamvis Angeli eam fuerint testificati,[2] donec ipsum Christum suscitatum propriis oculis viderunt; faciem autem perfectae fidei, quoniam postea, viso Domino, perfecte crediderunt.

Ostenditur duplex status discipulorum: incredulitatis et fidei;

Specialiter vero in Thoma duplicem hanc faciem describit: faciem incredulitatis, quia cum omnes Apostoli et discipuli testificarentur Christi resurrectionem: *Vidimus Dominum,* ipse aiebat: *Nisi videro* et tetigero, *non credam:*[3] ecce *tenebrae... super faciem abyssi;* faciem autem fidei perfectae, quia mox ut vidit Christum dixit: *Dominus meus et Deus meus!*[4] ecce iam facta lux, nox obscura in diem clarum conversa. Sicut etiam columna illa nubis, quae Hebraeis per deserti errores invios ducatum praebuit, duplicem faciem habuit in principio, nam qua parte exercitum Aegyptiorum respiciebat tota erat obscura et tenebricosa, ea vero parte qua respiciebat Hebraeorum copias tota erat clara et splendida tanquam ingens flamma ignis purissimi et splendidissimi;[5] ita hodie duplicem faciem videmus in Thoma. O quales erant tenebrae incredulitatis in Thoma!

sed specialiter in Thoma hoc cernitur;

1) Io 20, 24. 1*) Gn 1, 2-4. Vulg.: *Spiritus Dei... Dixitque... et vidit,* etc.
2) Cf. Mc 16, 1-14; Lc 24, 1-11. 3) Io 20, 25. 4) Ibid. vr. 28.
5) Cf. Ex 14, 19-20.

sicut enim magna erat eius incredulitas, ita magna fuit eius fides et caritas.

Apostoli dicti sunt a Domino *lux mundi,*[6] nam tanquam magna luminaria coeli totum mundum fidei et cognitionis divinae lumine illustrarunt, et tamen omnes simul per spatium octo dierum Thomam ad resurrectionis Christi fidem convertere minime potuerunt, sed in sua pertinaci obstinatione et obstinata pertinacia immobilis permanebat, sicut terra in mundi centro. Erat Thomas in incredulitate sicut aquae Mara amarissimae,[7] sicut aquae Iericho pessimae;[8] sed Christi gratia ad fidei lumen perductus est factusque vere *unus de duodecim, qui dicitur Didymus,*[9] idest g e m i n u s. Christus enim habuit duodecim Apostolos, sicut sol duodecim signa zodiaci in coelo, inter quae unum est Gemini, quod est signum altissimum, ubi sol diem agit maximum, clarissimum et saluberrimo calore ad maturandam messem aptissimum; in mense enim Maio floritissimo ingreditur sol hoc signum vernali tempore;[10] sic altissimus est Christus, *Sol iustitiae,*[11] in Thoma, in fideli ipsius confessione clarissima: *Dominus meus et Deus meus!* In qua confessione Thomas vere *Didymus,* g e m i n u s, cernitur, fide et caritate praeditus in intellectu et voluntate. Non enim solum ait: Tu es Dominus, tu es Deus, sicut Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi,*[12] sed: *Dominus meus et Deus meus!* ut simul fides et caritas ipsius in Christum ostendatur. Signum enim magni amoris est singularis ista forma loquendi: *Dominus meus et Deus meus!*

Duas figuras habemus in S. Scriptura huius duplicis status.

II. *Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didymus.* Duos partus geminos legimus in Scripturis Divinis valde singulares: prior est partus Rebeccae quae ex uno conceptu peperit duos filios, Esau et Iacob, qui etiam in ventre matris contendere videbantur de primatu primogeniturae;[13] alter est partus Thamar, quae etiam ex uno concubitu habuit duos filios, Phares et Zaram, qui et ipsi contendebant in partu de primatu; nam Zaram prius egredi volebat et iam nasci inceperat emissa manu ex matris utero, quam obstetrix filo coccineo ligavit atque signavit, ut esset primogenitus; sed Phares,

6) Mt 5, 14. 7) Cf. Ex 15, 23. 8) Cf. 4 Rg 2, 19. 9) Io 20, 24. Vulg.: *Unus ex duodecim,* etc. 10) Cf. Mt 10, 2-5; Mc 3, 14-19; Lc 6, 13-16. 11) Mal 4, 2. 12) Mt 16, 16. 13) Cf. Gn 25, 23-25.

facto impetu, egressus est prior factusque est vere primogenitus, [14] ex quo natus est Christus secundum carnem. [15]

Homo quilibet suapte natura geminus est propter sensum carnis et spiritum mentis, quo similis Deo est, sicut sensu carnis similis est iumentis. Sensus carnis est Esau, qui in pecudis morem totus pilosus erat; [16] spiritus autem mentis est Iacob dilectus; ille est Zaram, quod est o r t u s sive o r i e n s, manifestus est enim sensus carnis, et luce clarius cernitur; mens autem est Phares, quod interpretatur s e p a r a t u s; spiritus enim rationalis separatus est a materia suapte natura, non dependet ex materia, non educitur de potentia materiae, mens non est alligata organo materiali.

quae significant sensum carnis et spiritum mentis.

Specialiter tamen Thomas dictus est *Didymus*. Ipse repraesentat hodie prius quidem personam Esau et Zaram, et postea personam Iacob et Phares. Animalis homo nonnisi sensibus regitur, more brutorum animalium; sic Thomas non persuadetur rationibus, sed: *Nisi videro*, ait, *non credam*. Et sicut Esau, quoniam delectabatur venatione in silvis extra paternam domum, amisit benedictionem paternam, [17] sic Thomas, quia non erat domi cum ceteris Apostolis, [18] privatus fuit fide et gratia Christi per spatium octo dierum; sicut etiam Zaram prius emisit manum, sic Thomas hodie ait: *Nisi ... mittam manum meam in latus eius, non credam.* [19] Haec est manus ligata coccino sanguinei et carnalis coloris in signum primogeniturae carnalis ex sensu carnis et sanguinis. Sic loquitur Thomas et nonnisi carni et sanguini vult adhibere fidem; sed tandem Iacob fit primogenitus et Phares.

III. *Nisi videro... non credam.* Non potuerunt decem Apostoli persuadere Thomae Christi resurrectionem nec divinitatis eius mysterium aperire, quoniam Christus liber ille est septem sigillis signatus, quem nulla vel coelestis creatura potuit aperire, nec solvere signacula eius, nisi solus ipsemet Christus. [20] Hinc ipse hodie Thomae mysterium hoc facillime aperit, ita ut statim Thomas legerit in libro

Non potuerunt discipuli Thomam incredulum convertere.

14) Cf. ibid. 38, 27 sqq. 15) Cf. Mt 1, 3; Lc 3, 33. 16) Cf. Gn 25, 25-27. 17) Cf. ibid. 27, 1-36. 18) Cf. Io 20, 24. 19) Ibid. vr. 25. 20) Cf. Apc 5, 1-8.

hoc aperto mysteria tum humanitatis tum divinitatis Christi: *Dominus meus et Deus meus!*

solus Christus hoc potuit;

Accidit hodie sicut apud Ieremiam legimus: descendit in domum figuli iussus a Deo viditque figulum componentem vas, quod cum casu confractum fuisset, iterum refecit iuxta quod ei placuit, pulcrum atque decorum. [21]

Thomas vas erat in honorem, [22] electus et praedestinatus a Deo, vocatus et iustificatus a Christo; sed lapsus in terram per incredulitatem et perfidiam, confractus est. Sed hodie a Christo pristinae integritati restitutus est, ita ut de Thoma vere dici possit quod de templo Domini a Chaldaeis destructo et postea a Iudaeis reaedificato: *Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae.* [23] Si, inquit, prior domus tota intrinsecus ex omni parte auro splendebat optimo a ditissimo rege Salomone magnificentissime estructa, domus haec secunda multo magnificientius multoque gloriosius ac splendidius exornabitur.

conversus autem Thomas maiorem fidem et caritatem post lapsum ostendit,

Quilibet fidelis templum Dei est; sic enim Paulus ait: Vos *estis templum Dei.* [24] Ornamentum huius templi caritas est, aurum ignitum et purificatissimum, gratia Spiritus Sancti. Fuit Thomas templum per fidem, per caritatem, per gratiam Sancti Spiritus, per singularem vitae sanctitatem. Sed in Christi morte funditus dirutum fuit templum hoc atque eversum per incredulitatem, nam fides est fundamentum totius aedificii spiritualis. Sed a Christo multo magnificentius reaedificatum fuit, quoniam, inquit, *meum est argentum et meum est aurum.* Multo maior fuit Thomae fides, multo maior caritas post lapsum; hinc ait: *Dominus meus et Deus meus!* Quae verba simul indicant et fidem et caritatem maximam: fidem, quia corde credit et ore confitetur Christi divinitatem;[25] caritatem, quia non dicit sicut Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, sed: *Dominus meus et Deus meus!* quae verba magnum indicant animi affectum, plena sunt emphasi.

Accidit hodie sicut in diluvio: emisit Noe, *vir iustus atque perfectus,* [26] columbam ex arca; illa autem, *cum non invenisset* extra ar-

21) Cf. 18, 2-6. 22) Cf. Rom 9, 21. 23) Agg 2, 9-10. 24) 1 Cor 3, 16; 2 Cor 6, 16. 25) Cf. Rom 10, 10. 26) Gn 6, 9.

cam *ubi requiesceret pes eius, reversa est... in arcam;* [27] misitque Noe manum suam tulitque eam et introduxit in arcam. Ecce columba extra arcam: *Thomas... unus de duodecim... non erat cum eis quando venit Iesus.* [28] Non erat cum collegio apostolico in domo, erat extra domum, extra Ecclesiam. Simplex haec columba dimissa fuit ex arca. Permisit Deus ut sic Thomas reperiretur extra Ecclesiam, extra congregationem fidelium, sed cum non inveniret mentis animique quietem, reversa est columba haec in arcam: *Venit Iesus ianuis clausis et Thomas cum eis.* [29] Misit autem Christus manum suam et introduxit columbam hanc in arcam. Non sic egit Noe cum corvo sicut egit cum columba, non introduxit amplius corvum in arcam. [30] Thomas lapsus fuit in incredulitatem, ut columba, ex simplicitate, Iudas autem ex malitia, ut corvus; non fuit reversus corvus in arcam, non reversus amplius Iudas ad Ecclesiam. Vae iis qui ex malitia et animi pravitate peccant! Corvus est animal immundum secundum legem, [31] columba autem avis munda Deoque accepta. Si quis Dei gratiam et benevolentiam desiderat sit columba non corvus.

non enim ex malitia peccaverat, sed ex simplicitate.

Infer digitum tuum huc, etc. [32] Voluit Christus ut Thomas, quo perfecte crederet, videret et tangeret manus et latus; nam sic omnibus Apostolis in priori apparitione ostendit Christus manus, latus et pedes. Ex operibus divinis propter nos factis et ex nimia erga nos caritate vere cognitis acquiritur et perficitur fides. Voluit autem Dominus in manibus, pedibus et latere retinere cicatrices aut plagas vulnerum, ut essent ornamenta suae gloriae, signacula sui amoris erga nos, gemmae suae vestis, stellae sui coeli, lampades sui templi, argumenta verae carnis; ut essent veluti stemmata et gentilitia signa domus suae, contrasigna suae personae, fenestrae divini palatii, memoriae et recordationis nostrae signa apud Deum, memorialia offensionum acceptarum ab inimicis, trophaea sui triumphi signaque suae victoriae suaeque fortitudinis. [33]

Multis de causis voluit Dominus vulnerum plagas in corpore suo retinere.

27) Ibid. 8, 8-10. 28) Io 20, 24. 29) Ibid. vr. 26. Ordine inverso affert hanc pericopen. 30) Cf. Gn 8, 6-7. 31) Cf. Lv 11, 15; Dt 14, 14. 32) Io 20, 27. 33) Cf. ibid. vrr. 19-20.

DIES SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS

Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis... et ex eis flagellabitis in synagogis vestris... ut, etc. 1

Stephanus hodie a Christo coronatur.

I. Sicut qui in stadio optime currit primus omnium ad metam perveniens, magno cum honore et gloria accipit bravium, et qui tanquam strenuus miles in agone contendens fortiter certavit, parta victoria coronam accipit, sic hodie Stephanus protomartyr et archimartyr, coryphaeus et ἔξαρχος [2] Martyrum, hodie cum palma et corona martyrii coelum ingreditur, vidit enim coelos apertos et Iesum tanquam summum imperatorem stantem [3] ad videndum certaminis spectaculum, sicut Saul Davidem contra Goliam pugnantem conspectatus fuit, [4] ut aurea corona, summa in paradiso gloria et honore coronaret.

Consueverat Deus mittere Prophetas ad praedicandam legem;

II. *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas.* Sicut misit Deus Moysen ad praedicandum Hebraeis in Aegypto, [5] sic semper Prophetas mittere consuevit ad praedicandam legem Dei, ad ostendendam viam salutis, ad vitia coarguenda et commendandas virtutes, ad prohibenda peccata operaque bona praecipienda, quales fuerunt Samuel, Elias, Eliseus, Isaias, Ieremias, Ezechiel et innumeri alii, quos misit postquam ipse de coelo legem dedit. Tunc enim, cum populus, visa terribili Dei maiestate, summopere perterritus et exterrefactus Moysi dixisset: *Loquere tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur,* [6] ait ipse: *Bene... locuti*

1) Pericope huius festi Mt 23, 34-39. Cf. Missale Rom. 2) Ms.: *Exarcos.* 3) Cf. Act 7, 55. 4) Cf. 1 Rg 17, 38 sqq. 5) Cf. Ex 3, 10 sqq. 6) Ibid. 20, 19. Vulg.: *Non loquatur nobis.*

sunt; prophetam suscitabo eis, etc.;[7] tunc enim promisit se Prophetas Moysi similes missurum. Sic Christus verus Deus, cum venerit ipse ad praedicandam evangelicam legem, ait: *Ecce ego mitto ad vos prophetas.* Apud Lucam sic legimus: *Sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas et Apostolos et ex illis occident et persequentur.*[7a] Ait igitur: Ego, idest *sapientia Dei*, illa sapientia quae apud Salomonem in *Proverbiis* sic loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant, ante* omnes *colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam et estote sapientes et nolite abiicere eam. Beatus homo qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie... Qui me invenerit inveveniet vitam et hauriet salutem a Domino.*[8] Ista itaque sapientia Dei aeterna, creatrix omnium et gubernatrix omnium, salvatrix et beatificatrix hominis, quae etiam mundum regit: *Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo; per me reges regnant.. per me principes imperant et potentes decernunt iustitiam;*[9] haec, inquam, sapientia Dei, Christus Dei virtus Deique sapientia,[10] ait: *Ecce ego mittam*, sive *mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas*, viros indutos virtute ex alto, Divino Spiritu afflatos, Spiritu Sancto plenos, qui sint tanquam luminaria in firmamento coeli, qualis fuit Stephanus, de quo in *Actis Apostolorum* sic legimus: *Elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto,*[11] et iterum: *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna*

ita etiam Christus promittit se missurum viros Spiritu Sancto plenos,

qualis fuit Stephanus.

7) Dt 18, 17-18. Vulg.: *Bene... sunt locuti.* 7a) 11, 49. 8) 8, 22-35.
9) Ibid. vrr. 14-15. 10) Cf. 1 Cor 1, 24. 11) 6, 5.

in populo; unde *disputantes* cum eo *non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur;* [12] et tandem: *Cum... esset plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei et ait: Ecce video coelos apertos et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei.* [13]

O vir admirabilis, propheta, quoniam Divino Spiritu afflatus, vir Spiritu Sancto plenus, sapiens, plenus gratia et sapientia, scriba doctissimus, ut patet in oratione quam habet in concilio!

Antiquum est odium malorum erga bonos.

III. *Ecce ego mitto ad vos,* pro salute vestra, *prophetas,* legatos meos, qui vobis verba mea proponant, *mitto ad vos* viros summo honore et gloria dignos atque summopere diligendos; sed *ex illis,* inquit, *occidetis... et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Antiquum profecto est odium malorum erga bonos. Ab initio saeculi Cain mortali odio persequens Abelum, illum tandem iniuste et crudeliter interfecit; [14] sic Ismael persecutus fuit Isaac, [15] Esau Iacob, [16] Pharao Moysen, [17] Aegyptii Hebraeos, [18] prophetae Baal Prophetas Dei, impia Iezabel Eliam, [19] idololatrae fideles Dei cultores; sic Iudaei Apostolos et discipulos Christi, impii tyranni Martyres Christi, mundus universus Ecclesiam Sanctam Christi. Sed unde, quaeso, odium istud, unde persecutio talis ac tanta? Cur mundus Christum eiusque Apostolos, discipulos ac fideles omnes persecutus est? Unde tale tantumque odium concitatum accensumque est in Iudaeis hodie contra Stephanum? Obiectum odii est malum, sicut bonum obiectum amoris. Quid mali invenit mundus in Christo, in Apostolis et discipulis Christi, in Stephano martyre Christi? Imo quid adinvenerunt mali ante Christum in Prophetis Dei et Christi? Profecto omnes fuerunt viri magna sanctitate praediti, coelesti divinaque sapientia pleni, divina etiam virtute donati ad signa mirabilia operanda, sicut fecit Moyses in Aegypto, in mari Rubro et in deserto, [20] Iosue in Iordane et in terra Gabaon. [21]

Sanctitas vero hominibus admiranda est, sic enim multi Prophetae ob sanctitatem mundo admirationi ac venerationi

12) Ibid. vrr. 8-10. 13) Ibid. 7, 55. Vulg.: *Et Filium hominis stantem,* etc. 14) Cf. Gn 4, 8. 15) Cf. ibid. 21, 9-10; Gal 4, 29. 16) Cf. ibid. 27, 41. 17) Cf. Ex 2, 15. 18) Cf. ibid. 1, 13-14. 19) Cf. 3 Rg 19, 1-2. 20) Cf. Ps 104, 26-41; 105, 9-32. 21) Cf. Ios 3, 1-4, 1 sqq.

fuerunt; itemque sapientia ob quam Pharao sublimavit Ioseph [22] et Nabuchodonosor Danielem, cui etiam divinos tribuit honores; [23] operatio item miraculorum celeberrimos fecit Moysen, Aaron, Eliam et Eliseum. [24] Christus vero infinitae fuit sanctitatis vir, infinitae sapientiae, infinitae virtutis ad operanda miracula; nulli unquam nocuit, omnibus benefecit; illuminabat caecos, [25] sanabat infirmos, [26] suscitabat mortuos; [27] similiter Apostoli in his omnibus Christo similes fuerunt in sanctitate, in sapientia, in miraculis, quae Christi virtute operabantur. Sic Stephanus quoad sanctitatem vir erat plenus *fide et Spiritu Sancto,* quoad sapientiam plenus gratia et sapientia, quoad miracula *faciebat prodigia et signa magna in populo,* et tamen ab universo populo summa ira ac furore percito, tanquam pessimus blasphemus hodie lapidatus fuit; nam cum audissent dicentem: *Ecce video coelos apertos et Iesum stantem a dextris Dei, exclamantes... continuerunt aures suas et impetum fecerunt unanimiter in eum et eiicientes extra civitatem lapidabant.* [28]

et tamen sanctitas, sapientia et miraculorum operatio hominibus admiranda est;

Quod si dignitatem officii spectemus, fuerunt Prophetae et Apostoli summi regis Dei legati: *Sicut misit me* vivens *Pater et ego mitto vos;* [29] *Legatione,* inquit Apostolus, *fungimur pro Christo tanquam Deo per nos exhortante;* [30] si actiones, missi sunt praedicare regnum coelorum: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum,* [31] sanare infirmos gratis, et mortuos etiam suscitabant, [32] quod nulli medici facere unquam potuerunt; dimittebant peccata: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* [33] erant pacifici et humiles: *Ecce ego mitto vos sicut oves;* [34] *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.* [35]

Quare ergo *fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania?* [36] cum tales essent, quod Lystrenses, viso miraculo facto a Paulo et Barnaba in curatione claudi, voluerunt eos tanquam deos adorare dicentes: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* [37]

22) Cf. Gn 41, 40-46. 23) Cf. Dn 2, 46-48. 24) Cf. Eccl 48, 1-15. 25) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 26) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 27) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 28) Act 7, 56-58. Ordine inverso affert hos vrr. 29) Io 20, 21. 30) 2 Cor 5, 20. Vulg.: *Pro Christo... legatione fungimur... exhortante per nos.* 31) Mt 4, 17. 32) Cf. ibid. 10, 7-8. 33) Io 20, 22-23. 34) Mt 10, 16. 35) Lc 10, 5. 36) Ps 2, 1. 37) Act 14, 10.

Sed mens vitiis excaecata malum existimat quod bonum est,

Verum haec est conditio humanae mentis perniciosis vitiis ac pravis affectibus excaecatae, ut saepe dicat lucem tenebras et tenebras lucem, dulce amarum et amarum dulce, bonum malum et malum bonum, [38] utile damnum et damnum utile. Sic Iudaei ambitione et avaritia excaecati damnum existimabant maximum se ob Christum accepturos: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent locum nostrum et gentem,* [39] unde Caiphas ait: *Expedit.. ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat;* [40] hinc Herodes audiens natum Christum timensque regnum amittere, occidit omnes Bethlehemitas infantes; [41] sic Saul ambitione et avaritia excaecatus Davidem persequebatur; [42] sic Pharao timens sibi malum ab Hebraeorum populo, eo quod nimium crescebat et multiplicabatur, iussit necari omnes eorum infantes. [43]

Ideo boni semper persecutiones passi sunt, quia hominum vitia insectabantur.

Deinde, quia Apostoli et Prophetae *sal terrae* erant et *lux mundi,* [44] hominum vitia acriter insectabantur, hinc odia, nam

« Veritas odium parit; » [45]

sic Achab odio habebat Michaeam prophetam, [46] Sedecias Ieremiam; [47] hinc Christus ait: *Me... odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt,* [48] et Apostolis ait: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* [49] Incitabantur etiam ex falso religionis zelo, videntes per fidem Christi religionem eorum, vel falsam, qualis erat gentium, vel vanam carnalemque qualis erat Iudaeorum, labefactari. Hinc dixerunt Iudaei de Christo: *Nos legem habemus et secundum legem* nostram *debet mori, quia Filium Dei se fecit* [50] eumque persequebantur quia Filium Dei Deoque aequalem se faciebat sabbatumque solvebat. [51] Sic Iudaei hodie Stephanum lapidarunt tanquam blasphemum, falso religionis zelo, et quia eorum vitia acriter coarguerat dicens: *Dura cervice et incircumcisis cordibus... vos semper Spiritui Sancto resistitis... Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occi-*

38) Cf. Is 5, 20. 39) Io 11, 48. Vulg.: *Nostrum locum et gentem.* 40) Ibid. vr. 50. 41) Cf. Mt 2, 16-18. 42) Cf. 1 Rg 18, 8-29. 43) Cf. Ex 1, 10-16. 44) Mt 5, 13-14. 45) Terentius *Andria,* act. 1, scena 1, vr. 68. 46) Cf. 3 Rg 22, 8. 47) Cf. Ier 37, 1-2. 48) Io 7, 7. Vulg.: *Perhibeo de illo,* etc. 49) Ibid. 15, 19. 50) Ibid. 19, 7. 51) Cf. ibid. 5, 16-18.

derunt eos qui praenunciabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis. [52]

Omnis persecutio contra Christum et Ecclesiam ex ignorantia et malitia hominum et diaboli operatione orta est.

IV. Sed profecto, sicut cum introisset satanas in cor Iudae ut traderet Christum, tunc abiit Christumque tradidit Iudaeis, [53] sic a diabolo concitata fuit omnis persecutio in Christum et eius Ecclesiam; sic enim Aegyptii, Pharaone instigante, persequebatur Hebraeos, sic Saul malo spiritu agitatus Davidem insectabatur. Hic enim vafer [53a] et versipellis serpens persuadebat hominibus sanctitatem Christi ac suorum hipocrititiam esse, sapientiam daemoniacam, virtutem operandi miracula artem magicam; hinc falso religionis zelo eos armabat, unde ait Christus: *Ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo;* [54] *et haec facient vobis quia non noverunt Patrem neque me;* [55] nam *si... cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;* [56] sic enim rex aliquis, etsi summus, abiens tamen solus et incognitus, ab iis qui eum non cognoscunt multas patietur iniurias. Ex hominum ergo ignorantia atque malitia et ex diaboli operatione, qui omnibus Christi fidelibus libentissime ageret egissetque semper id quod egit Beato Iob, [57] orta est omnis persecutio.

Permittit Deus fidelibus suis temporalia mala,

Sed si satan nil potuit in Iob agere, nisi quando et quantum permissus fuit a Deo, cur, quaeso, talem tantamque persecutionem permisit Deus Christo Filio suo eiusque Ecclesiae Sanctae? cur non impedivit? cur non obstitit mundo et diabolo? cur equum et ascensorem non proiecit in mare, sicut Pharaonem cum universo exercitu suo? [58] Mundus enim hic, qui *totus in maligno positus est,* [59] equus est diaboli, ipse vero diabolus eques et ascensor est, *princeps mundi huius,* [60] fortis et armatus custodiens atrium suum, [61] nec de mundo eiici volens. Quis enim rex velit regno expelli? At vero diabolus omnesque daemones tenebrae sunt, *Deus* autem *lux est* [62] tenebras potentissime pellens atque eliminans.

Sed Deus permisit temporalia mala fidelibus Christi, quoniam

52) Act 7, 51-52. 53) Cf. Io 13, 2. 53a) Ms. *Vafrax.* 54) Ms.: *Vobis* loco: *Deo.* 55) Io 16, 2-3. 56) 1 Cor 2, 8. 57) Cf. Iob 1, 12-2, 1-10. 58) Cf. Ex 15, 1. 59) 1 Io 5, 19. 60) Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 61) Cf. Lc 11, 21. 62) 1 Io 1, 5.

quia sunt media quibus aeterna acquiruntur bona;

haec non sunt vere mala, sed media quibus sempiterna acquiruntur bona: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius;* [63] *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* [64] Non est malus auro ignis ac fornax, incudes et mallei non nocent; fractis lagenis Gedeonis ac militum eius, resplenduerunt latentia lumina fugataque sunt castra Madianitarum. [65] Ecce hodie Stephanus per martyrium transit in coelum, mors ei fit porta vitae, passio aditus ad gloriam felicitatemque aeternam.

insuper splendet magis divina virtus permittendo persecutiones quam impediendo.

Deinde, splenduit multo magis divina virtus permittendo persecutiones quam impediendo, nam impedire quidem graves etiam persecutiones et homines possunt, principes regesque mundani sua auctoritate, protectione et viribus; at non possunt hi homines animo fortissimos facere, ut laeti mortalia quaevis pericula aggrediantur gravissimaque martyria mortemque summa cum ignominia et poena contemnentes constantissime subeant. Hinc Christus Paulo ait: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus* mea *in infirmitate perficitur,* [66] idest perfecta ostenditur; et ipse P a u l u s : *Libenter . . . gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi ;* [67] et alibi: *Habemus . . . thesaurum . . . in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis.* [68] Ob id ergo Christus sciens et volens ait: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et ex eis flagellabitis: occidetis* sicut Cain Abelum, sicut Ioas rex impius Zachariam summum sacerdotem in templo; [69] *flagellabitis* sicut Iob a diabolo flagellatus fuit, sicut praefecti filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis. [70]

Permittit Deus persecutiones istas ad maiorem electorum suorum gloriam.

V. Sed cur, Domine, Prophetas hos tuos ad carnificinam mittis? Si certo scis quod occident et flagellabunt eos, cur mittis eos ad mortem tormentaque certo subeunda? Quis te cogit ut mittas eos? Et si mittere eos cogeris, cur non mortem martyriaque impedis? An forte non potes? Sed Christum ad mittendum hos caritas cogebat desideriumque salutis humanae, ut omnes crederent et salvarentur; et cum, sicut certo sciebat haec eventura, ita etiam absque dubio

63) Ps 115, 15. 64) Iac 1, 12. 65) Cf. Idc 7, 15 sqq. 66) 2 Cor 12, 9. 67) Ibid. 68) Ibid. 4, 7. 69) Cf. 2 Par 24, 20-22. 70) Cf. Ex 5, 14.

impedire poterat – sicut enim Dei est omnia scire, ita et omnia posse, scientia enim et potentia in Deo aequalia sunt, sicut in igne lux et calor, – impedire tamen noluit, primo quidem, ad maiorem electorum suorum gloriam; nam: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum... Beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelo.*[71] Deinde, ad maiorem damnationem reproborum: *Ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.*[72] Ad ostendendam severitatem divinae iustitiae; sicut enim Deus mundum hunc magnum creavit ad ostendendum thesauros potentiae, sapientiae et bonitatis suae, ita mundum hunc parvum, hominem, ad ostendendum thesauros caritatis, misericordiae et iustitiae suae: caritatis quidem in omnes: *Sic... Deus dilexit mundum;*[73] misericordiae in electos, quibus dicet: *Venite, benedicti Patris mei;*[74] iustitiae vero in reprobos, quibus dicet: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*, ob id enim in mundo paradisum et infernum creavit, nam *in ignem*, inquit, *aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*[75] Hinc ipse de Pharaone ait: *Nunc... extendens manum percutiam te et populum tuum peste peribisque de terra. Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam et narretur nomen meum in omni terra.*[76] Sic enim et Paulus *ad Romanos* loquens de praedestinatione et electione Iacob et praescientia ac reprobatione Esau: *Antequam nati essent aut aliquid boni egissent aut mali*, cum dictum est: *Maior serviet minori... Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, hunc de Pharaone locum Scripturae adducit: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam virtutem meam in te et annuncietur nomen meum in universa terra.*[77] Sic Christus ait: *Mitto ad vos prophetas*, sciens a vobis ob summam vestram impietatem occidendos, ut iusta Dei vindicta veniat super vos et cognoscatur

ad maiorem damnationem reproborum,

ad ostendendos thesauros caritatis, misericordiae et iustitiae suae,

71) Mt 5, 10-12. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur... copiosa est in coelis.*
72) Ibid. 23, 35. 73) Io 3, 16. 74) Mt 25, 34. 75) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me*, etc. 76) Ex 9, 15-16. 77) 9, 11-13. Vulg.: *Cum... nondum nati fuissent... ut ostendam in te virtutem meam*, etc.

quam iusta sit severissima ultio Dei super vos, qui impletis, sive cum impleveritis *mensuram patrum vestrorum,*[78] *ut veniat super vos omnis sanguis iustus :* phrasis est Scripturae, idest sumat Deus de vobis ultionem effusi sanguinis sanctorum Prophetarum: *Omnis,* inquit, *sanguis iustus,* qui vindictam clamat, sicut de sanguine Abel legimus: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra ;*[79] sic et Zacharias sacerdos ab impiis ministris Ioas regis lapidibus obrutus ait: *Videat Dominus et requirat ;*[80] sic legimus in *Apocalypsi* clamare animas Sanctorum sub altari Dei: « Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est »[81] super terram; sic Moyses in suo *Cantico* finali ait: *Sanguinem servorum suorum ulciscetur et vindictam retribuet in hostes eorum.*[82] Quaenam autem ultio haec futura esset declarat Dominus; *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta :*[83] ultio est Ierosolymorum excidium et miseranda captivitas, quam ad hunc usque diem patitur infelix populus Iudaeorum.

quae exaltatur punitione impiorum persecutorum.

VI. Sed si scriptum est quod *filius non portabit iniquitatem patris,*[84] quomodo Christus ait: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est?* Profecto filius innocens non portat iniquitatem patris peccatoris quoad poenam aeternam, sed quoad temporalem portant nonnunquam, ut patres puniantur in filiis, maxime cum filii iniquitatem parentum imitantur ac superant; hinc Dominus ait: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem;*[85] hinc completis iniquitatibus Chananaeorum et Amorrhaeorum,[86] Deus eos per Hebraeos destruxit terramque eorum suo electo populo dedit; sic completa iniquitate Iudaeorum in morte Christi, Deus per Romanos universam Iudaeorum rempublicam funditus evertit.

Punit etiam in filios temporalibus poenis iniquitates patrum,

Deinde non immerito dicit: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus... Relinquetur... domus vestra deserta ;* nam ultio haec desumpta fuit in vindictam mortis Christi, sed omnes iusti omnesque

78) Mt 23, 32. 79) Gn 4, 10. 80) 2 Par 24, 22. 81) Cf. 6, 10. Affert ex Breviario Rom. in Festo SS. Innocentium, 5 et 8 respons. 82) Dt 32, 43. 83) Mt 23, 37-38. 84) Ez 18, 20. 85) Ex 20, 5. 86) Cf. Gn 15, 16.

electi ab impiis persecutionem passi, fuerunt membra Christi et ob fidem passi sunt Christi; hinc Stephanus ait Iudaeis in concilio: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui praenunciabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis.* Ob id ait: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae.* Quem quidem Divus Hieronymus vult esse Zachariam summum sacerdotem, qui in templo occisus fuit a Ioas rege, et dici filium Barachiae, quamvis Ioiadae filius fuerit, quoniam pater eius ob iustitiam vere benedictus Domini fuerit, et in Evangelio Nazaraeorum esse pro filio Barachiae filium Ioiadae.[87] At vero alii Patres gravissimi volunt hunc fuisse patrem Ioannis Baptistae; sic enim Tertullianus in *Scorpiaco,*[88] Origenes *in Matthaeum,*[89] Cyrillus *contra Anthropomorphitas,*[90] Basilius *De Humana Christi Generatione,*[91] Gregorius Nyssenus *de Christi Nativitate,*[92] quem Epiphanius *De Vita et Interitu Prophetarum,* capite 21, scribit patre Barachia sacerdote natum esse,[93] et capite 23 Ioiadam etiam appellatum fuisse patrem ipsius;[94] quare etsi in Evangelio Nazaraeorum filium Ioiadae legit Hieronymus, non statim sequitur fuisse illum sacerdotem a Ioas rege interfectum, et apud Nicephorum 2 libro *Historiarum,* capite 3, testatur Hippolytus Martyr, gravissimus auctor, Zachariam patrem Ioannis filium fuisse Barachiae sacerdotis.[95] Sanctus etiam Petrus Martyr Episcopus Alexandrinus capite 3 suarum *Regularum Ecclesiasticarum,*[96] quas Sexta Synodus recepit atque probavit, capite 1 testatur patrem Ioannis occisum fuisse inter templum et altare ab Herode, qui sicut omnes voluit Bethlehemitas infantes occidere ut Christum perderet, ita quoque Ioannem; quem cum non invenisset, patrem occidit.[97] Et verosimile est ut Herodes quaesiverit Ioannem interimere, cuius nativitas celeberrima fuit et per universam Iudaeam divulgata, cum omnes mirati dicerent: *Quis putas puer iste erit ?*[98]

sic Ierosolymae excidio punivit mortem Christi et sanctorum Prophetarum.

Variae sunt sententiae de identitate huius Zachariae.

87) *Comment. in Matthaeum,* lib. 4, (P. L. 26, 173-174). 88) Ibid. 2, 137. 89) P. G. 13, 1630-1632. 90) Cp. 7, ibid. 76, 1130 91) Ibid. 31, 1467. 92) Ibid. 46, 1138. 93) Ibid. 43, 411. 94) Ibid. col. 414. 95) Ibid. 145, 759-762. 96) Can. 13, ibid. 18, 503. 97) *Epistola Canonica,* ibid. 138, 511. 98) Lc 1, 66.

Hi igitur omnes Doctores, Petrus Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyrillus, Basilius, Gregorius Nyssenus et Epiphanius, tradunt Zachariam patrem Ioannis occisum fuisse inter templum et altare. Et verosimilius est ut si sic mortuus Zacharias iste sit, de hoc potius Christus quam de antiquo illo Zacharia intellexerit, [99] nam dicens: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae*, primum et novissimum prophetas occisos afferre voluerit. At Zacharias ille non fuit ultimus Prophetarum occisus, post illum enim fuit Isaias et multi alii Prophetae occisi ab impio rege Manasse. [100]

His verbis ostendit Dominus divinam caritatem suam erga nos.

VII. *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina*, sive avis, *congregat pullos suos sub alas et noluisti!* De Deo sic legimus: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos atque portavit in humeris suis.* [101] Ostendit Dominus se ea nos caritate diligere qua avis pullorum amantissima filios suos. *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non recordetur filii uteri sui? Et si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus . . . descripsi te;* [102] *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* [103] tui. O si sic nos sicut Deus salutem nostram desideraremus! *Quoties volui*, inquit, sed *noluisti*, ideo *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta! Perditio tua* ex te, *Israel; tantum in me auxilium tuum.* [104] *Quoties volui*, Deus enim *vult omnes homines salvos fieri;* [105] *Haec est . . . voluntas Dei, sanctificatio vestra;* [106] sed *noluisti*.

Stephanus autem amantissimae huius gallinae, divinae huius avis amantissimus pullus esse voluit, et ecce quomodo sub alis suis eum protexit. Hodie aperuit enim coelos ac sic veluti alas expandit:

99) Ms.: *Christus* repetitur. 100) Cf. 4 Rg 20, 16; S. Iustinus Martyr *Contra Triphonem* (P. G. 6. 755); Origenes *In Isaiam*, hom. 1, ibid. 13, 223; *In Matthaeum*, ibid. 882, 1637; S. Io. Chrysostomus serm. *S. Stephani*, ibid. 59, 505; S. Hieronymus *In Isaiam*, lib. 15, (P. L. 24 546-547); S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 18, cp. 24, ibid. 41, 581.
101) Dt 32, 11. Vulg.: *Et assumpsit eum*, etc. 102) Is 49, 15-16. Vulg.: *Oblivisci potest. Ut non misereatur filii . . . et si illa oblita* etc. 103) Ier 31, 3. 104) Os 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me.* 105) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 106) 1 Thess 4, 3.

Video, inquit, *coelos apertos et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei;* non vidit sedentem, sed stantem, paratum ad defensionem ipsius; vidit stantem tanquam protectorem, hinc milvus diabolus non potuit hodie pullum hunc rapere ut volebat, quoniam divina haec gallina sub alis suis eum texit atque protexit; ab hac gallina Stephanus calorem fomentumque caritatis accepit.

Hanc caritatem Stephanus expertus fuit et parem retribuit.

Qualis et quanta ostensa nobis est hodie Stephani caritas erga Deum, erga seipsum et erga proximos! Erga Deum, pro quo sanguinem vitamque hodie prodegit, opus plane multo illustrius multoque maioris caritatis erga Deum quam facinus illud Abrahami in Divinis Scripturis laudatissimum ac decantatissimum.[107] Siquidem homo suapte natura seipsum primo carnemque ac corpus suum diligit ac multo magis quam dilectissimum quemvis filium, quod necessitas famis et sitis manifestat; tanto ergo opus istud maius est illo quanto amor erga seipsum suapte natura maior est quovis erga quemvis proximum amore; seipsum enim pro Christo Stephanus libentissime obtulit morti. Caritas item erga seipsum, quod est vehemens desiderium aeternae vitae, elucet, quoniam Stephanus coelum videns apertum et Dominum suum a dextris Dei, positis genibus ac voce magna clamans oravit, dicens: Domine, *in manus tuas commendo spiritum meum.*[108] Et tertio caritas erga proximum, nam pro salute Iudaeorum Stephanus praedicavit, pro salute eorum in concilio habuit concionem, magna cum caritate ministrabat mensis, et tandem maxima cum caritate pro inimicis, pro persecutoribus, pro lapidantibus et actu eum occidentibus oravit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum,*[109] signum manifestum quod multo magis cupiebat salutem perpetuam inimicis quam vitam, corpus et carnem suam amaret. Vicit amor amorem, spiritualis carnalem, sicut maius lumen vincit minus lumen, lumen solis vincit lumen lunae, sic dolor maior vincit minorem. Sic *cum hoc dixisset, obdormivit in Domino,*[110] cum bonum certamen certasset tanquam optimus miles armatus armis iustitiae, fide, spe et caritate, cum cursum consummasset iamque ad metam finemque stadii pervenisset, cum fidem tum in prosperis tum in adversis servasset,[111] pervenit ad accipien-

Magna cernitur caritas Stephani erga Deum,

erga seipsum

et erga proximum.

107) Cf. Gn 22, 1-18. 108) Ps 30, 6. 109) Act 7, 59. 110) Ibid.
111) Cf. 2 Tim 4, 7.

dum bravium, ad accipiendam nominis sui c o r o n a m[112] de manu Christi: *Obdormivit,* inquit, *in Domino.* Mors illi non mors, sed somnus quidam suavissimus fuit; vitae enim immortali et aeternae restituendum est corpus ipsius in resurrectione mortuorum, quando veluti a somno excitabitur et fulgebit sicut sol in regno Dei,[113] lapidesque illi, qui vitam ipsi rapuerunt, erunt veluti in regia corona pretiosissimi lapides stellis splendidiores ac pulcriores.

. Sic Stephanus ab hac gallina calorem vitalem vitamque ipsam accepit et alas volandi in coelum, quo ipsamet gallina volavit. Christus enim gallina fuit, sed aquilis altissime volantibus multo altius multoque sublimius volans: *A summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius.*[114] Volavit gallina ista non solum sopra aerem, sed supra coelum, supra astra, supra empyreum, supra omnes Angelorum ordines, usque ad dexteram Dei: *Video coelos apertos et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei.* Sic pullus iste gallinaceus hodie volavit usque ad tertium coelum, usque in paradisum, quo raptus fuit Paulus.[115]

II. ALIA HOMILIA

Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis... et ex eis flagellabitis in synagogis vestris et persequemini, etc.[1]

Multae sunt antitheses inter hodiernam et hesternam festivitatem.

I. Heri vidimus Filium Dei missum in mundum pro salute mundi, hodie videmus eum mittentem pro salute eiusdem mundi: *Sicut misit me* vivens *Pater, et ego mitto vos;*[2] heri missus fuit Christus ut homo, hodie mittit ut Deus, nam Dei est mittere Prophetas, nam: *Ipse dedit alios quidem Apostolos, alios autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii et aedificationis corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis*

112) Stephanus enim latine *corona* interpretatur. 113) Cf. Mt 13, 43.
114) Ps 18, 7. 115) Cf. 2 Cor 12, 2-4.

1) Mt 23, 34. 2) Io 20, 21.

Christi; [3] hoc, inquam, opus Dei est. Heri vidimus Christum infantem, hodie videmus perfectum virum; heri in praesepio, hodie in coelo; heri in humilitate, hodie in gloria: *Ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris* virtutis *Dei,* [4] in maiestate et gloria Deo aequalem. [4a] Sic enim heri fuit *a summo coelo egressio eius,* hodie, hodie *occursus eius usque ad summum eius;* [5] heri: *Exivi a Patre et veni in mundum,* hodie: *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* [6] *Assumptus... in coelum... sedet a dextris Dei;* [7] heri: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,* [8] hodie: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen,* etc.: [9] heri nunciavit Angelus natum esse Salvatorem mundi, [10] hodie aperto coelo ostenditur ista salus.

Rex summae gloriae hodie Christus ostenditur Stephanum coronans.

Sicut autem mox ut fabricata fuit arca foederis Domini auroque intrinsecus extrinsecusque induta, iussit Dominus ut fieret ei aurea corona, [11] sic cum heri viderimus vivam animatamque arcam Domini, Christum, in qua inhabitat omnis divinitatis plenitudo, [12] hodie ostenditur rex coelestis gloriae: *Video coelum apertum et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei.* Heri vidimus Christum humilibus pannis involutum, in praesepio collocatum a Matre, hodie infinita gloria circumdatum cernimus, super omnes coelos constitutum a Patre. Rex summus gloriae ostenditur hodie Christus honore et gloria Stephanum coronans, a quo Stephanus nominis sui accipit c o r o n a m, [13] non tantum auream ob caritatem, sed etiam aureolam ob martyrium et doctrinam; auream quidem ob caritatem, nam erat plenus fide et Spiritu Sancto, [14] plenus gratia et sapientia, plenus amore et cognitione summi Dei. Fidei autem, caritati et gratiae debetur gloria, hinc ait: *Cum... esset plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei et Iesum,* qui obiectum est beatificum, *stantem a dextris* virtutis *Dei;* [15] gratiae enim Spiritus Sancti debetur gloria et maiori gratiae maior gloria.

3) Eph 4, 11-13. Vulg.: *Dedit quosdam quidem Apostolos... in aedificationem corporis,* etc.
4) Act 7, 55. 4a) Ms.: *Aequalis.* 5) Ps 18, 7. 6) Io 16, 28. 7) Mc 16, 19.
8) Phil 2, 6-7. 9) Ibid. vr. 9. 10) Cf. Lc 2, 9-12. 11) Cf. Ex 25, 10-11.
12) Cf. Col 2, 9. 13) Sic latine Stephanus interpretatur. 14) Cf. Act 6, 5-8.
15) Ibid. 7, 55.

Stephanus fuit plenus gratia, ergo in coelo plenus gloria, ut magnitudini meriti respondeat praemii magnitudo.

Triplicem aureolam Stephanus hodie accepit: Martyrum, Doctorum et Virginum.

II. Nec tantum auream hodie Stephanus coronam accepit, sed etiam aureolam; siquidem arca Dei corona duplici coronata erat.[16] Accepit Stephanus hodie triplicem aureolam tanquam summe perfectus in triplici animae parte: in rationali plenus sapientia, in irascibili plenus fortitudine, in concupiscibili plenus purissima honestate, qui semper tanquam Angelus vixit in carne, nam inquit: « Intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli stantis inter illos »;[17] sic accipit aureolam Martyrum ut protomartyr, primus et princeps Martyrum: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso;*[18] aureolam doctorum, sicut enim Martyrum aureola competit Stephano ob fortitudinem qua plenus erat, ita etiam aureola doctorum ob sapientiam qua plenissimus erat, nam *non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur:*[19] loquebatur Christi fidem defendens ab omnibus impugnatoribus; patet autem Stephani sapientia atque doctrina in concione habita in concilio;[20] et tandem aureolam virginum ob virginalem et angelicam puritatem, nam *intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.*[21] Sic Stephanus ad omnem gloriae coronam ab aeterno praedestinatus a Deo et intelligens se ob id divina dispositione tali nomine insignitum, hodie, vocante Christo ad accipiendam omnem coronam gloriae, currit volatque in coelum. Hinc quattuor legimus de Stephano: quod erat plenus fide, plenus Spiritu Sancto, plenus gratia et plenus fortutidine.

Quattuor sunt merita quibus in coelo respondent quattuor coronae.

Haec profecto quattuor sunt merita, quibus[21a] in coelo quattuor respondent praemia, quattuor coronae. Primo Apostoli proposuerunt eligendos septem *viros ... boni testimonii ... plenos Spiritu Sancto et sapientia;*[22] inter hos primus electus fuit Stephanus, et ipse omnium maxime plenus erat Spiritu Sancto et sapientia. Fuit ergo Stephanus plenus Spiritu Sancto et fide, plenus sapientia, plenus gratia, plenus fortitudine. Plenitudini fidei et Spiritus Sancti com-

16) Cf. Ex 37, 1-12. 17) Breviarium Rom. in Festo S. Stephani, 2 respons.
18) Ps 20, 4. 19) Act 6, 10. 20) Cf. ibid. 7, 2-53. 21) Ibid. 6, 15.
21a) Ms.: *Qui*, loco: *Quibus*. 22) Act 6, 3.

petit corona gloriae aurea, quae est gloria essentialis; plenitudini sapientiae aureola doctorum: *Qui . . . docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellae in perpetuas aeternitates;*[23] plenitudini gratiae aureola virginum: *Veni de Libano, sponsa . . . veni de Libano, veni coronaberis;*[24] plenitudini fortitudinis aureola Martyrum: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* O felices qui Stephanum imitantur satagendo ut pleni sint fide et Spiritu Sancto, ut Deum ex toto corde diligant, pleni sapientia in contemplatione coelestium et cognitione Dei, pleni gratia ut vitam ducant in hoc mundo angelicam atque divinam per coelestem conversationem, pleni fortitudine in vincendis omnibus tentationibus carnis, mundi et diaboli ac in operandis mirabilibus sanctitatis operibus! Nam Stephanus *plenus . . . fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo.*[25] Hi enim qui sic satagunt Stephano similes esse, procul dubio cum Stephano coronabuntur in gloria, *non enim est acceptio personarum apud Deum.*[26]

Deus electos suos diligit magis quam pater aut mater filios.

III. *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et ex eis flagellabitis.* Non immerito dicit Christus: *Ecce ego,* quasi novum quid dicat, nam profecto mirabile est quod dicit. Deus enim electos suos, pro quibus mori voluit, diligit multo magis quam pater aut mater dilectissimos filios, quam gallina aut quaevis alia avis amantissima pullos suos; hinc ait: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas!*[27] *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos,* etc.[28]

eos tamen ad passiones et mortem mittit primo, pro mundi salute,

Sed si tantopere diligit, quid,[29] quaeso, est quod eos ad mortem mittit: *Ecce mitto ad vos prophetas . . . et ex illis occidetis?* Quomodo diligit si ad occisionem mittit? Si ignoraret electis suis id eventurum, mirum non esset; si mitteret sicut Iacob misit dilectissimum filium Ioseph ad videndum an cuncta prospera essent circa fratres suos, nesciens quid illi eventurum esset, quod eum fratres prope occisuri ac semimortuum venditturi essent;[30] sed Christus novit, quoniam sapientia Dei est: *Sapientia Dei dixit: Mittam ad*

23) Dn 12, 3. Vulg.: *Docti fuerint . . . quasi splendor . . . quasi stellae,* etc. 24) Ct 4, 8.
25) Act 6, 8. 26) Rom 2, 11. 27) Mt 23, 34. 28) Dt 32, 11.
29) Ms.: *Quis.* 30) Cf. 37, 12-28.

vos prophetas et Apostolos. [31] Hinc tanquam sapientia Dei, cui nihil est absconditum, praedicit quod venturum erat: *Ex illis occidetis et ex eis flagellabitis;* sic enim a Iudaeis flagellati fuerunt Apostoli, [32] Iacob ab Herode occisus, Petrus coniectus in carcerem et in vinculis positus ut post pascha ipse quoque occideretur, [33] Paulus a Iudaeis quinquies quadragenas accepit, ter virgis caesus ac semel lapidatus fuit. [34] Sed Christus diligit hos suos electos, novit futura super eos mala et potuit impedire, est enim Deus omnipotens, est infinita sapientia, est bonitas et caritas immensa. Sed sicut *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum,* etc., [35] sic Christus ipse quoque sic mundum dilexit, ut filios hos suos dilectissimos daret pro salute mundi, sicut datus ipse a Patre fuit; hinc ait: *Sicut misit me* vivens *Pater, et ego mitto vos.* [36] Dilexit Christus magis animas peccatorum quam corpora electorum Apostolorumque suorum, hinc ad salvandas peccatorum animas non curavit perdere iustorum corpora.

deinde, ut ostendat temporalia mala media esse ad aeterna bona acquirenda,

Deinde, quia amor Christi spiritualis est principaliter non carnalis, secundum Deum non secundum mundum, cupit electis suis coelestia magis ac sempiterna bona quam vana haec terrena et temporalia, imo momentanea, simulacra, imagines larvasque bonorum, non vera bona. Quare quo magis magisque ditari possent in paradiso, quo maiores ac copiosiores thesauros sibi thesaurizarent in coelo, voluit hic eos multa pati, quoniam sicut mundana bona non vera sunt bona, sed imagines quaedam bonorum, ita mundana ista mala non vera sunt mala, sed media quibus multo maiora acquiruntur bona, veluti per amaras potiones dulcissima sanitas, per mercaturae labores immensi thesauri, per sudores in colenda terra copiosissimi proventus fructusque suavissimi. Sed non sic, non sic patres carnales suos diligunt filios, quibus nonnisi carnalia, terrena, mundana ac temporalia bona desiderant, non spiritualia, non aeterna, non divina; quos tantum secundum carnem diligunt, non secundum spiritum.

Tandem, quoniam Christus super omnia Patrem diligit eiusque gloriam quaerit, hinc etsi electos suos diligat, mittit tamen

31) Lc 11, 49. Vulg.: *Mittam ad illos*, etc. 32) Cf. Act 5, 40. 33) Cf. ibid. 12, 1-5.
34) Cf. 2 Cor 11, 24-25. 35) Io 3, 16. 36) Ibid. 6, 58; 20, 21.

eos ad praedicandum gloriam Dei, ut sanctificetur nomen Dei, ut adveniat regnum Dei, ut fiat voluntas Dei; [37] quamvis sciat se oves mittere inter lupos, [38] mittit ut elucescat mundo caritas Dei, qua cupit omnes salvare, ut si quidem homines convertantur, elucescat divina misericordia, sin autem, elucescat divina iustitia et sint homines inexcusabiles in conspectu Dei. Hinc ait: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas.*

et tandem, ut lucescat mundo caritas Dei qua cupit omnes salvare.

IV. Varia sunt dona Dei, ut ait Apostolus: *Divisiones... gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* [39] Sic ait posuisse in Ecclesia *primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes;* [40] et alibi: *Alios quidem dedit Apostolos, alios autem prophetas, alios autem evangelistas, alios autem pastores et doctores.* [41] Sic modo ait: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis,* sicut occisus fuit Abel a Caino, [42] sicut Achimelech cum multis sacerdotibus Domini a Saul, [43] sicut Zacharias pontifex a Ioas rege, [44] sicut iustus Naboth ab impia Iezabele lapidibus obrutus fuit, eo quod paternam hereditatem dare noluit impio Achab paternamque vineam in alteram commutare. [45] Sic Stephanus hodie lapidatus occisusque est tanquam Abel, tanquam Zacharias, tanquam Naboth: Abel iustus, virgo, propheta et martyr, iustum enim eum dicit hodie Christus atque prophetam, [46] qui suo sacrificio, quod Deo placuit, [47] sacrificium mortis Christi adumbravit, sic Stephanus iustus, virgo, propheta et martyr. Occisus sicut Zacharias, qui ipse quoque lapidibus obrutus fuit, eo quod regem ac populum impietatis argueret: *Quare transgredimini mandatum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos?* Hoc autem dixit Spiritu Sancto plenus, nam *Spiritus,* inquit, *Domini induit Zachariam filium Ioiadae sacerdotem;* [48] sic Stephanus impietatis

Triplex est encomium Stephani: iustus, propheta et martyr.

37) Cf. Mt 6, 8-10; Lc 11, 2. 38) Cf. Mt 10, 16; Lc 10, 3. 39) 1 Cor 12, 4-7. 40) Ibid. vr. 28. 41) Eph 4, 11. Vulg.: *Quosdam autem Prophetas, alios vero,* etc. 42) Cf. Gn 4, 8. 43) Cf. 1 Rg 22, 16-18. 44) Cf. 2 Par 24, 21-22. 45) Cf. 3 Rg 21, 1-13. 46) Cf. Mt 23, 35. 47) Cf. Gn 4, 4; Hebr 11, 4. 48) 2 Par 24, 20. Vulg.: *Praeceptum Domini... Spiritus Dei.* Ordine inverso affert hunc vr.

arguit Iudaeos in concilio: *Dura cervice et incircumcisis cordibus... vos semper Spiritui Sancto resistitis... Quem Propherarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui praenunciabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis,* [49] et ob id fuit lapidibus obrutus. Occisus sicut iustus Naboth, quia impio regi vineam suam paternamque hereditatem dare noluit, *vinea autem Domini exercituum domus Israel,* Ecclesia, *est,* [50] in Christi fide fundata. Hanc quia Stephanus cum synagoga satanae commutare minime voluit, lapidibus obrutus fuit, primus factus martyr Novi Testamenti, sicut Abel primus fuit Veteris, protomartyr, princeps Martyrum, sicut Petrus Apostolorum, Ioannes Evangelistarum, Paulus praedicatorum, Elias Prophetarum, Moyses iudicum, Aaron sacerdotum, Abraham Patriarcharum, David regum, Salomon sapientum, sol astrorum, Michael in paradiso princeps Angelorum.

Stephanus propheta fuit.

V. *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas.* Fuit Stephanus propheta, fuit sapiens, fuit scriba missus a Deo. Propheta enim dicitur sive a πρό et φαίνω, [51] quod est p r a e - a p p a r e r e, prius apparere, unde Prophetae dicebantur *videntes,* [52] quia occulta atque futura praevidebant, sive a πρό et φημί, [53] quod est p r a e d i c e r e, vel praefari, quia ventura praedicebant Divino Spiritu afflati divinitusque inspirati. Et Stephanus quidem utroque modo propheta fuit. Primo, quoniam ait: *Cum... esset* Stephanus *plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei et Filium hominis stantem a dextris* virtutis *Dei:* [54] ecce divina apparitio; quoad secundum, quoniam ait: *Ecce video coelos apertos et Iesum stantem a dextris Dei.* [55] O propheta, o apparitio, o praedictio! *Vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei.* Vidit gloriam Dei Iacob in scalae summitate, cum dixit: Hic *domus Dei* est *et porta coeli;* [56] vidit Moyses Deum sedentem supra firmamentum serenum *et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini;* [57] vidit Isaias Dominum *sedentem super solium excelsum et elevatum;* [58] vidit Ezechiel, [59]

Prophetae occulta et futura praevidebant et praedicebant divinitus inspirati;

49) Act 7, 51-52. 50) Is 5, 7. Vulg.: *Vinea enim Domini,* etc. 51) Ms.: Προ *et* Φαινω. 52) Cf. 1 Rg 9, 9. 11. 18-19; 2 Rg 15, 27; 24, 11; 1 Par 21, 9; 29, 29; 2 Par 9, 39; 12, 15. 53) Ms: Προ *et* Φημι. 54) Act 7, 55. Vulg.: *Et Iesum stantem,* etc. 55) Ibid. 56) Gn 28, 17. 57) Ex 24, 10. 58) Is 6, 1. 59) Cf. Ez 10, 1 sqq.

vidit Michaeas,[60] vidit Ieremias,[61] vidit Amos stantem Dominum super murum,[62] vidit Daniel sedentem super currum igneum.[63] Sed haec Stephani apparitio omnium singularissima fuit; illi enim non veram Dei gloriam nec verum Christum viderunt, sed spectra quaedam ac figurales apparitiones, hic autem veram coeli gloriam verumque paradisi regem Christum vidit, quod quidem nulli hominum antea concessum fuit. Vidit autem Stephanus Christum multo gloriosiorem quam in transfiguratione viderint tres principes Apostoli,[64] nam illi in terra, hic autem in dextera Dei vidit.

Fuit igitur Stephanus propheta hoc pacto, ex divina apparitione, secundum quod legimus: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei aut per somnium loquar ei;*[65] imo propheta sicut Moyses, de quo dicitur: *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei et palam, non per aenigmata et figuras Dominum videt;*[66] sic enim Stephanus palam Dominum vidit, non in spectro: *Vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei.* — sic Stephanus vidit gloriam Dei

Nec tantum vidit Stephanus divinam hanc apparitionem, sed praedicavit dicens: *Ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris* virtutis *Dei.* Hoc autem afflatu et instinctu Spiritus Sancti dixit, quod proprium Prophetarum est; hinc ait: *Cum... esset plenus Spiritu Sancto, vidit gloriam Dei... et ait.* Sed quis unquam Prophetarum talia praedicavit? Quis sic gloriam Dei Christique gloriam praedicavit? Imo cui sic utraque gloria revelata est? — et praedicavit Spiritus Sancti afflatu.

VI. Sed non tantum propheta Stephanus, fuit etiam sapiens et scriba. Propheta enim, quamvis nonnunquam virum quemlibet Divino Spiritu afflatum Deoque carum significet, sicut Abraham dictus est propheta[67] et omnes Patriarchae: *Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari,*[68] Aaron etiam dictus est propheta Moysi,[69] idest interpres, vere tamen et proprie propheta est qui ex divina revelatione arcanum aliquod mente praesumens, — Stephanus fuit doctor.

60) Cf. 3 Rg 22, 19. 61) Cf. Ier 1, 4 sqq. 62) Cf. Am 7, 7. 63) Cf. Dn 7, 1 sqq. 64) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 65) Nm 12, 6. Vulg.: *Vel per somnium loquar ad illum.* 66) Ibid. vrr. 7-8. 67) Cf. Gn 20, 7. 68) Ps 104, 15. 69) Cf. Ex 7, 1.

Divini Spiritus instinctu atque afflatu ad Ecclesiae utilitatem sibi revelata enarrat atque profatur, ut homines ad pietatem perducat. Et quamvis quibusdam illi tantum Prophetae dici videantur qui futura praevident aut praedicunt, sive etiam qui occulta et abdita pandunt, sicut Samuel Sauli dixit quid quaereret, [70] Eliseus Giezi quid a Naaman syro accepisset, [71] Christus Nathanaeli ubi erat, [72] samaritidi revelavit cordis occulta, [73] revera tamen in Divinis Scripturis illi vel maxime Prophetae dicuntur qui ex divina revelatione tanquam legati Dei mittuntur ad annunciandum hominibus divinam voluntatem omniaque Dei placita atque sancita, ad homines pietate instituendos.

Doctores dicuntur qui divinam religionem praedicant quam studio didicerunt;

Quare qui tantum ex divina revelatione divina praedicant mysteria atque sacramenta divinae legis divinaeque religionis, hi Prophetae dicuntur; qui vero haec quidem eadem praedicant, sed quia ea per scientiam consecuti sunt, vel ab hominibus edocti, vel per studium Sacrarum Litterarum, vel ex meditatione et contemplatione sacrarum rerum, hi dicuntur doctores, sapientes et scribae. Sic Paulus docet: *Loquar... in revelatione aut in scientia aut in prophetia aut in doctrina;* [74] distinguit scientiam a revelatione et doctrinam a prophetia, quoniam scientia et doctrina sunt humanitus acquisitae, revelatio et prophetia divinitus inspiratae. Sic idem Paulus de Prophetis verba faciens ait: *Si alii revelatum fuerit... prior taceat;* [75] sic Moyses propheta et doctor fuit: propheta ex divina revelatione, doctor, quia edoctus in *omni sapientia Aegyptiorum;* [76] sic Paulus propheta et doctor: propheta, quia Evangelium habuit per revelationem Iesu Christi, [77] doctor, quia legem didicit a Gamaliele legislatore; [78] sic Stephanus propheta fuit, quia Spiritu Sancto dictante loquebatur: *Non poterant,* inquit, *resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* Fuit etiam sapiens, divinarum coelestiumque rerum sapientia plenus; fuit et scriba in lege doctissimus, ut eius concio in concilio habita manifestat, [79] scribae enim legis periti ac legis doctores erant, qui divinae legis mysteria interpretabantur populumque docebant, ut fuit Esdras scriba in lege doctissimus. [80]

talis fuit Stephanus.

70) Cf. 1 Rg 9, 18-20. 71) Cf. 4 Rg 5, 21 sqq. 72) Cf. Io 1, 47-48. 73) Cf. Ibid. 4, 16-18. 74) 1 Cor 14, 6. 75) Ibid. vr. 30. 76) Act 7, 22. 77) Cf. Gal 1, 11-12. 78) Cf. Act 22, 3. 79) Ibid. 7, 2-52. 80) Cf. 1 Esr 7, 6, 10; 2 Esr 8, 1 sqq.

VII. Talis autem ac tantus vir cum esset Stephanus, propheta, sapiens et scriba, propter Christum tamen libentissime pati voluit quae hic Dominus praedicit passuros Prophetas, scribas et sapientes a se mittendos: *Et ex illis occidetis et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Erat Hebraeis synagoga sicut nobis Ecclesia; quare sicut nobis Ecclesia nunc sacram fidelium omnium multitudinem designat, quae dicitur Ecclesia u n a, s a n c t a, c a t h o l i c a et a p o s t o l i c a, nunc vero templum ac locum sacrum in quo divinis laudibus et sacrificiis colitur Deus, ita Hebraeis synagoga nunc universum coetum filiorum Israel designabat, sicut *Numeris* 4 legimus *principes synagogae,*[81] et 16 *proceres synagogae,*[82] nunc locum sacrum in qualibet civitate ubi habitabant Hebraei, quo convenirent ad orandum et audiendum verbum Dei, sicut legimus convenisse filios Israel in Maspha *in ecclesiam populi Dei,*[83] ibi enim forte praegrandis ac celeberrima synagoga esse debebat, non tamen tabernaculum Domini cum arca, quod erat in Silo.[84] In synagogis autem, vel maxime diebus festis, conveniebant Hebraei, sicut nunc quoque faciunt ad orandum et laudandum Deum et ad verbum Dei, quod ibi a legisperitis proponebatur, audiendum, et forte etiam nonnulla publica delicta in legem in synagogis publice puniebantur ac publicae poenitentiae imponebantur, maxime quadragenarum flagellorum secundum legem.[85] Sic dicit Dominus missos suos flagellandos in synagogis a Iudaeis, cum eo caecitatis devenerint, ut dicant bonum malum et malum bonum, ut ponant lucem in tenebras et tenebras in lucem, dulce in amarum et amarum in dulce;[86] sic flagellati fuerunt Apostoli; Stephanus vero non flagellatus, sed lapidatus fuit.[87]

Fuit martyr, quia pro amore Christi libentissime pati et mortem subire voluit.

Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt. Sic missus Stephanus ad colligendos Iudaeos sub alis Christi, ab eis fuit occisus et lapidatus sicut medicus ab infirmo phraenetico.

81) Vr. 34. 82) Vr. 2. 83) Idc 20, 1-2. 84) Cf. 1 Rg 4, 3-4.
85) Cf. Act 5, 41; 23, 1-3. 86) Cf. Is 5, 20. 87) Cf. Act 7, 56 sqq.

Praedicit Dominus Ierosolymae excidium.

VIII. *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui,* etc. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* [88] Praedicit Dominus eventurum Iudaeis sicut accidit Ammonitis, cum David, audita morte Naas regis eorum, qui amicus ipsius fuerat, misit servos suos ad consolandum Hanon filium eius. Cum autem Hanon, audiens voces principum suorum dicentium sibi: *Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores et non ideo ut investigaret et exploraret civitatem et everteret eam misit... servos suos ad te?* [89] pietatem David mali consulens servos suos iniuria magna valde affecit: rasis alternis barbarum partibus vestibusque a natibus usque deorsum praecisis, tali tantaque cum ignominia remisit eos ad David. Quapropter iusta ira et indignatione commotus David, congregato exercitu maximo, et regiam civitatem et universum regnum Ammonitarum destruxit. [90] Sic Dominus hoc loco ait: *Ecce relinquetur... domus vestra deserta.* Causa autem, quoniam inquit: *Ierusalem... occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt;* non solum eos iniuria et ignominia, sed etiam poenis, flagellis morteque afficis Dei nuncios ac regis Messiae legatos, qui ad te, nedum consolandum, sicut dicitur: *Consolamini, consolamini populum meum... loquimini ad cor Ierusalem,* [91] sed etiam ad salvandum congregandumque filios eius tanquam pullos sub alis protectionis divinae. Praedicit eventurum Ierosolymae id quod evenit Iericho, quam Iosue universam igne succendit, [92] eo quod rex ipsius voluit quaesivitque occidere duos exploratores Israelis a se missos; [93] sic inquit: *Relinquetur... domus vestra deserta,* ut non reaedificetur amplius, sicut Iericho, dicente Iosue: *Maledictus vir... qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Iericho.* [94] Rex Iuda, Roboam, congregavit maximum exercitum contra domum Israel, eo quod defecissent ab eo et lapidassent Aduram, quem miserat ad exigenda tributa. [95] Et profecto omnis iniuria quae fit legatis ac nunciis principum, ipsis principibus facta reputatur.

et causam adducit, occisionem scilicet eorum quos ipse mittebat ad Iudaeorum salutem.

Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas. Sicut piissimus rex Ezechias misit nuncios ad universum Israelem et

88) Mt 23, 37-38. 89) 2 Rg 10, 3. 90) Cf. ibid. vrr. 2 sqq. 91) Is 40, 1-2. Vulg.: *Popule meus,* etc. 92) Cf. Ios 6, 1-24. 93) Cf. ibid. 2, 1-3. 94) Ibid. 6, 26. 95) Cf. 3 Rg 12, 18; 2 Par 10, 18.

Iudam cum epistolis ut venirent omnes ad celebrandum phase in Ierusalem: *Perrexeruntque cursores,* inquit Divina Scriptura, *cum epistolis ex regis imperio... in universum Israelem et Iudam... praedicantes: Filii Israel, revertimini ad Dominum Deum Abraham et Isaac et Israel, et revertetur ad reliquias quae effugerunt manus regis Assyriorum. Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, et tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. Nolite indurare cervices vestras sicut patres vestri; tradite manus Domino et venite ad sanctuarium eius, quod sanctificavit in aeternum. Servite Domino Deo patrum vestrorum et avertetur a vobis ira furoris eius. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, et revertentur in terram hanc. Pius enim et clemens est Dominus Deus vester et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.* [96] O praedicatio! o concio sanctissima! o verba saluberrima! Sic praedicatores isti ab Ezechia missi ibant de civitate in civitatem praedicantes, *illis,* inquit Divina Scriptura, *irridentibus et subsannantibus,* [97] sicut generi Loth in Sodomis deridebant eum dicentem: *Surgite et egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc.* [98] Non tamen praedicatio illa omnino vana et sine fructu fuit, nam inquit: *Quidam viri ex Aser et Manasse et Zabulon acquiescentes consilio venerunt* in *Ierusalem;* [99] sic quarta saltem pars seminis cecidit in terram bonam et fecit fructum centuplum. [100]

Quattuor coronis Stephanus coronatus fuit.

IX. Beatissimus hic martyr dictus est *Stephanus,* idest c o r o n a, quia a Deo coelesti regni gloria coronandus erat. Primo autem corona iustitiae, de qua P a u l u s: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.* [101] Hac, inquam, corona Stephanus coronatus est, quoniam vicit vitia et peccata divinam legem perfectissime servans, nam: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit* [102] contra diabolum. *Non* enim *est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed*

96) 2 Par 30, 6-9. Vulg.: *Universum Israel,* etc. 97) Ibid. vr. 10. 98) Gn 19, 14. 99) 2 Par 30, 11. 100) Cf. Mt 13, 23; Mc 4, 20. 101) 2 Tim 4, 7-8. 102) Ibid. 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. *Coronabitur* lect. cod.

adversus principes et potestates... contra spiritualia nequitiae.[103] Coronatus item corona virginitatis, qua fuit veluti Angelus Domini; coronatus corona doctrinae et corona martyrii.

Nos autem, fratres, qua corona coronabimur? Non sumus martyres, non virgines, non prophetae et Apostoli; quam igitur coronam consequemur? Nisi consequamur coronam iustitiae, omni corona indigni reputabimur, nam sine hac nemo consequi ceteras potest. Primo omnium hanc consecutus est Stephanus, ut plenus fide, plenus gratia, plenus Spiritu Sancto. Videamus an nos corona hac digni simus, an simus pleni fide, gratia, fortitudine, sapientia et Spiritu Sancto; fide in Christum, gratia, idest caritate in Deum et proximum, fortitudine contra tentationes diaboli, mundi et carnis; sapientia cognitionis Dei et nostri, et tandem pleni Spiritu Sancto, si templa sumus Spiritus Sancti per vitae integerrimam sanctitatem.

III. ALIA HOMILIA

Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis, etc.[1]

Stephanus fuit propheta, apostolus et doctor,

I. Sicut David potentissimus rex misit Sadoch sacerdotem, Nathan prophetam et Banaiam filium Ioiadae ad coronandum Salomonem in regem,[2] sic Deus ad coronandum Christum, qui verus est Salomon, in regem, ut Christus a cunctis gentibus tanquam rex paradisi, sicut hodie visus est Stephano, agnosceretur, adoraretur et coleretur, misit Prophetas, sapientes et scribas, qui per Sadoch sacerdotem, Nathan prophetam et Banaiam filium Ioiadae designantur, sicut per Salomonem Christus, de quo sub persona illius dicitur: *Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium; ipse aedificabit domum nomini meo.*[3] *Mitto... prophetas:* ecce Nathan propheta, qui specialiter in causa fuit ut Salomon coronaretur rex, quoniam Salomonem summopere diligebat;[4] *mitto... sapientes,*

103) Eph 6, 1-2.

1) Mt 23, 34. 2) Cf. 3 Rg 1, 32-39. 3) 2 Rg 7, 13-14; Hebr 1, 5. Ordine inverso affert hos vrr. 4) Cf. 3 Rg 1, 11-30.

alius Evangelista habet *apostolos,* [5] qui fuerunt sanctissimi pontifices et Episcopi Ecclesiae: ecce Sadoch sacerdos, idest pontifex; *mitto... scribas,* idest doctores divinae legis: ecce Banaias, qui interpretatur intelligentia divina, filius Ioiadae, qui interpretatur divina cognitio sive scientia; sic enim sunt sacri doctores pleni divina intelligentia, scientia et cognitione divinarum rerum. Sic Stephanus hodie tanquam Sadoch sacerdos, Nathan propheta et Banaias filius Ioiadae, Salomonem voluit ipse solus, uti verus Domini propheta, sapiens et scriba, Christum divina gloria coronare dicens: *Ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris* virtutis *Dei.* [6]

Hoc Stephanus praedicabat, quod Christus verus esset Messias, summus rex gloriae. Non meministis, inquit, Iudaei fratres, quod nato Domino meo in Bethlehem, venerunt ab oriente Magi clamantes et dicentes: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* [7] quod ob id impius rex Herodes omnes occidit Bethlehemitas infantes? [8] Non meministis quod pastores in Bethlehem famam divulgaverunt quod natus esset Christus et quod apparens illis Angelus divina claritate circumfulgens, dixerat illis: *Evangelizo vobis gaudium magnum... quia natus est vobis hodie Salvator,* etc.? [9] Non meministis quod Dominus meus, cum puer esset duodecim annorum, in hoc templo cum summis doctoribus disputavit sapientiamque superhumanam ostendit tanquam alter Salomon ac multo magis? [10] Non meministis quod Ioannes Baptista praedicavit vobis dicens, quod Dominus meus erat verus Messias, cuius ipse nec aptus nec dignus erat ut calceamenta solveret atque portaret? [11] Non estis memores quod, quando Dominus meus a Ioanne baptizatus fuit, aperti sunt super eum coeli voxque de coelo audita est dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* [12] quod Ioannes Baptista Christum ostendens dicebat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* [13] Non recordamini tot tantorumque signorum, quos Dominus meus divina virtute operatus fuit dum viveret? [14] quomodo multos mortuos et tandem

qui Christum praedicavit.

5) Lc 11, 49. 6) Act 7, 55. 7) Mt 2, 2. 8) Cf. ibid. vrr. 16-18. 9) Lc 2, 10-11. 10) Cf. ibid. vrr. 43-47. 11) Cf. Mt 3, 11-12; Mc 1, 7-8; Lc 3, 16-17. 12) Mt 3, 17. 13) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi, Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 14) Cf. Io 11, 1-44.

Lazarum, qui adhuc vivit, a mortuis suscitavit? Quomodo tot, talia tantaque signa facere potuisset, nisi fuisset Deus cum eo, [15] maxime cum nonnisi peccatorum poenitentiam, viam virtutis et Dei gloriam praedicaret? Et tandem in eius passione vos ipsi vidistis quomodo obscuratus fuit sol, coeli contenebrati, terra tremuit, lapides scissi fuerunt, monumenta aperta, velum templi scissum, multi sancti a mortuis resurgentes apparuerunt multis in hac civitate Ierusalem, [16] et nos hisce oculis vidimus a mortuis suscitatum, manducavimus et bibimus cum illo post resurrectionem suam, [17] et hisce oculis vidimus ascendentem in coelum? [18] Cur ergo non creditis?

Ostenditur magna Stephani sapientia

Sic *disputantes cum Stephano... non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* [19] Nam si dicebant non esse possibile quod Iesus Nazarenus ipse fuerit Messias, Deus et homo, redemptor et salvator mundi, quoniam non fuit rex, sed pauper homo, tandem tanquam vir scelestissimus crucifixus, Stephanus sapientissime respondebat probans ob id Iesum Nazarenum fuisse Messiam, quoniam haec passus fuit, cum secundum Scripturas verus Messias haec esset passurus. Quare non valentes resistere sapientiae Stephani, *stridebant dentibus in eum,* [20] cum dissecarentur cordibus suis volentes Stephano timorem incutere.

et fortitudo.

At Stephanus sicut sapientia, ita et fortitudine plenus erat. Superior animae portio sapientia, inferior fortitudine, caput sapientia munitum erat, cor vero fortitudine. Erat Stephanus sal terrae et lux mundi, civitas fundata supra montem et lucerna accensa ac super candelabrum posita. [21] Cum non potuissent Iudaei lucernam extinguere, voluerunt civitatem destruere; faciunt sicut dux qui, exercitu circumdata obsessaque civitate, cupiens eam integram potius capere quam destruere, tentat an possit superiorem civitatis arcem dolo capere aut vi; quod si id non valeat, bellicis tormentis infirmiorem arcem aggreditur; quod si nec hanc quidem vi capere possit, tunc debiles civitatis muros expugnat. Erat Stephanus civitas munita, sicut alter Ieremias cui Dominus ait: *Dedi te... in columnam ferream et in murum aereum... et in civitatem munitam... et bellabunt adversum*

15) Cf. ibid. 3, 2. 16) Cf. Mt 27, 45-53. 17) Cf. Act 10, 41. 18) Cf. ibid. 1, 9.
19) Ibid. 6, 9-10. 20) Ibid. 7, 54. 21) Cf. Mt 5, 13-15.

te et non praevalebunt, quia ego tecum sum. [22] Sic Iudaei hodie civitatis huius superiorem arcem capere tentant, Stephanum argumentis convincere; sed in vanum laborant; hinc aggrediuntur bellicis tormentis arcem infirmiorem stridentes dentibus in eum, ad incutiendum timorem, ut saltem ob mortis metum Stephanus, sicut Petrus, Christum negaret. [23] Ubi vero in hoc quoque operam perdunt, muros [24] aggrediuntur, debiles ac infirmos corporis artus, dum *fecerunt* omnes *unanimiter impetum in eum et eiicientes... extra civitatem lapidabant.* [25] Sic muros quidem destruunt, civitatem tamen non capiunt, quoniam utraque arx salva est. Quare Stephanus victor existens Christum hodie gloriose coronat et vicissim coronatur a Christo. Stephanus Christum coronavit in terra, sed a Christo coronatur in coelo; Christum coronavit in mundo, sed a Christo coronatur in paradiso immarcescibili ac sempiternae gloriae corona; certavit bonum certamen et ob id vitam apprehendit aeternam. [26]

qua Iudaeorum persecutionem superavit et gloriosi certaminis coronam accepit.

II. Omnis virtus in coelo suam habet coronam, dicente Christo: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum;* [27] sic unicuique beatitudini aeternum in coelo praemium assignat. Sic etiam victoria cuiuscunque vitii sua donanda est in coelo corona; hinc legimus in *Apocalypsi* septies dictum septem Ecclesiis: *Qui vicerit,* [28] quoniam in omni Ecclesia aliqua pugna est. Quandiu in hoc mundo sumus, omnis virtus suum habet vitium oppositum, sicut omnis Abel suum Cain, [29] omnis Iacob suum Esau, [30] omne metallum suam aeruginem, omnis pannus suam tineam. Sunt septem virtutes principales, sunt etiam septem vitia capitalia, [31] quae sunt septem populi Chananaei, contra quos pugnandum est ad possidendam terram promissionis. [32]

Omnis virtus in coelo suam habet coronam et in terra suum vitium oppositum.

Nec immerito Stephanus dicitur *plenus gratia et fortitudine,* [33] cum gratia enim sunt omnes virtutes, sed cum fortitudine vis pugnandi contra omnia vitia atque vincendi; quare coronam hodie consecutus est omnium virtutum et coronam pro victoria omnium

Stephanus hodie consecutus est coronam omnium virtutum

22) Ier 1, 18 sq. Vulg.: *Dedi te... in civitatem munitam et in columnam,* etc.
23) Cf. Mt 26, 69-74; Mc 14, 66-71; Lc 22, 54-60; Io 18, 25-27. 24) Ms.: *Muro.*
25) Act 7, 57-58. Vulg.: *Impetum fecerunt,* etc. 26) Cf. 1 Tim 6, 12; 2 Tim 4, 7-8.
27) Mt 5, 3. 28) Cf. 2, 7. 17. 26; 3, 5. 12. 21. 29) Cf. Gn 4, 2-8. 30) Cf. ibid. 27, 41. 31) Cf. *Catechismus Rom.* 32) Cf. Dt 7, 1-2. 33) Act 6, 8.

pro omnibus vitiis superatis.

vitiorum. Ecce victoriae cum praemiis et coronis: primae Ecclesiae dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei;* [34] secundae vero: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae... Qui vicerit non laedetur a morte secunda;* [35] tertiae Ecclesiae dicitur: *Vincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit;* [36] quartae dicitur: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes... et dabo illi stellam matutinam;* [37] quintae Ecclesiae dicitur: *Qui vicerit... vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vitae et confitebor nomen eius coram Patre meo et coram Angelis eius;* [38] sextae dicitur: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei et foras non egredietur amplius et scribam super illum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei novae Ierusalem, quae descendit de coelo a Deo... et nomen meum novum;* [39] septimae tandem Ecclesiae dicitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.* [40]

Ineffabilis est gloria Sanctorum.

O victoriae! o coronae! o praemia! Stephanus, qui has omnes consecutus est hodie, has forte nobis ex parte explicare posset, si tamen fas est modo aliquo haec explicare, nam Paulus in tertium coelum paradisumque raptus, cum has coronas et praemia viderit, explicare minime valuit; audivit viditque *arcana verba, quae non licet homini loqui.* [41]

D i v u s I o a n n e s in *Apocalypsi* ait se Christum vidisse albo equo insidentem, quem omnes coelestes exercitus sequebantur, regio amictu indutum multisque coronis redimitum: *In capite eius diademata multa.* [42] Alludit forte ad multiplices Romanorum coronas, nam praeter imperialem regiamque coronam, multas alias habebant, quibus duces fortissimi strenuique milites honoris causa donabantur. Nam, ut A u l u s G e l l i u s scribit libro 5, agens de militaribus coronis, habebant coronas triumphales prius ex lauro et postea ex auro, coronas obsidionales gramineas, coronas civicas ex foliis quernis, habebant etiam coronas murales, navales et ca-

34) Apc 2, 7. 35) Ibid. vrr. 10-11. 36) Ibid. vr. 17. Vulg.: *Quod nemo scit*, etc. 37) Ibid. vrr. 26-28. 38) Ibid. 3, 5-6. 39) Ibid. vr. 12. Vulg.: ... *Super eum nomen Dei*, etc. 40) Ibid. vr. 21. 41) 2 Cor 12, 4. 42) 19, 12.

strenses, quae quidem coronae praemia victoriarum erant honoresque victorum. [43]

Christus multas habet coronas ob multas victorias, quia vicit mundum, diabolum, infernum, peccatum, mortem et omne malum. Praecedit Christus sic coronatus omnes coelestes exercitus tanquam generalis, dux et imperator. Sed ducis huius signifer et vexillarius Stephanus est, protomartyr, Martyrum antesignanus, ipse quoque ob insignes victorias multiplici corona redimitus; vicit enim carnem plenus *fide et Spiritu Sancto;* [44] vicit diabolum, cum omnes qui surrexerunt disputare cum eo, imo contra eum, *non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur;* vicit mundum martyrio a Iudaeis affectus; vicit et coronatus est, nam: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* [45] Accepit, non corruptibilem coronam aut bravium, sicut qui in agone contendunt aut in stadio currunt, [46] sed immarcescibilem coronam gloriae: *Reposita est mihi corona iustitiae;* [47] *Gloria et honore coronasti eum.* [48]

Christus supremus dux est coelestium exercituum, Stephanus huius ducis signifer est.

IV. ALIA HOMILIA

Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et ex eis flagellabitis in synagogis vestris... ut, etc.

I. Celebrans hodie Sancta Ecclesia festum gloriosissimi martyris Christi Stephani, qui princeps et coryphaeus est Martyrum post Christum, legit sacrum hoc Evangelium, in quo agitur de sanctis doctoribus et martyribus: de doctoribus: *Ecce... mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas;* de martyribus: *Ex illis occidetis ... ut veniat super vos omnis sanguis iustus... a sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariae,* [2] ad insinuandum quod Stephanus fuit simul doctor et martyr. Proponuntur autem duo martyres Veteris Te-

Abel iustus figura S. Stephani, qui primus fuit Ecclesiae martyr.

43) *Noctes Atticae*, cp. 6, pag. 146-147. 44) Act 6, 5. 45) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur. Coronabitur* lect. cod. 46) Cf. 1 Cor 9, 24-25. 47) 2 Tim 4, 8. 48) Ps 8, 6.

1) Mt 23, 34. 2) Ibid. vr. 35.

stamenti, qui fuerunt veluti exemplaria archetypa Martyrum Novi Testamenti, quorum Stephanus princeps est protomartyr, archimartyr, ἔξαρχος[3] Martyrum. Quare Abel iustus, primus martyr Veteris Testamenti, Stephani gessit typum, qui primus martyr est Novi post Christum. Abel autem iustus simul fuit martyr, sacerdos et virgo; similiter Stephanus non tantum martyr et doctor Ecclesiae est, sed virgo etiam censendus est, ut totus sit c o r o n a ,[4] omni corona coronatus. Fuit Abel sacerdos, quoniam Deo acceptum obtulit sacrificium: *Et respexit Deus ad Abel et ad munera eius;*[5] fuit virgo, quoniam inuxoratus defuntus est; et tandem martyr occisus a fratre propter iustitiam, eo quod gratus et acceptus erat Deo.[6]

Sicut Abel Stephanus fuit virgo,

Similiter Stephanus primo quidem iustus describitur, plenus gratia, plenus fide, plenus sapientia, plenus fortitudine, plenus Spiritu Sancto;[7] quod fuerit virgo non manifeste constat ex Divina Scriptura, sicut nec de Abel, sed pie credendum est sicut et de illo; nam sicut minime legimus Abelem habuisse uxorem, ita nec Stephanum; sed Deus ipse testatus est virginalem Stephani puritatem, dum magno miraculo fecit ut in concilio Iudaeorum tanquam Angelus appareret,[8] quod significat quod Stephanus angelicam semper vitam duxit in purissima virginitate: *In resurrectione... non nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.*[9] Non mentitur autem Deus, sed veritatem manifestat occultam.

forte etiam sacerdos;

Nec manifestum item est an Stephanus fuerit sacerdos, sed quod tantum diaconus, minister Apostolorum. Tradit autem E p i p h a n i u s fuisse electos diaconos de numero septuaginta discipulorum qui a Domino electi fuerunt in sacerdotes, sicut Apostoli in Episcopos; nec electi fuerunt diaconi ut solum communibus mensis ministrarent suppeditando fidelibus necessaria ex eleemosynis, sed etiam ut sacris mensis ministrarent, distribuendo fidelibus Corpus et Sanguinem Domini.[10] Nam alioqui quid opus erat eligere ad hoc ministerium non solum *viros... boni testimonii*, sed etiam *plenos Spiritu Sancto et sapientia?*[11] Quid communi totius Ecclesiae oratione et

3) Ms.: *Exarchos*. 4) Sic Stephanus latine interpretatur. 5) Gn 4, 4. Vulg.: *Respexit Dominus*, etc. 6) Cf. ibid. vrr. 5-8. 7) Cf. Act 6, 5. 8. 10; 7, 55. 8) Cf. ibid. 6, 15. 9) Mt 22, 30; Mc 12, 25. Vulg.: *Neque nubent*, etc. 10) *Contra Haereses*, lib. 1, cp. 21, (P. G. 41, 278-279). 11) Act 6, 3.

precatione ad eos eligendos et manuum impositione Apostolorum, quo ritu ab Apostolis Paulus et Barnabas initiati fuerunt Apostoli? [12] Et Paulus *ad Timotheum* easdem fere a diacono quas ab Episcopo virtutes requirit; [13] erant enim diaconi ministri sacri altaris, dispensantes fidelibus non solum eleemosynas, sed etiam Sacramenta Corporis et Sanguinis Domini. Stephanus autem non solum diaconus fuit, sed primus diaconorum, sicut Petrus primus Apostolorum, fuit archidiaconus et primicerius diaconorum. Sicut autem archidiaconus, qui Episcopo ministrat, sacerdos est, nec nisi sacerdos esse solet et quidem valde principalis et insignis in clero, sic Stephanus sacerdos censendus est cleri Ierosolymitani, archidiaconus Iacobi apostoli, qui fuit Episcopus et patriarcha Ierosolymitanus. [14]

Et praeterea fuit Beatus Stephanus celeberrimus christianae fidei praedicator; non solet autem esse ordinarius et apostolicus praedicator, nisi sacerdos.

Sed qualis praedicator fuit Stephanus? *Mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas*, idest legis doctores, in lege doctissimos. Propheta est qui divinarum rerum cognitionem habet divinitus infusam, a Spiritu Sancto traditam; sapiens qui humanitus instructus est omnibus scientiis et disciplinis; scriba et legis doctor qui humano studio divinarum legum adeptus est cognitionem. Fuit praedicator instructus omni scientia et sapientia naturali et supernaturali, divina et humana. **fuit propheta,**

Magnus praedicator Stephanus, magnus propheta, quia praedicabat ex afflatu Spiritus Sancti et divinis miraculis praedicationem suam fideique veritatem confirmabat: *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa*, idest miracula *magna in populo*, [15] sicut Moyses [16] et Elias, [17] imo sicut Dominus qui doctrinam signis confirmabat. [18] **qui ex afflatu Spiritus Sancti praedicabat.**

In Divinis Litteris legimus quod in sanctuario Domini erant quattuor coronae aureae, nam mensa panum propositionis habebat duas coronas, auream et aureolam supra auream; altare etiam incensi habebat auream coronam et similiter arca testamenti in medio **Quattuor coronas Deus electis suis praeparavit in coelo;**

12) Cf. ibid. 13, 2-3. 13) Cf. 1 Tim 3, 2-13. 14) Iacobus Minor, qui dicitur frater Domini, Alphaei filius et S. Iudae Taddaei frater. Cf. S. Hieronymus *In Epist. ad Galatas*, lib. 1, (P. L. 26, 331); Corn. A Lapide et Aug. Calmet *Praefat. in Epist. S. Iacobi Ap.*
15) Act 6, 8. 16) Cf. Eccli 45, 2-3. 17) Cf. ibid. 48, 1-9. 18) Cf. Lc 24, 19.

cherubim gloriae.[19] Hoc autem est mysterium, quod Dominus electis suis quattuor coronas praeparavit in coelo; prima a theologis dicitur aurea, quae est corona iustitiae; aliae vero dicuntur aureolae, in praemium virginitatis, martyrii et sacrae doctrinae. Stephanus autem omnes has coronas consecutus est, quoniam iustus fuit, Spiritu Sancto plenus, doctor, virgo et martyr gloriosissimus; quattuor ergo coronis Stephanus coronatus in coelo est. De Christo legimus in *Apocalypsi* quod habet in capite diademata multa,[20] multas coronas. Habet septem coronas: tres quatenus Deus est, rex naturae, gratiae et gloriae, rex mundi, Ecclesiae et paradisi, et quattuor quatenus homo est, nam etiam ipse habet coronam iustitiae, virginitatis, doctrinae et martyrii.

his coronatus fuit etiam Stephanus.

Stephanus ergo Christo simillimus quatenus homo, nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui;*[21] fuit autem specialiter in martyrio similis Christo, nam sicut propter iustitiam et veritatem mortuus Christus est, ita et Stephanus, et sicut pro persecutoribus Christus in cruce oravit,[22] ita et Stephanus: *Positis ... genibus, clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*[23]

In Epistola habemus Stephani certamen, coronam et caritatem;

II. *Ecce ego mitto ad vos*, etc. Sicut coelum mille splendet aeternis luminibus, ita hodierna solemnitas mille fulget divinis splendoribus. Est hodierna solemnitas mensa lautissima, regale convivium factum in Apolline Milesio,[24] splendidissimis epulis refertum. In Epistola hodiernae festivitatis[25] habemus protomartyris Stephani certamen et coronam: *Non* enim *coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;* habemus meritum virtutis et praemium, gratiam militantis Ecclesiae in terris et gloriam triumphantis in coelis; habemus scalam coeli et portam paradisi apertam, nam *intendens* Stephanus *in coelum vidit gloriam Dei ... et ait: Ecce video coelos apertos et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei;*[26] habemus virtutes Stephani: quod plenus erat *fide et Spiritu Sancto,*[27] quod *plenus gratia et forti-*

19) Cf. Ex 25, 10-11. 23-25; 37, 11-27. 20) Cf. 19, 12. 21) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 22) Cf. Lc 23, 34. 23) Act 7, 59. 24) Alludit ad proverbium: « Coenare in Apolline », dictum de convivio splendidissimo. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 12, cp. 18, col. 557. 25) Cf. Missale Rom. in hoc festo. 26) Act 7, 55. Vulg.: *Et Filium hominis stantem*, etc. 27) Ibid. 6, 5.

tudine faciebat signa et prodigia magna, [28] quod plenus erat divina sapientia. [29] Sed super omnia elucet Stephani caritas tum erga Deum tum erga homines, nam etiam pro suis persecutoribus in articulo mortis oravit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*

In Evangelio similiter multa mysteria rutilant. Loquitur enim Christus de Prophetis, de sapientibus, de scribis, idest legis doctoribus, de martyribus, de iustis; loquitur de divina misericordia: *Mitto ad vos sapientes,* etc.; de divina iustitia: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus... ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sed super omnia elucet mysterium divinae caritatis: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti!* [30]

In Evangelio quoque multa elucent.

Sicut autem in Epistola non tantum splendet caritas Stephani, sed etiam praemium caritatis, ita etiam in Evangelio: *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini;* [31] in quibus verbis Dominus praedixit gloriam triumphi, cum quo in die palmarum intraturus erat tanquam rex gloriosissimus Ierosolymam, qui quidem ingressus designabat introitum Christi in coelestem Ierusalem, cum assumptus fuit in coelum et sedit a dextris Dei, sicut hodie Stephanus Christum vidit stantem a dextris Dei.

sed praecipue praemium caritatis;

In utraque autem lectione quam maxime splendet caritas erga inimicos. *Ecce ego mitto ad vos,* Iudaeos, inimicos et persecutores meos, *prophetas et sapientes et scribas,* ad procurandam et promovendam salutem vestram. Et quomodo diligit inimicos? Sicut gallina pullos suos intensissimo et ardentissimo amore. At si tantopere Dominus diligit inimicos, nonne aequum est etiam ut amicos diligat? Quomodo ergo amicos mittit ad mortem et martyria?

In utraque autem lectione quam maxime splendet caritas Stephani erga inimicos.

Mitto ad vos sapientes, prophetas et scribas, utique iustos et sanctos viros, *ut veniat super vos omnis sanguis iustus,* nam *ex illis occidetis et crucifigetis et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Sed ex caritate Dominus ad augendam electorum suorum gloriam eos ad martyria mittit, sicut ipse missus fuit a Patre, nam ait: *Sicut misit me* vivens *Pater, et ego mitto vos.* [32] Infinita est enim gloria martyrii in coelo;

28) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Faciebat prodigia,* etc. 29) Cf. ibid. vr. 10.
30) Mt 23, 37. 31) Ibid. vr. 39. 32) Io 6, 58; 20, 21.

hinc Stephanus in ipsa hora martyrii sui, *intendens in coelum vidit gloriam Dei,* [33] qua donandus ob martyrium erat.

Deus electis suis nonnisi spiritualia bona desiderat;

Electis suis Deus, quos ab aeterno dilexit, non desiderat nisi spiritualia et sempiterna bona; permittit autem temporalia mala, quoniam haec eis mirabili quadam alchymia convertuntur in sempiterna bona, veluti si lutum vilissimum convertatur in aurum optimum, sicut Moyses vidit opus ex lateribus sapphirinis sub pedibus Dei. [34] Electi in Aegypto cogebantur lateres facere ex terra, [35] sed apud Deum lateres illi conversi erant in coelestes gemmas. Hinc ipsa caritas, quae Dei imago est, nam: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo,* [36] nonnisi spiritualia et aeterna bona desiderat. Ad quid enim mittit Christus prophetas et sapientes et scribas? Quid quaerit? quid petit? quid exigit? *Misit servos suos... ut acciperent fructus vineae;* [37] *Expectavi ut faceret* uvas, *iudicium... et iustitiam;* [38] *Misit servos suos vocare invitatos* ut venirent ad *nuptias.* [39] Non exigit nisi fidem, spem, caritatem divinasque virtutes.

eadem bona Stephanus caritate plenus Iudaeis desiderabat.

Sic et Stephanus caritate plenus, haec enim dicitur fides viva, gratia, fortitudo, sapientia et spiritus Dei, non requirebat a Iudaeis praedicans et prodigia faciens, nisi ut in Christum crederent Christique fidem susciperent. Spernit caritas temporalia bona cum Christo, spernit etiam propriam vitam propter Deum, sicut Christus fecit et Stephanus hodie singularis martyr Christi. Stephanus Christi singularis imago, sicut Christus totus caritas, fuit delectus ab apostolico collegio ad opus caritatis, ut ministraret mensis, ut pauperibus eleemosynas dispensaret, [40] et ministraret sacramenta Corporis et Sanguinis Domini; ad hoc autem munus eum elegerunt, quoniam erat plenus *fide et Spiritu Sancto,* idest plenus divina caritate, ideo dictus est *Stephanus,* idest corona, quia caritas virtutum omnium corona et regina est, nec nisi caritas meretur coelestis regni coronam.

33) Act 7, 55. 34) Cf. Ex 24, 10. 35) Cf. ibid. 1, 14; 5, 7-19. 36) 1 Io 4, 16. 37) Mt 21, 34. Vulg.: *Fructus eius.* 38) Is 5, 7. 39) Mt 22, 3. 40) Cf. Act 6, 1-3.

DIES SANCTI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE

Ostenditur in hodierno Evangelio S. Ioannis apostoli excellentia.

I. Solent mundani principes, nedum cum eis primogenitus nascitur filius, princeps regni heresque coronae ac sceptri, summopere gaudere festaque solemnia, splendidissima convivia maximaeque exultationis signa in universo regno quam laetissima dare, verum etiam cum secundus nascitur filius, ipse quoque heres ac primi filii coheres futurus; sic in nativitate Christi, qui primogenitus est Filius Dei, magna exultatio facta fuit in coelo summumque gaudium, canentibus Angelis: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* [1] Hodie vero secundus ei nascitur filius, non in terra sed in coelo, non in mundo sed in paradiso, qui iusta proportione tanto maior est hoc nostro mundo visibili quanto mundus hic utero mulieris, qui prima est hominis habitatio. Nascitur, inquam, hodie non mundo sed coelo Ioannes, secundus filius Mariae Virginis, frater Christi singularis ac per consequens singularissimus filius Dei. Cuius qualis quantaque sit magnitudo ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium, in quo ipsemet Ioannes seipsum depingit non secus ac excellentissimus ac diligentissimus pictor, qui cum omni artis suae peritia ac diligentia magni alicuius principis naturalem imaginem vivis coloribus pinxerit, tandem in infimo telae angulo sui ipsius depingit ad vivum imaginem, ut qui per picturam viderit contemplatusque ac admiratus fuerit, pictorem quoque agnoscat; sic, inquam, Ioannes, cum in suo Evangelio Christi personae imaginem nobis depinxerit, in fine sui ipsius quoque depingit imaginem dicens: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena supra pectus eius et dixit: Domine, quis*

1) Lc 2, 14. Vulg.: *In altissimis Deo*, etc. *In excelsis* ex Liturgia Ecclesiae.

est qui tradet te?... Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec. [2]

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena, etc. [3]

Diligebat Christus omnes Apostolos, sed singulariter Petrum et Ioannem.

II. Dilexit Christus omnes Apostolos suos, sicut patriarcha Iacob omnes filios suos: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* [4] Sed sicut ille prae omnibus duos dilexit: Ioseph et Beniamin, quos habuit ex pulcherrima et dilectissima Rachele, [5] sic Christus prae omnibus Apostolis Petrum et Ioannem dilexit. Hinc duos hos semper familiarissimos habuit; hinc ad ultimam praeparandam coenam, in qua divinissimum Sacramentum instituit, duos hos misit; [6] duo hi Christum secuti sunt usque in domum Caiphae pontificis; [7] duo hi, audita Christi resurrectione, cucurrerunt ad monumentum; [8] duo hi, post Christi ascensionem, ascenderunt in templum *ad horam orationis nonam,* [9] et alteri quidem horum Christus sponsam suam, [10] alteri Matrem suam commendavit. [11] Hi duo fuerunt tanquam duo cherubim gloriae, [12] tanquam duae columnae in templo, *Iachin* et *Bohaz,* [13] tanquam duo luminaria firmamenti, [14] tanquam duo praeclarissima signa coelestia, leo et virgo. Christus enim Sol est iustitiae; [15] duodecim Apostoli duodecim signa; Petrus et Ioannes, duo ex Apostolis, duo ex his signis: Petrus leo fortissimus, Ioannes virgo purissimus, et virgo sequitur absque medio leonem; sic ait: Dixit Iesus Petro: *Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* [16] Ioannes sequitur Petrum sicut virgo leonem, sicut Beniamin Iosephum; hic Ioannes est Beniamin omnium fratrum minimus, sed dilectissimus omnium, de quo dicitur: *Pater* enim *tenere diligit eum* et *anima eius ex huius anima pendet;* [17] sic Ioannes Apostolorum humilitate minimus, omnium humillimus, hinc omnium dilectissimus, quoniam *humilibus*

Ioannes simpliciter dilectum se dicit a Christo ob humilitatem.

2) Io 21, 20-24. Vulg.: *Super pectus,* etc. 3) Pericope huius diei Io 21, 20-24. Cf. Missale Rom. 4) Io 13, 1. 5) Cf. Gn 37, 3; 44, 20 sqq. 6) Cf. Lc 22, 7-13. 7) Cf. Io 18, 15. 8) Cf. ibid. 20, 1-8. 9) Act 3, 1. 10) Cf. Io 21, 15-17. 11) Cf. ibid. 19, 26-27. 12) Cf. Ex 25, 18-22. 13) 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 14) Cf. Gn 1, 14-16. 15) Cf. Mal 4, 2. 16) Io 21, 20. 17) Gn 44, 20. 30. Vulg.: *Anima illius... pendeat.*

Deus *dat gratiam.*[18] *Discipulus ille, quem diligebat Iesus:*[19] ecce Ioannis humilitas. Dicere utique potuisset: qui diligebat prae omnibus Iesum, ipse enim solus Christum ad crucem usque secutus fuit morientique astitit,[20] nec cum Petro in domo pontificis negavit;[21] sed: *Quem diligebat,* inquit, *Iesus.* Nec sua addidit merita aut virtutes quae dilectionis huius in causa extiterint, sed *quem diligebat Iesus,* quasi dicat: non ex meis meritis, sed ex sua bonitate et gratia. Nec suum inculcat nomen dicens: Ego sum Ioannes, *discipulus ille, quem diligebat Iesus;* imo nunquam seipsum proprio nomine in suo *Evangelio* nominat, sed tantum sic: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Quare ex magna humilitate Ioannes non appetiit nominis claritatem, nec suo *Evangelio* nomen suum apposuit, sicut fecit S a l o m o n[22] et post eum fere omnes P r o p h e t a e,[23] sed suum reticet nomen, latere cupiens atque nesciri.

ad ostendendam etiam animi gratitudinem, et ad significandum nil carius illi fuisse quam diligi a Christo.

Sed si dilectum se dicit, hac se nomenclatura insignivit ob summam animi gratitudinem atque ad ostendendum quod nil sibi carius, nil aliquando antiquius illi fuit quam diligi a Christo. Sic enim denominatio semper a digniori fieri consuevit, ut si quis nedum patritius sit praeclarissimae alicuius civitatis, sed etiam comes sit aut marchio sive dux, a nobiliori semper titulo denominabitur, et si rex non tantum rex sit, sed etiam dux, comes et marchio, non utique marchio aut comes sive dux, sed rex semper dicetur; sic Ioannes iuxta nomen suum, quod D e i utique g r a t i a interpretatur, discipulum se Christi Iesu dilectum semper nominavit: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Diligebat quidem et alios tanquam pater filios, tanquam pretiosissimas margaritas. Hi enim sunt duodecim illi lapides pretiosi in *Rationali* summi sacerdotis, quod gerebat in pectore super cor.[24] Dicit autem: *Quem diligebat,* quoniam super omnes se a Christo dilectum specialissime videbat, intelligebat se esse Beniamin illum, de quo dicitur: *Beniamin... amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur et inter humeros illius requiescet.*[25] *Beniamin... amantissimus Domini,* di-

18) Iac 4, 6. 19) Io 21, 7. 20) Cf. ibid. 19, 26. 21) Cf. Mt 26, 69-74; Mc 14, 66-71; Lc 22, 54-60; Io 17, 25-27. 22) Cf. Prv 1, 1; Ct titulus huius libri. 23) Cf. Is 1, 1; Ier 1, 1; Ez 1, 3; Os 1, 1; Ioel 1, 1; Am 1, 1; Abd 1, 1; Ion 1, 1; Mich 1, 1; Nh 1, 1; Hab 1, 1; Soph 1, 1; Agg 1, 1; Zach 1, 1; Mal 1, 1. 24) Cf. Ex 28, 15-21. 25) Dt 33, 12.

lectissimus Domini, יְדִיד יְהוָֹה:[26] *Discipulus ille, quem diligebat Iesus*, nam Iesus est verus יְהוָֹה:[27] *Hoc est nomen quod vocabunt eum:* יְהוָֹה צִדְקֵנוּ;[28] *Habitavit confidenter in eo*, עָלָין,[29] *super eum*, super Dominum: *Recubuit in coena supra pectus eius; Et inter humeros eius requiescet* Dominus, templum enim Domini fuit in sorte Beniamin,[30] sic cor Ioannis specialissimum quoddam templum Dei fuit, nam: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;*[31] sic Ioannes in Christo et Christus in Ioanne.

Sicut Christus Ioannem singulariter dilexit,

III. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Sicut enim Ioseph, quamvis omnes fratres suos diligeret, Beniamin tamen super omnes dilexit tanquam uterinum fratrem,[32] et Christus quidem Ioannem sibi fecit uterinum fratrem, dum Matri ait: *Ecce filius tuus;* deinde Ioanni dixit: *Ecce Mater tua.*[33] Hinc sicut Ioseph Beniamino copiosiora munera dedit, sic Christus Ioanni: Ioseph faciens cunctis fratribus suis convivium dedit unicuique partem, sed pars quam misit ad Beniamin quinque partibus excessit partes aliorum;[34] et singulis quidem fratribus dedit binas stolas, Beniamin vero dedit trecentos argenteos et quinque stolas optimas;[35] sic pars Ioannis quinque partibus excessit partes aliorum Apostolorum. Fuit enim hic non tantum discipulus Christi, apostolus et martyr, sicut ipsi fratrique dixit Christus: *Calicem quidem meum bibetis;*[36] sed etiam Evangelista fuit altissimus, pontifex maximus, qui «totas Asiae fundavit rexitque Ecclesias»;[37] doctor supremus, propheta summus, virgo purissimus et Christi frater Beataeque Virginis filius singularissimus ac dilectissimus. Haec autem omnia munera Christi fuerunt signaque amoris. Siquidem amor Dei radix est, fons et origo omnium bonorum, hinc enim praedestinatio, hinc creatio, hinc redemptio, hinc vocatio, hinc iustificatio, hinc sanctificatio, hinc glorificatio: Dilexit nos *ante mundi constitutionem;*[38] *Caritate perpetua dilexi te.*[39]

sic et copiosiora ei dedit munera gratiae.

26) Ms.: *Iedid Iehovah.* 27) Ms.: *Iehovah.* 28) Ier 33, 16. Ms.: *Iehovah zidekenu.* 29) Ms.: *Halan.* 30) Templum enim aedificatum fuit in Ierusalem, civitas autem haec inter terminos sortis Beniamin sita erat, quae prius Iebus appellabatur. Cf. Ios 18, 28. 31) 1 Io 4, 16. 32) Cf. Gn 43, 29-30. 33) Io 19, 26-27. 34) Cf. Gn 43, 32 sqq. 35) Cf. ibid. 45, 22. 36) Mt 20, 23. 37) S. Hieronymus *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cp. 9, (P. L. 23, 623). 38) Eph 1, 4. 39) Ier 31, 3.

A maiori autem fonte maior emanat rivus, a maiori igne maior calor, a maiori luce maior radius; sic a maiori caritate et dilectione divina maiora utique munera, maior gratia, maior gloria. Hinc Christi Sanctorum omnium maxima est tum gratia tum gloria, quoniam Christus sanctorum omnium dilectissimus est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;*[40] hinc legimus: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius;*[41] quia *diligit,* ideo *dedit omnia in manu eius.* Christus autem quidquid agit, secundum beneplacitum divinae voluntatis agit: *Ego quae placita sunt ei facio semper.*[42] Quare si Christus Ioannem prae ceteris dilexit, profecto secundum beneplacitum divinae voluntatis dilectio ista fuit; quamvis in Christo etiam naturalis fuerit humanus amor humanaque amicitia, omnia tamen erant secundum divinae voluntatis amussim, secundum regulam iustitiae et rectissimae rationis.

Christus ergo, cum prae ceteris Apostolis Ioannem dilexerit, profecto dilexit prae ceteris tanquam maiori gratia donatum ac praecipua quadam bonitate praeditum, nam obiectum amoris bonum ac pulcrum est. Diligebat Christus Ioannem prae ceteris, quoniam ad maiorem altioremque gradum gratiae et gloriae prae ceteris a Deo praedestinatum esse cognoscebat, qui omnia divini pectoris secreta noscebat.

quae maiori dilectione eum dignum reddebant

IV. *Discipulus... quem diligebat Iesus,* homo a Christo veritate et gratia plenus, Christus enim Verbum caro est, *plenum gratiae et veritatis... de cuius plenitudine nos omnes accepimus;*[43] *discipulus* doctrina Christi indutus; *quem diligebat,* quem gratia replebat; Dei enim amor non, ut humanus, extrinsecus est, sed sicut calor est ignis et lux solis, aerem introrsus illuminans et calefaciens. Amare est bonum velle alicui[44] bonum autem velle in Deo est operari; cui Deus vult bonum, illi utique tribuit bonum quod vult, nam quodcunque vult scit et potest operari. *Discipulus* singularis, quem prae ceteris coelesti doctrina ac sapientia imbuit, ut luce clarius volumina eius testantur, et quem singulariter diligebat, idest singulari

Amare est velle bonum alicui, bonum autem velle in Deo est operari;

40) Mt 17, 5; 2 Petr 1, 17. 41) Io 3, 35. 42) Ibid. 8, 29. 43) Ibid. 1, 14-16. Vulg.: *De plenitudine eius,* etc. 44) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 2ª 2ªᵉ, q. 31, a. 1.

gratia prae ceteris imbuebat. Si rex aliquem ex suis principibus singulariter ac unice prae ceteris multis gradibus vere et ex animo cordis diligat, hunc profecto muneribus magnis afficiet, huic pectoris sui secreta revelabit, cum hoc dulci quadam familiaritate conversabitur, et tandem quae illi cariora et antiquiora sunt fidei illius securus commendabit, thesauros, uxorem, filium, filiam, matrem et si quid est carius aut pretiosius; sic Christus, summus rex gloriae, Ioanni Ecclesiae principi sibi dilectissimo.

Sic Christus Ioanni maxima dona gratiae et gloriae concessit, divinitatis mysteria ei revelavit,

Primo quidem, optima dona maximaque munera tum gratiae tum gloriae donavit cum eum apostolum, prophetam, evangelistam, martyrem, pontificem, doctorem, confessorem ac virginem effecerit, in terra et in coelo gloria summa donatum. Secundo, ei pectoris sui arcana ac divinitatis suae altissima, imperscrutabilia, incomprehensibilia ineffabiliaque secreta revelavit, qualia sunt mysterium omnium altissimum Divinae Trinitatis, mysterium divinae incarnationis, mysterium divinae praedestinationis omniaque mysteria Ecclesiae tum militantis in terra tum triumphantis in coelo, ut in *Sacra* eius *Apocalypsi* patet; *Apocalypsis* enim idem est ac r e v e l a t i o, quare totus ille liber revelationibus divinorum secretorum refertus ac plenissimus est. Tertio, maxima cum familiaritate tanquam cum amicissimo ac summae fidei amico Christus cum Ioanne conversabatur, adeo ut Ioannes et super pectus Christi recumbere et ab eo quisnam eum proditurus erat, annuente Petro, quaerere non temere ausus fuerit. Et tandem, cum Christo post Patrem nil carius aut antiquius esset Matre purissima ac Sanctissima Virgine, hanc utique Ioanni commendavit et in matrem dedit: *Ecce mater tua ; et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* [45] Commendat Christus fidei Ioannis inaestimabilem ac infinitum thesaurum ac paradisum deliciarum, Virginem Matrem Dei, quae tanto melior est Angelis effecta, *quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [46] Bone Deus, si quis pia mente affectus videre potuisset quam sollicite, quanta cum diligentia, studio, pietate et reverentia Ioannes Beatae Virginis curam ageret, qualiter cum ea conversaretur, qualiter ab ea doceretur, qualia quantaque illi a Sanctissima Virgine re-

maxima familiaritate cum eo usus est,

Matrem suam ipsi commendavit.

45) Io 19, 27. Vulg.: *In sua. In suam* lect. cod. 46) Hebr 1, 4.

velabantur Christi mysteria, si quis eorum audisset divina de Christo colloquia, dulcissima illa quidem ac suavissima, si quis orantes vidisset Deumque collaudantes audisset eorumque mores, vitam gestaque omnia litteris ac monumentis aeternis demandasset, quosnam haberemus thesauros? Sed his dignus non fuit mundus. Ex his tamen cognoscimus maximam Chirsti erga Ioannem summamque dilectionem.

V. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* O si haec verba in statera appendere ac ponderare poss mus: Iesus diligebat discipulum illum, et videre quis est iste qui diligit, quis est qui diligitur et qualis quantaque est ista dilectio, qualis quantusque amor iste! Sed, quaeso, videamus Ioannem qualiter se gerat qualiterque amori tali ac tanto respondeat. *Vidit,* inquit, *discipulum illum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Sequitur Petrus Christum, sequitur et Ioannes; amore sequitur Petrus, amore Ioannes; sed Petrus quidem iussus sequitur, nam dixit illi Iesus: *Sequere me;* [47] Ioannes vero sequitur iniussus: *Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Sequebatur Ioannes Christum solo Christi tractus amore, a quo divelli vel ad modicum minime voluisset; movebat Christus Ioannem trahebatque ad se sicut magnes ferrum, sicut appetibile appetitum, panis esurientem, potus sitientem, ignis frigore algentem, merces laborantem, corona certantem, bravium in stadio currentem; sequebatur tanquam discipulus docentem, tanquam amans amantem. Iussit Dominus Petro dicens: *Sequere me,* in officio pastorali, quod illi paulo ante imposuerat: *Pasce agnos meos... pasce agnos meos... pasce oves meas,* si *diligis me plus his;* [48] nec tantum in hoc, verum etiam ut sequeretur per mortem crucis, quam illi paulo ante praedixerat: *Cum... senueris... alius cinget te et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* [49] Et Petrus quidem iussus sequebatur, fune praecepti tractus; Ioannes vero sequitur tractus vinculis amoris, cupiens Christum sequi tum bona agendo tum mala patiendo propter iustitiam. Cupiebat Ioannes

Ioannes solo tractus amore Christum secutus est tanquam amans amantem,

illius virtutes imitari studendo

47) Io 21, 22. 48) Ibid. vrr. 15-17. Ordine inverso affert hos vrr. 49) Ibid. vrr. 18-19. Vulg.: *Te cinget,* etc. 50) Cf. Mt 5, 10.

et omnia etiam mala pro ipso pati cupiendo.

Christum in omnibus sequi usque ad mortem, *mortem autem crucis.* [51] *Vidit... sequentem,* idest Christum imitantem, omnium virtutum Christi vestigia insectantem; *vidit... sequentem* Christum, qui ambulabat per viam iustitiae divinaeque perfectionis; *sequentem* ex humilitate, non antecedentem ex praesumptione; *vidit... sequentem* tanquam ovis pastorem, tanquam miles ducem, tanquam servus dominum, tanquam filius patrem; *vidit... sequentem,* nam: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae;* [52] *vidit... sequentem,* munus utique apostolicum agentem, ad quod vocatus fuerat et propter quod omnia cum patre et matre reliquerat. [53]

Summa Ioannis beatitudo recubuisse supra pectus Iesu,

VI. *Qui et recubuit in coena super pectus* Iesu. Ecce Beniamin super Dominum habitans et quiescens confidenter. Innixus fuit Ioannes super Dominum tanquam columna super basim, domus supra fundamentum, nam: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus;* [54] *Recubuit super pectus* Iesu, sicut Iacob posuit lapidem sub capite suo, super quem dormiens vidit coelestia sacramenta, scalam coelum tangentem, Angelos *ascendentes ac descendentes per eam* Deumque ipsum scalae innixum, unde surgens plenus admiratione atque stupore dixit: *Vere Dominus est in loco* sancto *isto et ego nesciebam... Quam terribilis est... locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli;* hinc *lapidem quem supposuerat capiti suo* unxit in lapidem angularem ac fundamentalem ponens erigensque *in titulum.* [55] Sed Christus est petra angularis, Christus est unctus Messias, Christus scala illa, Christus ille Deus. Haec omnia sacramenta vidit novitque Ioannes supra pectus Christi recumbens: *Recubuit in coena super pectus* Iesu; posuit caput suum, faciem suam suumque pectus super pectus Iesu, hoc est in Christo reposuit omnes cogitationes et desideria cordis sui, omnem amorem omnesque affectiones et passiones cordis sui, spem, gaudium, timorem atque dolorem; in Christo omnem spem, fidem et caritatem suam reposuit. *Recubuit super pectus* Iesu: totum se Christo dedit, reflexit totum seipsum in Christum, et quem suum

51) Phil 2, 8. 52) Io 8, 12. 53) Cf. Mt 4, 21-22; Mc 1, 19-20. 54) 1 Cor 3, 11.
55) Gn 28, 16-18.

cognovit esse principium, suum quoque agnovit esse finem, in quo summa quies animi veraque cordis beatitudo consistit.

solo enim in isto recubitu invenitur vera cordis humani requies.

O felices, qui recubitum istum experti sunt! Solo enim in recubitu isto vera reperiri potest cordis humani requies; semper enim inquietum est cor nostrum donec requiescat in Deo, [56] quod summum, infinitum ac omne bonum cum sit, ipse solus potest omnem desideriorum nostrorum famem explere. Sumpto Eucharistiae sacramento, Ioannes *recubuit supra pectus* Iesu, quod est divinae contemplationi operam dare. Recumbit supra pectus Iesu fidelis anima, dum pia ac devota mente divina beneficia contemplatur Deumque ipsum agnoscit suum creatorem tanquam auctorem naturae universalis, suum redemptorem tanquam fontem gratiae, suum salvatorem tanquam regem gloriae; dum contemplatur mysteria divinae potentiae, sapientiae, bonitatis, misericordiae, iustitiae, caritatis et gloriae.

Christum sequi perfectionem significat in vita activa, supra pectus Christi recumbere perfectionem in vita contemplativa.

Et quidem, dum dicitur de Ioanne quod Christum sequebatur, eius denotatur perfectio in vita activa; dum vero dicitur quod *recubuit super pectus* Iesu, denotatur eius perfectio in vita contemplativa. Hae enim sunt duae arbores in medio paradisi, [57] hae duae uxores Abrahami, Agar et Sara, [58] hae Rachel et Lia, [59] hae altare sacrificiorum et altare incensi, [60] hae Moyses orans in monte et Iosue pugnans contra Amalec, [61] hae David bellicosus et Salomon pacificus, [62] hae duae columnae in templo, [63] hae duo cherubim respicientes domum interiorem et duo respicientes domum exteriorem, [64] hae duae tabulae legis, [65] hae duae uxores Elcana, Anna et Phenenna, [66] hae desertum et terra promissionis, hae tabernaculum mobile et templum stabile, hae irriguum superius et irriguum inferius quae Caleb dedit filiae, [67] hae duo fontes fluminis Iordanis, [68] hae Angeli ascendentes et descendentes per scalam Iacob, [69] hae tandem duae sorores, Martha et Maria. [70]

Sed Ioannes prius Christum secutus est ac postea *recubuit super*

56) Cf. S. Augustinus *Confessionum*, lib. 1, cp. 1, (P. L. 32, 661). 57) Cf. Gn 2, 9. 58) Cf. ibid. 16, 1-3. 59) Cf. ibid. 29, 16-30. 60) Cf. Ex 40, 5-6. 61) Cf. ibid. 17, 8-13. 62) Cf. 1 Par 22, 8-9; 28, 3-7. 63) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. 64) Cf. 2 Par 3, 10-13. 65) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 66) Cf. 1 Rg 1, 2. 67) Cf. Ios 15, 18-19. 68) Quorum unus erat *Dan*, de quo cf. Gn 14, 14; alter vero *Phiala* lacus. Cf. Gius. Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 3, cp. 10, pag. 285; Aug. Calmet *Dictionarium Historicum Sacrae Scripturae*, sub voce: *Iordanis*. 69) Cf. Gn 28, 12. 70) Cf. Lc 10, 38 sqq.

In qua divina perscrutantur non ex superba curiositate, sed ex humili pietate et affectu.

pectus eius; sic a labore actionum transeundum est ad quietem contemplationis; sic Deus prius fecit hominis corpus quam animam. A terra ascendendum in coelum est, a luna in solem, a coelo mobili ad immobile empyreum, a tempore ad aeternitatem. Opus autem contemplationis divinae hoc est, a curis terrenarum rerum in Deo omnino quiescere et coelestia divinaque mysteria perscrutari ex humili pietate non ex superba curiositate, ex affectu amoris et caritatis non ex vana elataque scrutatione Deitatis, nam: *Scrutator... maiestatis opprimetur a gloria.* [71] Ioannes autem a gloria oppressus minime fuit, sed divina superfusus luce, divinis fuit illustratus splendoribus votique compos factus fuit eius quod a Domino petiit, revelavit enim illi Christus proditorem, ita tamen revelavit, [72] ut ipse solus non alii, revelatum arcanum intellexerit. [73] Sic pene totus est *Apocalypsis* liber, obscurae nimis sunt eius revelationes. Ipse quidem revelata arcana intellexit, nobis vero illi revelata adhuc velata sunt, nec nisi humilibus spiritu revelantur, sicut Dominus ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* [74]

Petrus etiam singulariter diligebat Ioannem, et ideo illius vitae finem noscere quaerit.

VII. Quod si Ioanni omnium maxime divina sunt revelata mysteria, profecto ipse omnium humillimus tanquam alter Moyses censendus est; [75] hinc Ioannes talibus tantisque virtutibus cum praeditus esset, dilectus erat non tantum Deo, sed etiam hominibus. Hinc non tantum Christus sed etiam Petrus Ioannem diligebat valde; quapropter videns Ioannem sequentem atque existimans illum desiderio teneri sciendi quidnam illi quoque agendum quidve patiendum esset pro Christo cupereque ut sicut Petro haec Dominus revelaverat, ita ipsi quoque vitam finemque ipsius revelaret, non tamen audere id a Domino petere, Petrus multo audentior ipso, pro eo a Domino petit dicens: *Domine, hic autem quid?* [76] Tu mihi, inquit, vitam finemque meum revelasti quidque mihi agendum et quid patiendum sit aperuisti; *hic autem,* quem tantopere diligis, *quid?* quid aget? quid patietur? quod munus illi tribuis? qua morte clarificaturus est nomen

71) Prv 25, 27. 72) Ms.: *Ita tamen* repetitur. 73) Cf. Io 13, 23-28.
74) Lc 10, 21. Vulg.: *Quod abscondisti,* etc. 75) Cf. Nm 12, 3. 76) Io 21, 21.

tuum? Forte Petrus ex amore, quo erga Ioannem affectus erat, socium tum in vita tum in morte habere eum cupiebat.

Petro interroganti Dominus respondet vanam curiositatem obtundens.

Dominus vero, sicut alibi interrogatus: *Domine*, quando *restitues regnum Israel?* respondit vanam curiositatem obtundens: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate,* [77] sic modo Petrum veluti ob talem petitionem redarguens audentioremque animum et amorem retundens: *Si*, inquit, *eum volo manere donec veniam, quid ad te?* [78] Suspensa est, non absoluta oratio. Est enim graece ἐάν, *si*, non οὕτως, [79] *sic;* nam si determinata esset oratio, clauderetur ibi: *Sic eum volo manere donec veniam.* At Evangelista hanc referens orationem, non hic claudit, sed ibi: *Donec veniam, quid ad te?* Quare ostendit Dominus se quidem tanquam vitae auctorem posse perpetuam immortalitatem conferre Ioanni, non tamen dicit se collaturum, ita ut Ioannes expers omnino morti, nunquam corpore esset moriturus. Ait ergo: Si velim eum manere vivum donec veniam ad iudicandum vivos et mortuos, *quid ad te?* hoc ad te minime scire spectat; *tu me sequere,* attende tibi et quae tibi iniunxi, cogita et exequere; nam sive ille sic mansurus sit usque ad adventum meum sive non, tua nihil refert.

Circa haec verba Salvatoris variae sunt Doctorum interpretationes.

Intelligi etiam potest quod Dominus ait: *Sic eum volo manere,* idest nolo eum intempestiva et praematura morte per martyrium consumi, sicut tu, o Petre, consumendus es, nec hoc tua interest. Et illud quidem *donec veniam,* intelligi potest: ad assumendum eum ad me naturali ac matura morte, eius corpore dissoluto in senectute bona. In morte enim Dominus dicitur advenire, ut saepe legimus: *Vigilate... quia nescitis qua hora* Filius hominis *venturus sit,* [80] et: *Quia nescitis diem neque horam;* [81] et: *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus... invenerit vigilantem.* [82] Multi etiam intelligunt adventum Domini ad puniendum Hebraeos, [83] sicut legimus Luca 19 de homine nobili, qui *abiit in regionem longinquam accipere sibi*

77) Act 1, 6-7. 78) Io 21, 22. 79) Ms.: Εαν et: Ουτας. 80) Mt 24, 42. 81) Ibid. 25, 13. 82) Ibid. 24, 46. Vulg.: *Invenerit sic facientem.* 83) Theophylactus *Enarrat. in Evang. Ioannis,* (P. G. 124, 314); S. Thomas *Catena Aurea in Ioannis Evang.*, h. l.; Toletus *Commentarii in Sacrosanctum Ioannis Evangelium, Comment.* col. 571-572; *Annot. 10,* ibid. col. 574; Seb. Barradius *Commentarii in Evangelicam Historiam et in omnium quattuor Evangeliorum Concordiam,* lib. 9, t. 4, cp. 3, pag. 729; Io. Maldonatus *Commentaria in Quattuor Evangelistas,* col. 1159; Fr. Suarez *Comment. Disput. in Tertiam Partem D. Thomae Mysteria Vitae Christi,* quaest. 59, disp. 53, a. 6, sect. 6.

regnum et reverti.[84] Sed Ioannes vixit non solum usque ad Ierosolymorum excidium, sed usque ad Traiani tempora, triginta ferme annis post illud excidium, nam a Domitiano fuit relegatus in Patmos insulam, ubi *Apocalypsim* composuit Divino Spiritu afflatus; Domitianus autem post Vespasianum et Titum imperavit. A Nerva autem, qui post Domitianum tenuit imperii clavum, revocatus ab exilio, Evangelium scripsit, rogatus, ut Hieronymus ait, ab Asiae Episcopis, contra Ebionem et Cerinthum aliosque haereticos, qui Christi divinitatem negabant.[85]

tenendum tamen est Ioannem vita excessisse.

Quamvis autem multi in ea sint opinione quod Ioannes nondum ultimum diem clauserit, sed adhuc cum Enoch et Elia vivat, venturus ad praedicandum contra antichristum una cum duobus illis, horum verborum occasione moti quod, auditis his Christi verbis, *exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur,*[86] idest quod moriturus minime esset – et ita quidem censuit Theophylactus,[87] Hippolytus Martyr in Oratione *de Consummatione Mundi,*[88] et alii quam plures,[89] – cum tamen idem Evangelista neget hunc fuisse verborum Christi sensum dicens: *Et non dixit... Iesus* quia *non moritur, sed si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* tenendum profecto est cum gravissimis viris, Tertulliano libro *De Anima,*[90] Hieronymo *De Viris Illustribus*[91] et *Matthaei* ·20,[92] Augustino tractatu 124 *In Ioannem,*[93] Chrysostomo homilia 1 *In Ioannem,*[94] Eusebio libro 3 *Historiae,* capite 31,[95] et aliis quamplurimis[96] eum vita excessisse; quamvis multi etiam autument eum statim post mortem resurrexisse, ut refert Ambrosius super *Psalmum 118,*[97] meminit

84) Vr. 12. 85) *De Scriptoribus Ecclesiasticis,* cp. 9, (P. L. 23, 623); Card. Baronius *Annales,* t. 1, pag. 687-689. 724-725. 751. 86) Io 21, 23. 87) *Enarrat. in Evang. Ioannis,* (P. G. 124, 315). 88) Ibid. 10, 922. 89) S. Hilarius *De Trinitate,* lib. 6, (P. L. 10, 189); lib. 10, ibid. col. 372; Strabus *Glossa Ordinaria,* ibid. 114, 426; S. Io. Damascenus hom. 1 *in Transfigurationem Domini,* (P. G. 86, 558); Photius Patriarcha *Bibliotheca Cod. 1229,* ibid. 103, 986; Andreas Caesariensis *Comment. in Apocalysin,* cp. 29, ibid. 106, 310; Theophylactus *Enarrat. in Evang Ioannis,* ibid. 124, 315. 90) Cp. 50, (P. L. 2, 735). 91) Ibid. 23, 623. 92) Lib. 3, ibid. 26, 143. 93) Ibid. 35, 1970-1971. 94) P. G. 59, 31. 95) Ibid. 20, 27. 96) Smaragdus *Collectiones in Epistolas et Evangelia,* (P. L. 102, 45); Haymo hom. 11, ibid. 118, 73; S. Bruno *Comment. in Ioannem,* ibid. 165, 602-603; Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.,* lib. 3, cp. 1, (P. G. 20, 215); lib. 5, cp. 24, ibid. col. 494-495; Theophylactus *Enarrat. in Evang. Ioannis,* ibid. 124, 315. 97) P. L. 15, 1487.

Hieronymus sermone *De Assumptione Beatae Virginis*[98] et tenuit Nicephorus libro 2, capite 42.[99]

VIII. Quoniam vero Petri quidem interrogatio ad duo referri potest, videlicet et ad primatum Ecclesiae, cuius ipse constitutus erat supremus post Christum pastor, et ad mortem martyriumque pro Christo ferendum, et Christi etiam responsio ad duo ferri potest, videlicet non esse voluntatem suam ut Ioannes martyrio consumeretur, et velle eum diu vivere ac omnibus Apostolis superstitem esse – et quidem cum usque ad Traiani tempora vixerit, profecto nonnullos supra centesimum supervixit annos, – videndum, et forte non inutile erit, cur Dominus non dilectissimo Ioanni sed Petro voluit Ecclesiae primatum tribuere; secundo, cur eum noluit martyrii palma coronaque decorare, et tertio, cur eum Dominus tam diu voluit eum in mundo hoc superstitem esse et non cito eum ad se traxit in coelum.

Quamquam Christus supra omnes Ioannem diligeret, non tamen ei primatum Ecclesiae contulit,

Et quoad primum quidem, Christus non Ioanni sed Petro dedit primatum Ecclesiae, quoniam Petrus ad hoc obeundum munus ab aeterno destinatus erat; ita enim, cum Ioannes et Iacobus per matrem petierunt a Christo primatum regni, respondit Dominus: *Sedere... ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed* his *quibus paratum est a Patre meo.*[100]

primo, quia non Ioannes sed Petrus ab aeterno ad hoc destinatus fuerat,

Deinde ad instruendum vicarios suos quod ecclesiasticae functiones non dandae sunt iis qui amicitia, familiaritate vel sanguine sunt coniunctiores, sed illis qui ad illa obeunda munera multo sunt aptiores. Petrus vero ad regendam Ecclesiam multo aptior erat quam Ioannes; siquidem Ioannes intellectu multo erat perspicacior quam Petrus, hinc Dominum ipse cognovit in litore dicens: *Dominus est*, viso signo capturae piscium immisso rete in dexteram navigii; sed Petrus animo multo erat ferventior, hinc *cum audisset quia Dominus est*, tunica succinctus *misit se in mare.*[101] Quare Ioannes multo erat aptior ad contemplationem, Petrus vero ad actionem. Regimen autem Ecclesiae opus est, praxis est et ars artium:[102] *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat;*[103] est munus pastorale:

deinde, Petrus ad regimen Ecclesiae aptior erat,

98) Ibid. 30, 123-124. 99) *Hist. Eccles.*, (P. G. 145, 874). 100) Mt 20, 23; Mc 10, 40. 101) Io 21, 7. 102) S. Gregorius M. *Liber Regulae Pastoralis*, (P. L. 77, 14). 103) 1 Tim 3, 1. Vulg.: *Si quis episcopatum*, etc.

Pasce agnos meos... pasce oves meas.[104] Hinc Christus, qui Dei sapientia est attingens omnia a fine usque in finem, suaviter disponens omnia,[105] Petrum destinavit ad laborem actionis, Ioannem vero ad quietem contemplationis.

Ioannes vero ad contemplationem;

Adhuc vero, quia praelatio onus magis est quam honos, et onus quidem quibusvis humeris maxime formidandum; hinc Moyses tantum onus acceptare nolebat, et cum tale tantumque munus onusque sumere Deo imperante coactus quodammodo fuisset,[106] conquestus postea cum Deo vehementer fuit dicens: *Cur afflixisti servum tuum? Quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi huius super me?... Non possum... sustinere universum hunc populum, quia gravis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me et inveniam gratiam in oculis tuis ne tantis afficiar malis;*[107] hinc Christus Petro, qui fortioribus erat humeris, tale tantumque onus pondusque imposuit. Neque enim amplius Ioannes temporalem regni Christi primatum ambiebat, sed factus vitis, ficus et oliva, regnum super omnia ligna silvarum imperiumque renuebat, nolens dimittere vinum suum optimum, dulcedinem fructusque suavissimos et oleum quo homines diique utuntur, et promoveri super ligna silvarum;[108] renuit, inquam, Ioannes dulcedinem divinae contemplationis commutare cum amaris laboribus humanarum actionum. Quod si vera est sententia Salvatoris, quod melior est pars Mariae quam Marthae, cum ait: *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea,*[109] procul dubio Christus meliorem partem Ioanni dedit quam Petro, sicut melior est dulcis quies amaro labore, vita quam mors, Deus quam mundus, Ecclesia in paradiso triumphans quam in hoc mundo militans; et si magnum quid est Ecclesia sponsa Dei, nil tamen minus est Maria Mater Dei: Petro dedit Christus pascendam gubernandamque sponsam suam, sed Ioanni Matrem suam.

IX. Quoad secundum, cur Dominus noluit Ioannem martyrio consumi cum Petro et aliis Apostolis: *Sic eum volo manere,* non per

104) Io 21, 15-17. 105) Cf. Sap 8, 1. 106) Cf. Ex 4, 10-14. 107) Nm 11, 11-15. Vulg.: *Sustinere omnem hunc populum,* etc. 108) Alludit ad parabolam Ioathan, de qua cf. Idc 9, 8-15. 109) Lc 10, 41 sq.

ita nec martyrio corporali voluit eum vita excedere, ut excellentiori martyrio ipsum coronaret,

martyrium gladio aut igne consumi, profecto Christus Ioanni dare voluit multo excellentius martyrium. Est enim martyrium corporale, quale fuit Stephani, [110] Iacobi, [111] Petri [112] et aliorum, et est martyrium spirituale, quale fuit Sanctissimae Virginis, cui a Simeone dictum fuit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* [113] Et Ioannes quidem passus fuit corporale martyrium, non tamen consumptus eo fuit, sed, Deo disponente, servatus, cum ab impio Domitiano missus fuit ob fidem Christi in ferventis olei dolium, ut ibi tanquam piscis frigeretur, cum inde divina gratia protectus, sicut tres pueri in medio babylonicae fornacis, [114] illaesus exiisset atque in Patmos insulam relegatus fuisset, multa ibi propter Christum passus est. [115] Noluit tamen Christus Ioannem corporali isto martyrio vita excedere, sed excellentiori martyrio eum coronare.

verum martyrium enim passus est Ioannes in passione Christi, quem maxime amabat,

Martyrium quidem omnium maximum post Beatam Virginem passus fuit Ioannes Christum videns in cruce pendentem crucifixoque assistens una cum Sanctissima Virgine; [116] hinc Christus duos hos spirituales martyres simul coniunxit: *Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* [117] Dolor nascitur ex amore et doloris mensura est amor. [118] Sicut autem post Beatam Virginem nemo hominum magis quam Ioannes Christum dilexit, ita nemo, unquam, post Beatam Virginem, maiorem acerbioremque de Christi passione et morte dolorem in corde sensit.

in expectatione aeternae vitae, quam maxime cupiebat,

Deinde, post Christi ascensionem aliud passus martyrium fuit. Cupiebat supra modum Ioannes *dissolvi et esse cum Christo,* [119] quem summopere diligebat, ut eius posset concupita tantopere praesentia et gloria frui; sed hoc eius desiderium differebatur ac in longissima tempora differri sibi videbatur, cum profecto plus septuaginta septem [annos] vixerit post Christi ascensionem. [120] O quale quantum-

110) Cf. Act 7, 56 sqq. 111) Cf. ibid. 12, 2. 112) Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.*, lib. 2, cp. 25, (P. G. 20, 207); lib. 3, cp. 1, ibid. col 215; Theodoretus *Oratio de Divina et Sancta Caritate*, ibid. 82, 1511; S. Augustinus serm. 205, (P. L. 39, 2126); Prudentius *Peristephanon*, hymn. 12, vrr. 19-26, ibid. 60, 559-560. 113) Lc 2, 35. 114) Cf. Dn 3, 46-50. 115) Cf. Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 36, (P. L. 2, 49); S. Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 1, ibid. 23, 247; *Comment. in Matthaeum*, lib. 3, ibid. 26, 143. 116) Cf. Io 19, 26. 117) Ibid. vrr. 26-27. 118) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 25, a. 1-3; q. 36, a. 3; 2ª 2ªᵉ, q. 28, a. 1.
119) Phil 1, 23. 120) Iuxta D. Hieronymum, S. Ioannes « sexagesimo octavo anno post passionem Domini mortuus est ». *De Viris Illustribus*, cp. 9, (P. L. 23, 625).

que martyrium istud fuit, cum illi dies quilibet, imo quaelibet hora, non dies aut hora, sed saeculum illi esse videretur! *Spes* autem *quae differtur affligit animam.*[121]

in populi iudaici perditione, quam maxime flevit,

Passus et aliud martyrium fuit in corde suo videns Ierosolymorum excidium totiusque populi iudaici miserandam perditionem, quam in spiritu Christus praevidens lacrimas continere non valuit, sed *videns civitatem flevit super eam.*[122] Hoc autem excidium ex Apostolis solus Ioannes vidit, qui post illud triginta ferme annis supervixit. Quod [si] Ieremias inconsolabiliter flevit ac lamentabiliter decantavit Ierosolymae excidium a Chaldaeis ruinamque et captivitatem populi sui,[123] cum tamen certo sciret septuaginta tantum annis captivitatem illam esse perduraturam,[124] quid Ioannes, eodem spiritu pietatis plenus, egerit in extremo hoc excidio, sciens captivitatem hanc ad finem usque mundi perventuram perditissimosque Iudaeos spiritu quam carne multo esse perditiores ob perfidiam et impietatem in Christum?

et in multis passionibus ob fidei praedicationem toleratis.

Tandem, longe omnium maximum martyrium fuit tanto tempore inter homines vivere, Dei, Christi et christianae fidei, religionis et nominis acerrimos inimicos et crudelissimos persecutores, ovis inter lupos, columba inter serpentes ac scorpiones, nonnisi maximas pati persecutiones vel animi angustias.[125] A Iudaeis fuit ipse quoque cum ceteris Apostolis flagellatus[126] et a Gentilibus multas gravesque persecutiones passus; quare Ioannes singulis diebus mille in animo martyria patiebatur videns Christum in suis fidelibus tam immanes ab infidelibus Iudaeis et Gentibus persecutiones, flagella, poenas, tormenta, occisiones, mortes milleque genera martyriorum pati. O si Ioannes cum Paulo catalogum suarum passionum ac persecutionum scripsisset,[127] quem martyrem videremus!

X. Tandem, quoad tertium, voluit Dominus ad utilitatem Ecclesiae Ioannem tamdiu vivere sciens non minorem ab haereticis in spiritu quam a tyrannis in carne Ecclesiam suam permaximas per-

121) Prv 13, 12. 122) Lc 19, 41. Vulg.: *Flevit super illam.* 123) Cf. *Lamentationes per totum.* 124) Cf. Ier 25, 12; 29, 10. 125) Ms.: *Pati* repetitur. 126) Cf. Act 5, 40. 127) Cf. 2 Cor 11, 23-29.

secutiones perpessuram et quot quantisque errorum tenebris lux vere fidei denigranda obscurandaque erat. Siquidem ab initio nascentis Ecclesiae haeretici, qui sunt zizania in medio tritici ab inimico superseminata,[128] mille errorum tenebras luci obfundere nunquam destiterunt.[129] Quare Dominus Ioannem tanquam lucidissimam ardentissimamque lucernam positam *super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt,*[130] tamdiu in hoc mundo manere voluit ad errorum tenebras fugandas et eliminandas. Negavit Arius Christi divinitatem eiusque error universum pene orbem tanquam perniciosissima pestis infecit.[131] Quid egisset si Ioannes tam clare, tam luculenter, tam splendide Evangelium ad Christi Domini nativitatem demonstrandam contra Ebionem et Cerinthum non scripsisset? Quam maius negotium facessisset splendidae fidei veritati haeresis ista teterrima a tenebrarum principe excogitata? Hinc igitur Dominus Ioannem de manu impii Domitiani eripuit ne lucernam hanc, quae in tenebris lucebat et domui Ecclesiae tam necessaria erat, extingueret.

Voluit etiam Dominus cum tamdiu in hoc mundo manere ad Ecclesiae utilitatem,

idest ad errorum tenebras fugandas

Quare accidisse mihi tunc visum est sicut accidisse legimus cum David iam senex, ad pugnandum contra Philisthaeos egressus viribusque deficiens, occisus procul dubio fuisset a Iesbibenob gigante, qui novo ense accinctus erat ferrumque hastae eius *trecentas uncias appendebat,* nisi Abisai filius Sarviae ei praesidio affuisset percussumque gigantem occidisset. Quare dixerunt Davidi viri sui iureiurando dicentes: *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel, 2 Regum* 21,[132] nam, ut alibi dixerunt ei, ipse solus David pro decem millibus computabatur, *2 Regum* 18.[133] Sic noluit Dominus a Domitiano Ioannem martyrio absumi ne lucerna ista Israel extingueretur. Erat enim Ioannes sicut de Ioanne Baptista Dominus dixit: *Lucerna ardens et lucens,*[134] ardens caritate

ardore suae caritatis et divinae sapientiae splendore.

128) Cf. Mt 13, 24-25. 129) Ab initio nascentis Ecclesiae hi apparuerunt haeretici, anno 40-83: 1) Alexander - 2) Cerinthus - 3) Cleobius - 4) Diotrephes - 5) Dosithaeus - 6) Ebion - 7) Elymas Magus - 8) Gorthaeus - 9) Hymenaeus - 10) Masbotheus - 11) Menander - 12) Nicolaus Antiochenus - 13) Philetus - 14) Simon Magus - 15) Thebutes. Cf. Gabriel Prateolus Marcossius *De Vitis, Sectis, et Dogmatibus omnium Haereticorum,* lib. 1, pag. 21; lib. 3, pag. 127-128. 130-131; lib. 4, pag. 145-146. 148-149; lib. 5, pag. 150-151. 154; lib. 7, pag. 197; lib. 8, pag. 213-214; lib. 11, pag. 315. 328; lib. 12, pag. 353-354; lib. 14, pag. 396; lib. 17, pag. 444-448; lib. 18, pag. 463. 130) Mt 5, 15.
131) Cf. S. Hieronymus *Contra Luciferianos,* (P. L. 23, 172). 132) Vrr. 16-17.
133) Cf. vr. 3. 134) Io 5, 35.

et lucens veritate, ardens Spiritus Sancti fervore et lucens coelestis divinaeque sapientiae splendore; ardor caritatis divinique amoris ignis, qui in Ioannis corde iugiter ardebat quasi ignis sacrificiorum in altari Domini perpetuo accensus.[135]

et ut testimonium de Christi persona et doctrina perhiberet.

Hinc elucet quod nonnisi de caritate Ioannes loqui, scribere, docere ac praedicare posse videbatur: *Ex abundantia* autem *cordis os loquitur;*[136] *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum;*[137] lux vero sapientiae ipsius sole splendidior est. Ob id ergo Christus diu manere voluit in vita Ioannem ad Ecclesiae utilitatem, ut testimonium perhiberet de Christi divina persona deque eius dictis factisque, vita, passione et morte.

Ioannes apostolus simillimus est Ioanni Baptistae.

XI. *Hic est,* inquit, *discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius.*[138] *Discipulus ille* dilectus et diligens, nam: *Ego diligentes me diligo et qui mane vigilaverint ad me, invenient me;*[139] *discipulus ille* maxime dilectus et maxime diligens, tanquam Christo simillimus, nimia enim maximaque similitudo, praesertim animorum, causa est nimii maximique amoris; *discipulus ille, qui testimonium perhibet de his* tanquam alter ille Ioannes, qui missus a Deo venit *ut testimonium perhiberet de lumine;*[140] ille, quo « inter natos mulierum non surrexit maior »,[141] cui hic per omnem modum est in Spiritus Sancti plenitudine factus aequalis, nisi forte etiam maior.

similis Moysi, sed illo multo superior.

Et scripsit haec tanquam alter Moyses, divinus ille homo, coeleste oraculum ac maximum mundi miraculum; et ille quidem opus creationis descripsit,[142] hic autem opus recreationis; ille quod Deus fecit mundum magnum, iste quod Deus factus est mundus parvus; ille quod Deus fecit hominem sibi similem, iste quod Deus factus est homo hominibus similis; ille legem scripsit timoris, hic legem amoris; ille paradisum descripsit terrestrem, hic vero coelestem; ille mortalem corporeamque vitam in terris, hic immortalem aeternamque in coelis; ille amicus ac familiaris Dei,[143] hic amicissimus ac fa-

135) Cf Lv 6, 12-13. 136) Mt 12, 34. 137) Lc 6, 45. 138) Io 21, 24. 139) Prv 8, 17. Vulg.: *Vigilant ad me*, etc. 140) Io 1, 7. 141) Cf. Mt 11, 11; Lc 7, 26. Brev. Rom., *In Nativitate S. Io. Bapt.* ℟. II noct. 142) Cf. Gn 1, 1-2, 1 sqq. 143) Cf. Ex 33, 11.

miliarissimus Christi, qui verus ille est Deus, [qui] Moysi in spectro et imagine humanae formae apparebat.

quantum Evangelium legem excellit.

Scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius. Lex quidem Moysi nullam continebat falsitatem, at non simpliciter vera erat, quia figuralis erat: *Omnia in figura contingebant illis,* [144] umbram futurorum habet lex; [145] sed lex evangelica a Ioanne scripta vera est et absque falsitate et absque ulla vanitate, figura et umbra: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [146] Quare lex Moysi lex vanitatis potius erat quam veritatis, haec autem lex veritatis est, non alicuius vanitatis.

Ioannes Christo singulariter amabilis fuit ob perfectionem virtutum et plenitudinem gratiarum

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his tanquam testis oculatus, nam ait: *Qui vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium eius;* [147] *discipulus ille,* unus de numero illorum de quibus dicitur: *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis;* [148] *hic est discipulus ille,* illustrissimus ac insignissimus tanquam sol in coelo inter astra innumera, vas illud novum Elisei sale plenum, [149] vas illud Moysi plenum manna, [150] Ioannes plenus sale sapientiae et manna coelestis gratiae, ornamentum illud summi sacerdotis, dictum הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, idest lumina et perfectiones, [151] quod ille super cor portabat. Christus enim est summus sacerdos, vestimenta Ecclesia, duodecim gemmae duodecim Apostoli. Sed singulare istud ornamentum super cor Ioannes specialiter dilectus, totus enim lumina fuit sapientiae, intellectus, scientiae ac cognitionis divinorum mysteriorum totusque perfectiones omnium virtutum quae eum Christo summe amabilem faciebant. *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus,* tanquam totum pulcrum, totum gratiosum, omni gratia plenum, iuxta nomen ipsius, quod gratia interpretatur, quoniam in eo omnis gratia fuit: gratia praedestinationis divinae, gratia naturalium donorum, gratia divinae vocationis, nedum ad fidem, sed etiam ad specialem Christi discipulatum et apostolatum, gratia divinae iustificationis et sanctificationis, gratia omnium virtutum theologicarum, cardinalium

144) 1 Cor 10, 11. 145) Cf. Col 2, 17; Hebr 10, 1. 146) Io 1, 17. 147) Ibid. 19, 35. 148) Is 8, 16. 149) Cf. 4 Rg 2, 20. 150) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4. 151) Cf. Ex 28, 30. Ms.: *Urim et Thumin.*

et moralium virtutumque, nedum animi purgati, sed heroicarum ac exemplarium, gratia omnium donorum Spiritus Sancti omniumque evangelicarum beatitudinum et tandem omnis gratia non tantum gratum faciens, sed etiam gratis data, de quibus A p o s t o l u s *1 Corinthiis: Divisiones... gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem vero Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*[152] Omnia vero in Ioanne cumulatissima fuerunt, nam sicut cum dicat A p o s t o l u s quod Deus *quosdam... posuit in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum,*[153] Ioannes tamen simul et apostolus et evangelista et propheta et doctor fuit; sic quamvis dicat in multis gratias has esse divisas, in Ioanne tamen omnes cumulatae in unum fuerunt. Propterea Spiritu Sancto dictante Ioannes scripsit de seipso: *Hic est discipulus ille,* et: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.*[154]

donorumque Spiritus Sancti,

fuit enim simul apostolus, evangelista, propheta et doctor,

Hic est discipulus ille, illa E z e c h i e l i s aquila, quae erat *desuper ipsorum quattuor;*[155] aquila plane Ioannes, regia avis altissime volans: *Et quartum animal simile aquilae volanti;*[156] illa aquila, quae volans per medium coeli clamavit voce magna dicens: *Vae, Vae, Vae habitatoribus terrae!*[157] vae propter concupiscentiam carnis, vae propter concupiscentiam oculorum, vae propter superbiam vitae; aquila illa, de qua dicitur: *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila et in arduis ponet nidum suum?*[158] O elevatio! *In principio erat Verbum,* etc. Aquilae dicuntur omnes Sancti: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae;*[159] sed per excellentiam divinae contemplationis Ioannes. Et aquila quidem

merito per aquilam Ezechielis figuratus

152) 12, 4-11. Vulg.: *Idem Deus.* 153) Ibid. vr. 28. 154) Io 21, 7.
155) 1, 10. 156) Apc 4, 7. 157) Ibid. 8, 13. Vulg.: *Habitantibus in terra.*
158) Iob 39, 27. 159) Lc 17, 37.

Ioannes apud Ezechielem quattuor habet alas et sub alis quattuor manus, quae signa sunt quattuor cardinalium virtutum earumque operationum, habet et aspectum ignis ardentis, [160] quod insigne est caritatis.

Sed aquila *Apocalypsis* habet sex alas et plena oculis est ante et retro, nec unquam cessat dicere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est.*[161] Quare videtur esse unus ex Seraphim Isaiae prophetae, qui senas habebant alas similiterque clamabant. [162] Seraph Ioannes caritate sex habet alas, virtutum omnium perfectiones, quibus cognoscitur et diligitur Deus, salus propria et proximus; habet oculos ante et retro per intelligentiam mysteriorum tum Veteris tum Novi Testamenti rerumque tum praeteritarum tum futurarum. Et Ioannes quidem in Evangelio praeterita, in *Apocalypsi* vero futura scripsit.

et per unum ex Seraphim Isaiae.

XII. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus,* quoniam scriptum est: *Ego diligentes me diligo et qui mane vigilaverint ad me, invenient me;* [163] *In viis iustitiae ambulo ... ut ditem diligentes me.* [164] Christus est sapientia Dei; quod si Ioannes dilectus fuit a Sapientia Dei, ergo ipse quoque eam dilexit et ob id tantis est ab ea coelestibus divitiis thesaurisque ditatus. Quare duo videnda sunt nobis: primo amor Christi in Ioannem et secundo amor Ioannis in Christum? Amor autem Dei in hominem talis praescribitur: *Sic ... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [165] amor vero hominis in Deum talis praefinitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omni mente tua et ex omnibus viribus tuis.* [166]

Duo videnda proponuntur his verbis: amor Christi erga Ioannem et amor Ioannis erga Christum.

Christus Ioannem sic dilexit, ut non tantum gratiam suam gloriamque suam, sed etiam seipsum illi Matremque suam daret Ioannemque veluti alterum se faceret; Ioannes vero sic Christum dilexit, ut ex toto corde, anima, mente viribusque super omnia dilexerit. Quod si hoc omnium sanctorum est, Ioannes est aquila

Ioannes valde Christum dilexit

160) Cf. 1, 5-13. 161) 4, 8. 162) Cf. 6, 2-3. 163) Prv 8, 17.
164) Ibid. vrr. 20-21. 165) Io 3, 16. Vulg.: *Credit in eum.* 166) Lc 10, 27. Vulg.: *Ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua.*

inter aves, maximus in dilectione erga Christum. Unde dum pectus Ioannis contemplor videre mihi videor igneum illum currum qui rapuit Eliam in coelum.[167] Nam et poetae pingunt amorem in igneo curru habentem a tergo alas diversicolores, in manu arcum et in lateribus pharetras sagittarum aurearum et plumbearum.[168] Currus igneus erat cor Ioannis coelestium desideriorum flamma accensum, caritas enim coelestis est ignis. Huius autem currus quattuor rotae, quattuor sunt cardinales virtutes; equi albi quattuor animi cordisque passiones: spes, timor, gaudium, dolor; albi, puri, absque terrena aliqua macula; amor vero ipse iuvenis est, pulcher, decorus et fortis, quia pulcritudinis bonitatisque fruendae purum desiderium est, sed vehemens magnisque viribus praeditum: hoc est diligere

ex toto corde,

ex toto corde, totum cor amori tribuere amoremque huius currus aurigam, directorem dominumque constituere. Habet autem amor tergum et alas quibus volat: est mens in anima, in qua memoria est veluti tergum, cum ipsa de praeteritis sit, duae vero alae diversicolores intellectus atque voluntas; ille volat diversis conceptibus, ista diversis affectibus; ille cogitationibus, ista desideriis suspiriisque.

ex tota mente, ex tota anima et ex omnibus viribus;

Hoc est diligere *ex tota mente*. Habet et arcum cum duabus pharetris aurearum et plumbearum sagittarum: est in anima vis rationalis, est tanquam arcus quo directae sagittae trahuntur ad signum scopumque; est et vis concupiscibilis quae pharetra est aurearum sagittarum, et vis irascibilis quae est plumbearum pharetra, ex illa enim trahuntur sagittae amoris, ex ista vero odii. Sic diligitur Deus *ex tota anima*, cum tota ratione concupiscibili et irascibili amatur. Habet tandem amor brachia manusque, idest vires facultatesque operandi, quales sunt corporei sensus, corporeae vires et quicquid extra se habet homo. Hoc est diligere *ex omnibus viribus* Deum, ut quicquid potest homo, velit cupiatque facere propter Deum in operibus pietatis tum erga Deum tum erga hominem propter Deum. Sic, sic Ioannes Christum dilexit.

Quod si nudus pingitur amor, nudus Ioannes Christum secutus fuit, *relictis retibus et patre*,[169] nudoque Christo in cruce

167) Cf. 4 Rg 2, 11-12. 168) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 14, pag. 340-350. 169) Mt 4, 22.

pendenti astitit, quoniam Christum propter Christum, ex puro amore dilexit, non tanquam mercenarius servus dominum, sed tanquam amantissimus filius amantissimum patrem, frater fratrem, amicus amicum; et quoniam ex toto corde Ioannes Deum suum Christum diligebat, hinc semper amorem ex corde spirabat.

pari autem amore Christus Ioannem dilexit

Sicut autem Ioannes ex toto corde Christum dilexit, ita Christus ex toto corde Ioannem; imo quia Christus ex toto corde dilexit Ioannem, ideo Ioannes ex toto corde dilexit Christum, sicut si ferrum totum ignitum est, calore utique ignis est ignitum totum, et si luna tota plena est, lumine utique solis plena. Hinc ait ipse Ioannes: *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* [170] *et tradidit semetipsum pro nobis.* Ecce quomodo ex toto corde Christus nos diligit: *Maiorem* enim *caritatem nemo habet,* quam *ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [171] Et quidem Deus totus ignis est, totus caritas est: *Deus,* inquit ipse, *caritas est,* [172] Christus vero Deus est, ergo Christus totus caritas est; hinc totus igneus visus est Ezechieli [173] et in igne apparuit Moysi. [174]

et suo amore eum sibi simillimum effecit in natura, gratia et gloria.

Sicut autem ignis prima ac peculiaris proprietas est calefacere, ita profecto Dei Christique amoris;[175] hinc saepe legimus: *Diligebat Iesus.* [176] Sicut autem aeternus est ignis iste, ita et calor, hinc ait: *Diligebat,* quoniam amor iste aeternus est: *Caritate perpetua dilexi te.* [177] *Diligebat,* sicut: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* [178] Et sicut ignis vi caloris sui quaecunque calefacit sibi similia facit, ferrum, ligna, carbones, sic Christus amore isto Ioannem sibi simillimum effecit in natura, in gratia, in gloria: in natura, quoniam naturaliter homo factus est *ad imaginem et similitudinem Dei,* [179] idest Christi, *qui est imago Dei invisibilis,* [180] nam *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui;* [181] similem in gratia, quoniam sanctum illum effecit sicut ipse sanctus est; similem in gloria, quoniam beatum vitaque aeterna donatum sicut ipse bèatus et aeternus est: *Similem illum fecit in*

170) 1 Io 4, 10. 171) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. Affert ex Breviario Rom. Comm. Apost., antiph. 2 ad *Vesperas.* 172) 1 Io 4, 8. 16. 173) Cf. Ez 1, 4 sqq. 174) Cf. Ex 3, 2. 175) Ms.: *Amare.* 176) Io 11, 5; 13, 23; 19, 26; 21, 7. 20. 177) Ier 31, 3. 178) Io 1, 1. 179) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 180) Col 1, 15. 181) Rom 8, 29.

gloria sanctorum; [182] *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit,* tunc *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* [183]

Dum Christum et sanctam Ioannis animam contemplor, videre mihi videor sanctum patriarcham Iacob pulcherrimae Rachelis amore captum; [184] Christus enim est verus Iacob a Deo dilectus, Iacob totus amor. Diligebat autem Ioannem, non secundum carnem sed secundum spiritum, non secundum corpus sed secundum animam. Erat enim anima Ioannis tota pulcra, ad instar coelestis illius mulieris sole amictae, [185] nam corona duodecim stellarum fides est, sol caritas, luna sub pedibus spes bonorum coelestium; illa enim omnem fidelem animam designat fide, spe et caritate ornatam. Ex Rachele Iacob duos filios habuit: Ioseph, qui magno fuit spiritu intelligentiae praeditus ad interpretanda divina mysteria, [186] et Beniamin Iacob ultima ac dilectissima proles; [187] sic Christus ex anima Ioannis duos habuit filios: angelicum intellectum et seraphicum affectum, spiritum intelligentiae divinarum rerum et ardentissimum amorem summi et infiniti boni. Duplex proles: perfectio intellectus et voluntatis; ille perficitur scientia et sapientia, ista vero virtute et caritate.

II. ALIA HOMILIA

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena, etc. [1]

Quattuor proponuntur in laudem S. Ioannis apostoli:

In laudem Beatissimi Apostoli et divinissimi evangelistae Ioannis quattuor sunt quae in sacrosancto hodierno Evangelio proponuntur: primum, quod fuerit discipulus Christi, sed omnium carissimus ac dilectissimus maximeque familiaris; secundum, quod sua sponte Christum sequebatur: *Vidit... discipulum... sequentem;* tertium, opinio de ipsius immortalitate: *Exiit... sermo... inter fratres quod discipulus ille non moritur,* [2] et quartum, quod

182) Eccli 45, 2. 183) 1 Io 3, 2. 184) Cf. Gn 29, 17-20. 185) Cf. Apc 12, 1.
186) Cf. Gn 30, 22-24; 40, 8 sqq. 187) Cf. ibid. 44, 20 sqq.

1) Io 21, 20. 2) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Quia discipulus ille,* etc,

fuerit evangelista: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius.*[3]

Primum est dignitas apostolatus: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus.* Fuit unus de supremo collegio Apostolorum, unus de duodecim summis senatoribus Ecclesiae, principibus, mundi iudicibus, unus de patriarchis, unum ex fundamentis duodecim supernae civitatis Ierusalem, fundamentum quartum. Nam in electione et promotione Apostolorum apud Matthaeum[4] et Lucam[5] quartum locum tenet Ioannes, licet apud Marcum[6] tertium teneat et in *Actis Apostolorum* secundum quando Apostoli Spiritu Sancto sunt divinitus afflati, imo repleti.[7] Fuit tamen quarto loco electus apostolus, quartum est fundamentum. Legimus autem in *Apocalypsi: Fundamentum ... quartum smaragdus.*[8] Est autem smaragdus, teste Plinio *Naturalis Historiae* libro 37, capite 5,[9] gemma maxime viridis, ita ut omnia alia viridia ei comparata virorem amittant, virere minime videantur; est oculis gemmarum omnium gratissima, ita ut miro modo oculos recreet atque delectet, implet eos et nunquam satiat, sed semper multa cum iucunditate et aviditate spectatur; est etiam gemma pellucida, ita ut instar speculi rerum imagines reddat. Ait ergo: *Fundamentum ... quartum smaragdus:* Ioannes, quartus apostolus, smaragdo hieroglyphice designatur, cui gemmae in eadem *Apocalypsi* etiam Deus similis dicitur, ita enim legimus: *Ecce sedes posita erat in coelo et supra sedem sedens; et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis, et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinae.*[10] Pretiosissimae gemmae, per quam etiam Deus ipse significatur, comparatur Ioannes ob divinam similitudinem; hinc dilectus est discipulus, nam magna similitudo causa utique est magni amoris.[11]

a) dignitas apostolatus,

fuit enim quartus apostolus electus a Christo,

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus. Ostenditur autem hic Ioannes non solum valde dilectus a Christo, sed etiam a Petro, hinc enim quaerit Petrus Domino: *Domine, hic autem quid?*[12] quoniam socium et collegam eum habere cupiebat, diligebat eum tanquam sibi valde similem animo et virtute. Nam iaspis et smaragdus

3) Ibid. vr. 24. 4) Cf. 10, 3. 5) Cf. 6, 14. 6) Cf. 3, 17. 7) Cf. 1, 13; 2, 1-4. 8) 21, 19. 9) Pag. 414-115. 10) 4, 2-3. 1) Axioma philosophicum ex Eccli 13, 19. 12) Io 21, 21.

gemmae sunt valde similes, iaspis enim viridis etiam coloris est: *Fundamentum* autem *primum iaspis.*[13] Diligebant se invicem Petrus et Ioannes, hinc Dominus eos misit ut pararent pascha,[14] hinc duo ipsi cucurrerunt ad Christi sepulcrum,[15] hinc in coenaculo, quando Spiritu Sancto repleti fuerunt, Ioannes iuxta Petrum ponitur,[16] hinc etiam legimus quod *Petrus... et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*[17]

maxime a Christo dilectus

Sic Ioannes smaragdus est, gemma omnibus gratissima, *dilectus Deo et hominibus,*[18] maxime vero Christo dilectus: *Quem diligebat Iesus,* tanquam sibi simillimum. Erat enim Ioannes speculum ex smaragdo, qualia erant Neronis specula, ut Plinius ait,[19] quod quidem speculum perfectam reddebat Christi imaginem. Diligebat eum tanquam carissimum fratrem, sicut Ioseph Beniaminum,[20] eum enim constituit Christus fratrem suum singularem in cruce, dum Beatissimae Virgini dixit: *Ecce filius tuus; deinde* Ioanni: *Ecce mater tua.*[21] Quare sicut patriarcha Iacob ex pulcherrima et dilectissima Rachele duos habuit filios: Ioseph principem et salvatorem mundi et Beniaminum Iosepho dilectissimum fratrem,[22] sic Deus ex Virgine Beatissima duos filios suscepit: Christum et Ioannem, quoniam cum Maria duplex matrimonium contraxit: alterum reale ac naturale, ex quo Christum suscepit, principem universalem et verum salvatorem mundi, alterum spirituale, quale est inter Christum et Ecclesiam, et ex hoc suscepit Ioannem, nam tempore passionis in sola Virgine servata fuit integra et illibata totius Ecclesiae tum fides tum caritas.

ob singularia gratiae et virtutis dona;

Sic igitur Christus diligebat Ioannem tanquam fratrem suum singularem; gemma haec pretiosissima Christo semper carissima fuit ob divinam pulcritudinem et perpetuum maximumque virorem virginitatis mentis et corporis: *Discipulus... quem diligebat Iesus.*[23] Deus de Christo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,*[24] ita Ioannes dilectus dicitur Christi, cui revelavit mysterium divinae praedestinationis et electionis, donum singularis

13) Apc 21, 19. 14) Cf. Lc 22, 8. 15) Cf. Io 20, 3-4. 16) Cf. Act 1, 13.
17) Ibid. 3, 1. 18) Eccli 45, 1. 19) *Hist. Nat.*, lib. 37, cp. 5, pag. 414.
20) Cf. Gn 43, 29-30. 21) Io 19, 26-27. 22) Cf. Gn 30, 22-24; 35, 16-18; 41, 44-45. 23) Io 21, 7. 24) Mt 17, 5.

gratiae, nam ut Sapiens ait: *Nemo scit odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* [25] Ioannes praedestinatus revelationem habuit in hac vita praedestinationis suae et electionis: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem praedestinavit, hos,* etc. [26]

b) amor quo Ioannes Christum secutus fuit;

Secundum est, quod Christum sequebatur: *Vidit discipulum illum... sequentem.* Hoc est quod Ioannes profitebatur, haec vitae ipsius professio: Christum sequi ex animo. Diligebatur Ioannes a Christo, ipse vero Christum rediligebat ac redamabat, ita ut nec per momentum volebat esse sine Christo, longe a Christo, semper cupiebat esse cum Christo. Iussus fuit Petrus ut Christum sequeretur, Ioannes vero sua sponte, non iussus Christum sequebatur, cupiebat mori pro Christo, nam hoc est quod Christus Petro ait: *Sequere me* [27] per passionem martyrii: *Significans qua morte clarificaturus erat Deum;* [28] Ioannes vero cum Paulo aiebat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* [29] *Vidit discipulum... sequentem* dilectissimum et amantissimum magistrum ac Dominum suum. Christus ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me,* [30] nam: *Qui sequitur me... habebit lumen vitae.* [31] Abnegavit seipsum Ioannes ut Christum sequeretur, crucifixit carnem cum vitiis et concupiscentiis [32] virginalem vitam perpetuo ducendo et mundana omnia contemnendo, nam vocatus a Christo, *relictis retibus et patre,* [33] secutus est Dominum, tulit crucem suam perferendo mala multasque patiendo persecutiones propter iustitiam; sic Christum secutus est per viam sanctitatis et perfectionis, donec ad apicem virtutum heroicarum et exemplarium pervenit. Sic virtutes Christi imitando factus est Christo simillimus et ad lumen vitae pervenit.

c) opinio de Ioannis immortalitate;

Tertium est opinio de eius immortalitate: *Exiit sermo... inter fratres quod discipulus ille non moritur.* [34] Hoc est meritum virtutis,

25) Eccle 9, 1-2. Vulg.: *Nescit homo utrum amore an odio,* etc. 26) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis Filii,* etc. 27) Io 21, 22. 28) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Clarificaturus esset Deum.* 29) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi,* etc. 30) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult post me venire,* etc. Affert ex Breviario Rom. Com. Unius Mart., antiph. *ad Magnificat* 2 Vesp. 31) Io 8, 12. 32) Cf. Gal 5, 24. 33) Mt 4, 22. 34) Io 21, 23.

perpetua immortalitas vitaeque aeternitas. Si non peccasset homo, mortem nescivisset mundus, hinc beatus Enoch iustus et sanctus, divina virtute praeditus, quoniam cum Deo ambulavit et placuit ei, nequaquam legitur mortuus, sed raptus a Deo ut secum perpetuo viveret, [35] quoniam iuxta nomen suum totum seipsum Deo in perpetuum dedicavit. [36] Sic Apostoli cognoscentes Ioannis virtutem et sanctitatem audientesque a Christo dictum: *Sic eum volo manere donec veniam,* [37] arbitrati sunt quod Ioannes minime moriturus erat. Sciebant enim quod aeterna vita praemium est virtutis. *Sed non dixit... Iesus : Non moritur* morte corporali, *sed : sic eum volo manere donec veniam.* [38] Noluit Deus ut corporalis vita praemium esset virtutis in terra, sed sempiterna in coelo, cum Angelis Dei in paradiso, sic ait Dominus: *Sequuntur me et ego vitam aeternam do eis ;* [39] *Aqua, quam ego dabo ei... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [40]

d) dignitas evangelistae.

Quartum tandem est dignitas evangelistae: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec,* ad perpetuam memoriam, ad aeternam Christi gloriam. Sic ex Christi discipulo factus est magister Ecclesiae, testis verax et scriptor divinus, qui ex afflatu Spiritus Sancti scripsit Evangelium sicut Moyses legem. *Scimus quia verum est testimonium eius,* quoniam, ut in *1 Epistola* ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae... annunciamus vobis.* [41] Magna dignitas ut eadem fides adhibeatur dictis omnibus scriptisque Ioannis, quae Dei verbis adhibenda foret si eum proprio ore loquentem audieremus, sicut eum audivit populus cum in deserto legem accepit! [42] *Scimus quia verum est testimonium eius,* vera ipsius doctrina, quoniam a Spiritu Sancto est, qui Deus est veritatis et mentiri non potest: *Est... Deus verax, omnis autem homo mendax.* [43] Ioannes a Spiritu Sancto veluti deificatus, divinae factus consors naturae, [44] sicut ferrum ignitum naturam ignis participat, fidem habet divinae veritatis, et ita Ioanni creditur ac si Deus loqueretur.

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, quem ex singulari

35) Cf. Gn 5, 24; Eccli 44, 16; Hebr 11, 5. 36) Enoch enim latine *dedicatio* interpretatur. 37) Io 21, 22. 38) Ibid. 39) Ibid. 10, 27-28. 40) Ibid. 4, 14. 41) 1, 1-2. 42) Cf. Ex 20, 1 sqq. 43) Rom 3, 4. 44) Cf. 2 Petr 1, 4.

dilectione constituit Apostolum suique perfectissimum imitatorem, numeris omnibus absolutum, omnibus virtutibus donisque et gratiis Spiritus Sancti apprime praeditum, quem effecit perpetua immortalitate aeternaque memoria etiam in mundo hoc apud homines dignum, et tandem evangelistam singularissimum. Quoniam vero nobilitas et ingenuitas animi requirit ut amantes redamemus – et quidem sicut difficile admodum est inimicum odio persequentem non odisse, ita amicum magno amore prosequentem non diligere, – hinc Ioannes divinum hunc Christi amorem semper habebat prae oculis, unde non ex iactantia, sed ex animi gratitudine dilectum Christi discipulum se dicit.

III. ALIA HOMILIA

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus... qui et recubuit in coena supra pectus, etc. [1]

Ad declarandam Ioannis excellentiam tantum dicere sufficit quod diligebatur a Domino.

I. In hodierno hoc Evangelio, quod legit Sancta Ecclesia celebrans festum gloriosissimi et beatissimi apostoli Christi Ioannis, in laudem ipsius nihil fere aliud dicitur nisi quod diligebatur a Domino: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus,* [2] idest qui erat omnium discipulorum dilectissimus et carissimus Christo. Sicut enim usu venire vel semper solet ut in principis curia inter multos principis fideles servos et familiares unus sit principi omnium carissimus, qui primum teneat locum in gratia et favore principis, sic ait I o a n n e s : *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Christus est summus princeps, discipuli et Apostoli erant familiares et curiales intimi summi huius principis, Ioannes autem prae omnibus carus erat cubicularius secretus Christi, magister cubiculi et secretarius ipsius: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius,* [3] *qui et recubuit in coena supra pectus eius.* Et quidem ad declarandam excellentiam Ioannis hoc tantum dicere sufficit, quod diligebatur a Domino. Non enim est Christus sicut mundani principes, qui nonnisi sensualibus af-

1) Io 21, 20. 2) Ibid. vr. 7. 3) Ibid. vr. 24.

fectibus reguntur, unde saepe accidit ut eum familiarem magis diligant qui minus meretur diligi, nec potest non magnus assentator esse magnusque faber fictionum et calumniarum qui saeculi principibus carissimus est. Christus autem princeps est optimus et sapientissimus, qui non diligit nisi quae diligenda vere sunt, secundum voluntatem Dei et secundum rectum iudicium rationis.

Ioannes singulariter diligebatur a Christo ob triplicem bonitatem:

II. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Obiectum amoris non est nisi bonum et pulcrum. Si Christus singulariter Ioannem diligebat, ergo Ioannes erat singulariter diligibilis et amabilis duplici ex capite: nam si obiectum amoris est bonum et pulcrum, sicut obiectum visionis est lux sive color, obiectum auditus sonus, olfactus odor et gustus sapor, in homine potest esse triplex bonitas: naturalis, moralis et supernaturalis atque divina. Quidam sicut natura corpore sunt spectabili forma et pulcritudine, ita etiam natura praediti sunt animo bene qualificato magnoque et alto iudicio; alii natura bonis hisce qualitatibus destituti, optime tamen a teneris unguiculis educati, multo studio multaque diligentia, optimis magistris tum morum, tum doctrinarum variarumque scientiarum usi, acquirunt nobilissimas animi virtutes; et tandem alii, etsi has nec natura ingenitas inditasque habent, nec moralitatis studio acquisitas, adepti sunt a Deo per Spiritum Sanctum supernaturaliter infusas sicut Moyses, David, Salomon Prophetaeque omnes et Apostoli.

naturalem.

Ioannes merito diligebatur a Christo, quoniam in eo triplex haec bonitas singularissime reperta est: bonitas naturalis, bonitas moralis et bonitas supernaturalis. Naturalis quidem, quoniam homo erat *ad imaginem et similitudinem Dei*[4] conditus, non sine divina dispensatione Ioannes appellatus, Ioannes enim g r a t i a interpretatur. Hominem autem corpore pulcrum et animo optimo praeditum gratiosum dicere solemus; Ioannes autem appellatus est g r a t i a, quoniam omnibus gratissimus et gratiosissimus erat tum corporis forma, tum animi bonis qualitatibus et virtutibus. Natura ergo Ioannes valde amabilis erat ob singularem gratiam et bonitatem naturalem, sed multo magis ob moralem; hinc dicitur

4) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

discipulus, et discipulus Christi. Fuit autem Christus magister optimus, sic enim ait: *Magister vester unus est, Christus.* [5]

Fuit autem Christus magister primo quidem morum: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ;* [6] deinde vero magister divinae philosophiae sacraeque theologiae, hinc discipulis declarabat parabolas, aperiebat mysteria: *Vobis datum est nosse mysteria verbi Dei, ceteris autem... in parabolis... ut videntes... non videant et audientes... non... intelligant;* [7] sic *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* [8] Ioannes autem optimus fuit Christi singularissimusque discipulus, calcaribus minime egens. Sicut autem cum magister singularem habet discipulum, non potest non singulariter eum diligere, sic Christus non poterat non diligere Ioannem. Fuit Petrus singularis Christi discipulus, sed aliquando calcaribus opus habuit, at non Ioannes; sic in hodierno Evangelio habemus: Dixit Iesus Petro: *Sequere me;* [9] Ioannes autem sequebatur etiam non vocatus: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* moralem

Quantum autem in Christi schola profecerit Ioannes tum in morali tum in divina philosophia, ostendit hodiernum Evangelium; initio quidem quantum profecerit in morali, fine autem quantum in divina. Quoad moralem philosophiam Dominus ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* ecce humilitas vera Ioannis: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Non appetit Ioannes nominis immortalitatem, hinc proprium reticet nomen, nec in toto ipsius Evangelio legimus proprium ipsius nomen, sed tantum: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus,* et cum potuisset dicere: Apostolus ille, humilius nomen elegit: *Discipulus ille.* Haec vera est cordis humilitas, quae voluntaria et ex animo est. Finis autem hodierni Evangelii ostendit quantum profecerit in divina philosophia: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius :* ex Christi discipulo factus est magnus Ecclesiae magister, divinissimus theologus, maximus, excellentissimus et celeberrimus doctor veritatis.

Sic Ioannes fuit singularissimus Christi discipulus, optimo

5) Mt 23, 10. 6) Ibid. 11, 29. 7) Mc 4, 11-12. Vulg.: *Mysterium regni Dei.*
8) Lc 24, 45. 9) Io 21, 19.

praeditus ingenio, iudicio et memoria, qui simul facillime doctrinam magistri apprehendebat et tenacissima aeternaque memoria retinebat etiam singula verba magistri; hinc Ioannes multa scripsit quae alii Evangelistae omiserant, specialiter vero quae ad sacram theologiam spectant, ad declarandam Christi nativitatem aeternam divinamque generationem a Patre, et solus ipse integrum scripsit sermonem quem Christus habuit ad discipulos in ultima coena, quando divinissimum instituit Eucharistiae sacramentum. Fuit etiam discipulus magistri amantissimus, quod valde rarum est, quod significat: *Recubuit in coena supra pectus eius.*

et praecipue ob bonitatem supernaturalem.

Duplici igitur ex capite Ioannes fuit Christo dilectissimus: primo quidem ob naturalem bonitatem, cum iuvenis esset gratiosissimus, pulcher facie, pulcrior mente; formosus corpore, formosior animo; quod inde maxime elucet quod natura honestissimus et castissimus fuit, ita ut in pulcherrimo iuventutis flore purissimus virgo inventus a Christo sit; deinde vero ob moralem bonitatem: *Discipulus... quem diligebat Iesus*, quoniam optimus erat discipulus, omnibus numeris absolutus. At vero maxime eum diligebat Christus ob supernaturalem bonitatem et gratiam virtutesque divinitus infusas. Gratia enim Spiritus Sancti hominem sanctificans, Deo gratum carumque facit et divino reddit dignum amore, quoniam haec hominem Dei filium per adoptionem constituit, haec animam hominis pulcherrimam efficit sicut lux solis lunam; hinc sponsa in *Canticis* dicitur *pulcra ut luna.* [10] Apostolus autem iste sanctissimus, quoniam speciali praerogativa prae ceteris Apostolis gratia Spiritus Sancti plenus fuit, Ioannes, idest g r a t i a, est appellatus, totus enim gratia extitit, omni gratia plenus, gratia praedestinationis, gratia vocationis, nam a Christo personaliter vocatus fuit, [11] gratia iustificationis et gratia glorificationis in Ecclesia tum militante in terris, tum triumphante in coelis, factus a Deo patriarcha Ecclesiae, propheta divinus, apostolus Christi, martyr invictus, confessor inclitus, Archiepiscopus metropolitanus totius Asiae, doctor sapientissimus et divinissimus, virgo purissimus et singularissimus frater Christi, filius Dei post Christum specialissimus, et Mariae Virginis Sanctis-

10) 6, 9. 11) Cf. Mt 4, 21; Mc 1, 19-20.

simae secundus filius, non per naturam sed per adoptionem, sed supra modum carissimus.

Ad designandam excellentiam gratiae pingitur Ioannes hieroglyphico aquilae apud Ezechielem

III. Ad designandam singularem excellentiam gratiae sanctissimi huius Apostoli in Divinis Litteris nobilissimo aquilae hieroglyphico designatur; Ioannes enim aquila illa mirabilis est apud Ezechielem: *Et facies aquilae desuper ipsorum quattuor.* [12] Nobilissimo autem hoc hieroglyphico etiam Deus in Sacris Litteris designatur: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans expandit alas suas et assumpsit eos atque portavit in humeris suis.* [13] Christus etiam: *Quattuor mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro: viam aquilae in coelo.* [14] Omnes electi dicuntur aquilae: *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae,* [15] et Isaias: *Sicut aquilae ... volabunt et non deficient.* [16] Sed per singularem excellentiam et antonomasiam Ioannes dictus est aquila, avium regina: *Facies aquilae desuper ipsorum quattuor.* Aquila in Divinis Scripturis insigne est regium et imperiale; hinc apud Ezechielem Nabuchodonosor, rex et imperator orientis, dicitur *aquila ... magnarum alarum,* [17] sicut nunc etiam aquila insigne est romani imperii. Est ergo hieroglyphicum singularis excellentiae et altissimae nobilitatis: *Facies aquilae desuper ipsorum quattuor.* Aquila haec apud Ezechielem tota est ignea, ardens sicut flamma ignis, et habet quattuor alas. [18] In *Apocalypsi* autem sex habet alas et tota intus et foris plena est oculis, volat ante thronum Dei et clamat iugiter una cum alatis Seraphinis apud Isaiam: [19] *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est.* [20] Ignea est aquila propter divinam seraphicamque caritatem; sex autem habet alas sex virtutum, quae semper sunt cum caritate in praesenti vita; plena est oculis intus et foris; oculus autem in corpore symbolum est intellectus in anima; multitudo ergo oculorum designat multitudinem sapientiae et intelligentiae qua Ioannes omnia intellexit: praeterita, futura, superiora, inferiora, interna et externa, visibilia et invisibilia.

et in Apocalypsi.

12) 1, 10. 13) Dt 32, 11. Vulg.: *Assumpsit eum*, etc. 14) Prv 30, 18-19. Vulg.: *Tria sunt difficilia mihi*, etc. 15) Mt 24, 28; Lc 17, 37. Vulg.: *Ubicunque fuerit corpus.* 16) 40, 31. Vulg.: *Ambulabunt et non deficient.* 17) 17, 3. 18) Cf. 1, 6-13. 19) Cf. 6, 2-13. 20) 4, 8.

quod specialiter caritatem designat,

De aquila autem hac singulariter dicitur quod volabat: *Quartum animal simile aquilae volanti,* [21] idest in altum se tollenti, quoniam Ioannes intelligentia mysteriorum Dei altissime volavit: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum,* etc. [22] Quoniam vero gratia, quamvis omnes virtutes et dona Spiritus Sancti includat, specialiter tamen caritatem designat, Ioannes propter eximiam caritatem specialiter gratiae sortitus est nomen; caritas autem sanctificat animam efficitque ut ex toto animo Deum diligat adimplens primum et maximum praeceptum legis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc. [23] Elucet autem caritas Ioannis in hodierno Evangelio in tribus: quia sequebatur Christum sua sponte: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem;* quia *recubuit supra pectus* Christi: *Qui ... adhaeret Deo, unus spiritus est* cum eo; [24] et tandem quia dixit: *Domine, quis est qui tradet te?* [25] petiit a Domino gratiam revelationis secreti proditoris. Haec fuit vita Ioannis: sequela Christi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam,* etc.; [26] unio animi sui cum Christo per amorem perfectissimum: *Recubuit supra pectus* Iesu, ut uniret cor suum cum corde Christi, spiritum suum cum spiritu Christi; et tandem perpetua oratio facta cum magna fiducia: *Domine, quis est qui tradet te?* Quid est, Domine, quod te laedit? quod tibi displicet? etc.

quae maxime in Ioanne elucet.

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius. [27] Declaratur his verbis Ioannes testis Christi fidelissimus ac veracissimus, evangelista singularissimus et excellentissimus. Ipse est aquila illa mirabilis apud Ezechielem et in *Apocalypsi.*

21) Ibid. vr. 7. 22) Io 1, 1. 23) Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 24) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Adhaeret Domino,* etc. 25) Io 21, 20. 26) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Cf. not. 30 praec. hom., pag. 457. 27) Videtur hoc initium esse alterius homiliae; sed desunt reliqua et, folio albo relicto, transitur ad homiliam diei sequentis.

DIES SANCTORUM INNOCENTIUM

I. Saevit Herodes impius ac immanis tyrannus hodie in innocentes infantes sicut vorax lupus crudeli fame extimulatus in gregem agnorum, occidit infantes sicut borealis ac aquilonaris ventus nascentes primo vere in pratis flores erumpentesque arborum gemmas adurit ac perdit: *Ab aquilone pandetur* omne *malum.*[1] Homo hic erat, sed ad instar Nabuchodonosor regis Babylonis conversus in bestiam,[2] homo mutatus in lupum. Sic diabolus omnes persequitur innocentes; Deus tamen horum mala convertit in bonum ac mirabili quadam alchymia temporalia mala convertit in sempiterna bona, non secus ac terra convertit turpissima ac vilissima putidissimaque stercora in virentes herbas, flores pulcherrimos, fructus suavissimos ac odoratissimos.

Sicut diabolus persequitur innocentes, Deus tamen horum mala convertit in sempiterna bona,

Impius Pharao, timens ne, nimium multiplicato Hebraeorum populo, tandem regno pulsus, coronam, sceptrum regnumque amitteret, iussit omnes Hebraeorum infantes necari;[3] ita plane hodie Herodes illum in impietate longe superans, hodie Christum regem natum perimere cupiens, innumeros perdit infantes:

sic Herodes volens Christum perimere, innumeros innocentes perdit;

« Quae non mortalia pectora cogis
Regni sacra fames »?[4]

Abimelech ut securus regnaret occidit una die septuaginta fratres suos, filios Gedeonis patris sui;[5] Saul ob regnandi cupiditatem persequitur David et ob hanc causam Achimelech summum sacerdotem una cum octoginta quinque sacerdotibus indutis sacris

1) Ier 1, 14. *Omne* lect. cod. 2) Cf. Dn 4, 29-30. 3) Cf. Ex 1, 8-16.
4) Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57, qui habet: « Quid non... Auri sacra fames ».
5) Cf. Idc 9, 1-5.

vestibus occidit universamque civitatem sacerdotum Nobe percussit in ore gladii, etiam parvulos ac lactentes occidens;[6] impia Athalia ob hanc eandem cupiditatem occidit omnes filios regis, nepotes suos, filios filii sui.[7]

sed Christus solus a nece eripitur.

Sed sicut Pharao solum Moysen occidere voluisset, quoniam hic ad nihilum prope redacturus erat Aegyptum, Saul solum Davidem et Athalia Ioas, qui rex legitimus erat futurus, sed Deus ex omnibus Hebraeorum infantibus in Aegypto solum Moysen salvavit,[8] sic Davidem de manu Saul,[9] quoniam ipsum in regem elegerat, et ex omnibus filiis regis unum Ioas,[10] sic hodie Deus ab infanticidio Christum eripit, qui alter futurus erat Moyses, alter David, alter Ioas et veluti alter Ioatham, qui solus effugit necem ex omnibus filiis Gedeonis ab impio Abimelech occisis.[11] Futurus erat Christus Moyses, populi Dei redemptor, salvator, dux et legislator, propheta summus; futurus David, homo secundum cor Dei,[12] potentissimus ac sererissimus rex universi Israelis: *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis;*[13] futurus Ioas, templi Domini instaurator,[14] et Ioatham praedicator in parabolis.[15] Sic *contra Dominum non est sapientia, non est prudentia, non est consilium;*[16] sic Herodes spe sua frustratus fuit; Angelus enim Domini in somnis apparens Ioseph ait: *Surge... accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum... futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.*[17]

Triplici ex causa Herodes Christum perdere quaerit:

II. Sed cur, quaeso, Herodes, perdere quaeris eum qui te venit salvare? qui te non temporali ac terreno regno venit privare, sed coelesti aeternoque donare?

Quaesivit Herodes Christum perdere ex pernicioso errore intellectus et ex malo perversae voluntatis affectu, tandemque ex diabolica suggestione, nam veluti in alterum Iudam introivit in eum satanas.[18]

6) Cf. 1 Rg 22, 6-19. 7) Cf. 4 Rg 11, 1; 2 Par 22, 10. 8) Cf. Ex 2, 1-10. 9) Cf. 1 Rg 22, 6-8. 10) Cf. 4 Rg 11, 2; 2 Par 22, 11. 11) Cf. Idc 9, 5. 12) Cf. 1 Rg 13, 14. 13) Lc 1, 32-33. 14) Cf. 2 Par 24, 4. 15) Cf. Idc 9, 7-21. 16) Prv 21, 30. Vulg.: *Non est consilium contra Dominum.* 17) Mt 2, 13. 18) Cf. Io 13, 27.

Primo, inquam, ex errore intellectus. Credidit enim Christum temporaliter fore regnaturum sicut David, Salomon ac ceteri reges, et putavit Christum hominem tantum esse, non Deum, non Filium Dei. Erat animalis homo, non capiens neque percipiens *ea quae sunt spiritus Dei*;[19] sed humana tantum. Si enim credidisset Christum Filium esse Dei, qui in hunc mundum veniebat regnare tantum in spiritu per fidem, sicut Deus qui verus erat rex Israel: *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo*,[20] non utique Christum perdere quaesivisset. ex errore intellectus,

Deinde, ex pravo atque perverso voluntatis iniquae impiaeque affectu. Non enim hic divina, coelestia ac sempiterna bona diligebat aut cupiebat, sed forte nec credebat quidem, ut insipiens ille qui dixit *in corde suo: Non est Deus*,[21] sed tantum mundana, terrena, temporalia habebat in votis. Hinc audiens a Magis natum esse regem Iudaeorum, turbatus est valde[22] timens regnum amittere quod iniuste atque tyrannice acquisiverat atque possederat.[23] Sic mens caeca ac[24] mala voluntas ambitione, avaritia amoreque improbo depravata tanti facinoris tantaeque impietatis in causa extitere. ex pravo voluntatis affectu

Hunc tamen impietatis talem tantumque ignem diabolus accendit in corde ipsius ad instar impii Nabuchodonosor, qui ad perdendos tres pueros innocentes ac sanctos fornacem septuplo magis quam consueverat accendi praeceperat.[25] Oderat diabolus Christum, quem semper ab initio odio habuit homicida ille, qui *ab initio.... in veritate non stetit*;[26] siquidem propter Christum pulsus ipse a paradiso in aeternum fuit, peccavit enim divinum transgrediens mandatum. Hoc autem mandatum legimus Angelis factum: *Adorent eum omnes Angeli Dei: Et cum iterum introducit primogenitum* suum *in orbem terrae dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*[27] Ubi intellexit satanas posse creaturam ad aequalitatem Dei ascendere per hypostaticam unionem, sicut Christus homo aequalis in persona est Deo. At, inquit, si ad hanc Dei aequalitatem ascendere potest homo terrenus, multo magis Angelus coelestis, cum quilibet Angelus tanto et ex diabolica suggestione, iam enim ab initio diabolus semper odit Christum,

19) 1 Cor 2, 14. 20) Io 18, 36. 21) Ps 52, 1. 22) Mt 2, 3. 23) Cf. Gius. Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 15, cp. 1 sgg.; *Della Guerra Giudaica*, lib. 1, cp. 14-18, pag. 53-68. 24) Ms.: *Hac*. 25) Cf. Dn 3, 19. 26) Io 8, 44. 27) Ps 96, 7; Hebr 1, 6.

sit nobilior homine quanto quodvis coeleste astrum terreno quovis lapide. Ego autem princeps sum Angelorum, sol inter astra coelestia; mihi igitur aequalitas ista iure competit. Hinc ait: *Ascendam in coelum, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; conscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* [28]

propter quem pulsus e coelo fuit;

Sic divinum sprevit contempsitque mandatum tanquam iniustum atque indignum, ut Angeli omnes hominem unum adorarent, indigne ferens hominem sibi praeferendum ac super omnes Angelos principem regemque constituendum. Hinc invidia motus odium concipit in Christum sicut Saul in Davidem, [29] sicut Herodes hodie in Christum, maxime vero cum Christi causa pulsus a coelo ipse cum omnibus suis satellitibus innumerisque daemonum aciebus fuit.

sic in terrae regione constitutus, homines in peccatum impellere conatus est,

Hinc positus in terrae regione omni studio conatus fuit quo posset hominem in peccatum impellere, ne eum ad talem tantamque gloriam divinae aequalitatis assumptum videret, sciens Deum peccati osorem esse, et quod sicut ipse ob peccatum divinique mandati transgressionem coelo pulsus ac in aeternum damnatus fuit, homo quoque, si peccaret, in eadem navi poneretur pulsusque a paradiso ac in aeternum damnatus, nunquam assumeretur ad gloriam divinae aequalitatis. Hinc hominem ad tentandum aggreditur ut eum faciat transgredi divinum mandatum, et cum hominem quidem tentatione superasset atque vicisset, in peccati foveam iniquitatisque barathrum hominem videns deiectum atque submersum, gaudio repletus impius fuit videns hominem suo veneno infectum antiquus serpens; cumque hominem ob peccatum fecisset servum sibi atque mancipium, nam *a quo... quis victus est, illius et servus est,* [30] dixit forte in corde suo: Veniat nunc Deus et hominem diaboli servum, captivum ac vile mancipium exaltet ad gloriam aequalitatis suae! Cumque iam voti compotem effectum se putaret ac divinae incarnationis consilium funditus evertisse, audivit miser contra se divinam sententiam: *Quia,* inquit, *fecisti hanc rem, maledictus eris prae omnibus animantibus terrae... inimicitias ponam inter te et mulierem et inter semen tuum ac*

ut consilium divinae incarnationis everteret;

28) Is 14, 13-14. Vulg.: *In coelum conscendam... ascendam super,* etc. 29) Cf. 1 Rg 18, 8-9. 30) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Quis superatus est, huius,* etc.

semen illius, ipsum conteret caput tuum et tu insidiaberis, sive *conteres calcaneum eius.*[31] Ubi intellexit satan non solum ob peccatum hominis non esse aut eversum aut infirmatum incarnationis consilium, sed multo magis corroboratum ac firmius factum, quo non tantum divina bonitas, caritas gloriaque in hominis deificatione ac glorificatione elucesceret, sed etiam misericordia atque iustitia in redemptione ipsius. Quare intelligens frustratum esse conatum suum, multo maiori ira succensus, multo se acriori odio in Christum armavit. **videns tamen conatum suum frustratum,**

Intelligens tamen ex poenis inflictis homini ob peccatum esse Deum peccati etiam hominis osorem, sumpsit hinc argumentum quod nonnisi iustum quendam ac sanctum hominem mulier paritura erat, qui ob nimiam sanctitatem atque iustitiam plane divinam ad supercreatam hanc Deitatis gloriam assumeretur; et ex hoc maximum contra iustitiam splendidamque virtutis lucem concipiens odium, hoc se acerrime contra omnes virtutis cultores iustosque armavit. Hinc videns iustum Abelem, contra eum insurgens magnum in corde Cain irae odiique mortalis ignem contra virum iustum accendit;[32] hinc intelligimus quare iusti omnes in mundo hoc passi sunt persecutiones, Abraham a Chaldaeis,[33] Isaac ab Ismaele,[34] Iacob ab Esau,[35] Ioseph a fratribus,[36] Hebraei ab Aegyptiis,[37] Moyses a Pharaone,[38] David a Saule,[39] Ezechias a Sennacherib,[40] Elias a Iezabele,[41] Daniel a satrapis,[41] tres pueri a Nabuchodonosor,[42] Ierusalem a Babele.[43] Omnes enim iusti persecutionem passi sunt propter iustitiam a diabolo, summo osore iustitiae, hinc iustus ac sanctus Iob ab ipsomet summe afflictus flagellatus ac plagis affectus fuit.[44] **contra omnes virtutis cultores insurrexit,**

Audiens autem diabolus in Christi nativitate Angelum dicentem pastoribus: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*, et cum Angelo multitudinem coelestis militiae *laudantium Deum atque di-* **et audiens Christum natum fuisse,**

31) Gn 3, 14-15. Vulg.: *Quia fecisti hoc maledictus es... et semen illius ipsa conteret,* etc. *Ipsum* ex hebraico. 32) Cf. ibid. 4, 4-8. 33) Cf. ibid. 14, 1-16. 34) Cf. ibid. 21, 9-10; Gal 4, 29. 35) Cf. Gn 27, 41. 36) Cf. ibid. 37, 4 sqq. 37) Cf. Ex 1, 8 sqq.; 5, 4 sqq. 38) Cf. ibid. 2, 15. 39) Cf. 1 Rg 18, 8 sqq. 40) Cf. 4 Rg 18, 13 sqq. 41) Cf. 3 Rg 19, 1-3. 42) Cf. Dn 6, 1-17. 43) Cf. ibid. 3. 8-23. 44) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8.

ut Herodem concitavit illum perderet.

centium : Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis, [45] tunc cum cognovissent *quod arca Dei venit in castra, timuerunt . . . Philisthiim dicentes : Venit Deus in castra ! Et ingemuerunt dicentes ; Vae nobis ! non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius ! Vae nobis ! Quis nos servabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dii qui percusserunt Aegyptum omni plaga in deserto. Confortamini et estote viri, Philisthiim, ne serviatis Hebraeis sicut . . . illi servierunt vobis ; confortamini et bellate!* [46] Sic omnes daemones audientes Christum natum; hinc quaerebant quomodo Christum perderent. Nacti autem occasionem adventus Magorum in Ierusalem clamantium et dicentium: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* [47] arcam hanc Domini cum Philisthiim capere sunt conati; tunc enim daemonum operatione *audiens . . . Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolyma cum ipso;* [48] sic per Herodem impium quaesivit impietatis pater, diabolus, perdere Christum infantem.

Sed quia ex divina dispositione Christus non in infantia, sed in aetate perfecta moriturus erat,

III. At vero, quoniam scriptum est: *Ne coquas haedum,* sive agnum, *in lacte matris suae,* [49] in figuram Christi, qui agnus et haedus est, agnus propter divinam innocentiam: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* [50] haedus propter *similitudinem carnis peccati:* [51] *Formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,* [52] *in similitudinem carnis peccati,* hinc Moyses agnum sive haedum sumi praecepit pro solemnitate paschali ad utrunque hoc mysterium insinuandum. Quoniam vero secundum divinam dispositionem Christus non in infantia moriturus erat, sed in aetate perfecta, qualis est agnus anniculus, idest qui iam annum explevit, [53] hinc ait: *Ne coquas haedum,* sive agnum, *in lacte matris suae,* idest dum adhuc illi lacte opus est, cum adhuc infans est. Christus est *Sol iustitiae,* [54] sol autem non mox ut ortus est occidit, sed suo tempore determinato, post duodecimam horam diei, completo iam die.

45) Lc 2, 10-14. Vulg.: *Atque dicentium : Gloria in altissimis,* etc. *In excelsis* ex Liturgia Ecclesiae. 46) 1 Rg 4, 6-9. Vulg.: *Arca Domini venit. . . Quis nos salvabit,* etc. 47) Mt 2, 2. 48) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Cum illo.* 49) Ex 23, 19; 34, 26; Dt 14, 21. Vulg.: *Non coques,* etc. 50) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 51) Rom 8, 3. 52) Phil 2, 7. 53) Cf. Ex 12, 5. 54) Mal 4, 2.

Apparuit itaque *Angelus Domini in somnis Ioseph dicens: Surge... accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum... futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.* Video hic quomodo Deus electorum suorum vitam variis fortunae nunc prosperae nunc adversae casibus, ad instar telae ex diversorum colorum filis intexit, quemadmodum virgae Iacob diversorum erant colorum et similiter eius greges, [55] sic vestis Ioseph, [56] sic pelles atque cortinae divini tabernaculi diversorum colorum erant, [57] sic velum operiens sancta sanctorum, [58] sic filiae regis David vestibus diversorum colorum induebantur, [59] sic etiam ipse Regius Vates de Ecclesia canit: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* [60] Sic quaelibet anima sancta est sicut columba illa de qua dicitur: *Pennae columbae deargentatae et posteriora... eius in pallore auri;* [61] sic: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus;* [62] sic ab initio mundi de quibusvis sanctis electis Dei nunc prospera, nunc adversa legimus: Abeli prosperitas fuit, quia respexit Dominus ad ipsum et ad ipsius munera, [63] sic fratris adversitas, quia a fratre persecutionem passus occisusque fuit; [64] prosperitas Noe salvari a diluvio, adversitas per annum integrum veluti in obscuro carcere manere [65] et a filio ignominiam pati; [66] prosperitas Abrahamo filium in senectute accipere, [67] adversitas dum illum sacrificare propriisque manibus iubetur occidere; [68] sic de omnibus sanctis multa legimus tum prospera tum adversa; ita et Christus hanc eandem legem subire voluit. Fuit prosperitas laudari ab Angelis, sed adversitas non habere locum in diversorio et in praesepio collocari; [69] prosperitas a matre lactari et vocari Salvatorem mundi, sed adversitas circumcidi; [70] prosperitas a Magis adorari, sed adversitas ab Herode ad mortem quaeri; [71] prosperitas in Ierusalem duci, templo praesentari, a Simeone et Anna prophetantibus collaudari, [72] sed adversitas ob Herodis persecutionem in Aegyptum fugere. [73] Sic miranda quadam varietate

Deus iubet ut Ioseph pueru met matrem eius tollat et in Aegyptum fugiat.

Deus electorum suorum vitam variis fortunis intexit.

55) Cf. Gn 30, 37-39. 56) Cf. ibid. 37, 3. 57) Cf. Ex 26, 1. 58) Cf. ibid. vr. 14. 59) Cf. 2 Rg 13, 18. 60) Ps 44, 10. 61) Ps 67, 14. 62) Ps 44, 15. 63) Cf. Gn 4, 4. 64) Cf. ibid. vr. 8. 65) Cf. ibid. 7, 1-8, 1 sqq. 66) Cf. ibid. 9, 20-25. 67) Cf. ibid. 21, 1-8. 68) Cf. ibid. 22, 1-10. 69) Cf. Lc 2, 7. 70) Cf. ibid. vr. 21. 71) Cf. Mt 2, 16. 72) Cf. Lc 2, 22-23. 73) Cf. Mt 2, 13-15.

Deus vitam sanctorum intexit; sic Christi Sanctissima Mater una cum eius sponso Ioseph immenso repleta gaudio fuit in Christi nativitate, in adoratione Magorum, in praesentatione templi; nunc autem summa replentur tristitia audientes Herodem quaerere puerum ad perdendum eum: *Surge... accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum. Surge* cito, ne dormias, *accipe puerum:* non inquit: filium tuum, sed *puerum : Puer natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum eius,* etc.;[74] *accipe puerum* qui infinitus thesaurus est, in quo sunt omnes divinitatis thesauri; *puerum et matrem eius :* non inquit: uxorem tuam, sed *matrem eius,* quia mater, sed virgo incognita viro: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel;*[75] *et matrem eius,* quoniam vere mater Christi fuit Sanctissima Virgo, vere eum concepit Spiritu Sancto fecundata,[76] vere in utero portavit, vere peperit, vere lactavit atque nutrivit.

Deus voluit Christum in Aegyptum fugere ut ab infantia pati inciperet.

IV. *Et fuge in Aegyptum.* Sed cur, quaeso, fugiendum Christo in Aegyptum fuit? Nunquid non potuit Deus mille aliis modis Filium suum de manu impii Herodis liberare? Non potuit Herodem omnesque inimicos Christi ad nihilum redigere? Sed quia non tantum hominem voluit Deus Filium suum fieri, sed etiam servum hominum apparere in forma servi, nec ad regnandum misit illum sed ad ministrandum, non ad gaudendum fruendumque bonis et gloria huius mundi, sed ad mille passiones sufferendas, crucem semper portandam et tandem in cruce moriendum, hinc voluit ut ab infantia tanquam purus homo pati inciperet persecutiones et pericula. Quare ad haec ostendenda voluit fuga in Aegyptum Filio suo consuli atque ad ostendendum licere iustis iniustas fugere persecutiones, sicut Moyses fugit a facie Pharaonis[77] et David a facie Saul,[78] Elias a facie Iezabel[79] et alii sancti prudenter mortales persecutiones declinaverunt.

Tandem ad multa mysteria Divinarum Scripturarum arcana atque recondita aperienda voluit Deus Filium suum fugere in Ae-

74) Is 9, 6. Vulg.: *Parvulus... natus,* etc. 75) Ibid. 7, 14. 76) Cf. Lc 1, 26-38.
77) Cf. Ex 2, 15. 78) Cf. 1 Rg 19, 11-12. 79) Cf. 3 Rg 19, 1-4.

gyptum, quod innuens Evangelista ait: Hoc autem factum est *ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.* [80] Descendit Israel a Palaestina in Aegyptum ad fugiendam mortem famis, [81] Christus vero similiter ad mortem fugiendam discedit a Iudaea pergitque in Aegyptum. Deinde ad ostendendas [82] rerum inversas vices, fore videlicet ut Aegyptus in spiritu sit illa Iudaea in qua notus est Deus, et Israel in quo magnum est Dei nomen, [83] et ablato regno Dei a Iudaeis datoque Gentibus, Iudaeam spiritu in impiam Aegyptum convertendam, destructa vinea Domini sabaoth. [84] En rerum inversas vices. Moyses enim ex Aegypto fugit in Palaestinam ut securus ibi maneret a persecutione Pharaonis; Christus vero, mysticus Moyses, e contra, fugit a Iudaea in Aegyptum ut ibi securus sit a persecutione Herodis et Iudaeorum, sicut idem Moyses a propria matre hebraea proiectus fuit in flumen et a filia Pharaonis aegyptia susceptus adoptatusque in filium. [85]

etiam ad multa Sacrarum Scripturarum mysteria aperienda

Fugit Christus in Aegyptum, ut adimpleatur quod dictum est: *Ascendet Dominus super nubem levem et ingredietur Aegyptum et commovebuntur simulacra Aegypti in medio eius,* [86] ut quoniam, nato Domino, Angelus dixit natum esse Salvatorem, [87] ostendere voluit Dominus quod si Iudaeos propter eorum impietatem salvare non potuerit, gentes se salvaturum esse, si non Iudaeam, Aegyptum saltem, sicut scriptum est: *In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti et titulus Domini iuxta terminum eius, et erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt autem ad Dominum a facie tribulantis et mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Aegypto et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa et colent eum in hostiis et... muneribus et vota vovebunt Domino et solvent.* [88] Ob id ergo voluit Dominus Christum in Aegyptum duci cum matre, sed a patre putativo, quia per praedicatores Evangelii, qui per Ioseph designantur, Ecclesia sancta, quae per Matrem Christi figuratur, una cum Christo

et vaticinia adimplenda,

80) Mt 2, 15. Vulg.: *Ut adimpleretur,* etc. 81) Cf. Gn 46, 1-26. 82) Ms.: *Ostendendam.* 83) Cf. Ps 75, 2. 84) Cf. Is 5, 1-7. 85) Cf. Ex 2, 1-10. 86) Is 19, 1. Vulg.: *Dominus ascendet... a facie eius,* 87) Cf. Lc 2, 10-11. 88) Ibid. vrr. 19-21. Vulg.: *Clamabunt enim,* etc.

ducta est in Aegyptum inter gentes, et quia olim Deus tanquam inimicus Aegyptiis multa intulerat mala: occidit primogenitos eorum, [89] misit tenebras trium dierum quibus obcaecati non viderunt solem, [90] misit contra eos noxia animalia grandinesque de coelo, fulgura et tonitrua [91] et tandem una cum Pharaone innumerabilem exercitum eorum perdidit in aquis maris Rubri; [92] nunc veluti reconciliari cum eis volens, loco primogenitorum mittit eis primogenitum suum, loco tenebrarum mittit solem iustitiae, pro noxiis animalibus mittit virgam Moysi devorantem serpentes, [93] et serpentem aeneum, [94] quod est antidotum contra omne venenum, pro grandinibus rorem coeli desuper ac pluviam salutarem, et tandem pro aquis perditionis dat eis salutarem aquam Baptismi.

et ut ostenderet se omnium gentium desiderare salutem.

Descendit Christus in Aegyptum pauper et humilis veluti alter Ioseph, ut iuxta divinam praeordinationem princeps fiat per fidem universae terrae Aegypti suaque sapientia prudentiaque divina Aegyptum universam a crudelissima famis septennis morte liberaret; [95] per Aegyptum enim mundus iste designatur, sed *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit,* etc. [96] Descendit in Aegyptum ut ostenderet se omnium pessimarum etiam gentium, quales erant Aegyptii, desiderare salutem: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus... Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere,* [97] nam Deus *vult omnes homines salvos fieri.* [98]

Vere iustus Ioseph hic ostenditur, qui simplici et sincera fide angelico credit oraculo

V. *Qui consurgens accepit puerum et matrem eius nocte et secessit in Aegyptum et fuit ibi usque ad obitum Herodis.* [99] Non immerito Ioseph dictus est *iustus: Ioseph autem vir eius cum esset iustus;* [100] duo enim vel maxime sunt quae hominem iustum numerisque omnibus absolutum reddunt, ex quibus Abraham patriarcha maxime commendatur: sincera fides et prompta ac diligens obedientia; [101] haec etiam duo in Noe iusto atque perfecto maxime commendantur,

89) Cf. Ex 12, 29. 90) Cf. ibid. 10, 21-23. 91) Cf. ibid. 8, 1-10, 1-15. 92) Cf. ibid. 14, 23 sqq. 93) Cf. ibid. 7, 10-12. 94) Cf. Nm 21, 7-8. 95) Cf. Gn 41, 25 sqq. 96) Io 3, 16. 97) 1 Tim 1, 15. 98) Ibid. 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 99) Mt 2, 14-15. Vulg.: *Et erat ibi,* etc. 100) Ibid. 1, 19. 101) Cf. Gn 15, 6; Rom 4, 3. 18; Hebr 11, 8-10.

nam Deo in omnibus et credidit et obtemperavit.[102] Sic modo Ioseph credit simplici ac sincera fide his quae dicuntur ab Angelo, nec scandalum ullum passus est ex iis quae prius audiverat puerum hunc Filium esse Dei de Spiritu Sancto conceptum, esse Christum redemptorem ac salvatorem mundi regemque summum et potentissimum imperatorem universi; nec delusum se putat magnis illis promissis, cum modo illi imponitur ab Angelo ut puerum accipiat et fugiat in Aegyptum; nec dicit: Quomodo hic Salvator est mundi, si seipsum de manu Herodis salvare minime potest? Aut quomodo Filius Dei infans est iste? Si Filius Dei est, potest utique illum Deus de manu Herodis liberare, sicut liberavit Moysen ac universum populum suum de manu Pharaonis, Danielem de lacu leonum, tres pueros de fornace ignis ardentis, Ezechiam et universam civitatem Ierusalem de manu Sennacherib, interfecto per Angelum una nocte universo exercitu impii tyranni, sicut una nocte per Angelum interfecit omnes primogenitos filios Aegyptiorum; simili modo potest nunc Deus puerum et matrem eius defendere, si vere pater pueri est. Quid ergo opus est in longinquam regionem abire, fugere in Aegyptum? Non respondent ultima primis. Nil horum cogitat iustus Ioseph, sed simplici ac sincera fide angelico credit oraculo[103] promptaque et diligenti obedientia, absque ulla mora iussa exequitur.

et prompta ac diligenti obedientia iussa exequitur.

Qui consurgens accepit puerum et matrem eius nocte, eadem qua Angelus in somnis illi apparuit, mox ut a somno evigilavit. Sicut Abraham de nocte surrexit ut divinum exequeretur mandatum de Isaac immolando,[104] sic Ioseph nocte consurgens accepit summa cum sollicitudine, relictis omnibus, puerum, thesaurum inaestimabilem ac infinitum. Sicut homo ille evangelicus, invento thesauro in agro, vendit omnia ut inventum thesaurum possideat, et mercator ille, inventa una pretiosa margarita, agit similiter;[105] ita Ioseph pro infinito hoc conservando thesauro et custodienda hac margarita maximi omnium, summi et infiniti pretii, omnia relinquit, sed statim, ut iussus fuerat, *consurgens accepit puerum et matrem eius;* re-

102) Cf. Gn 6, 9; Hebr 11, 7. 103) Ms.: *Oracula.* 104) Gn 22, 1-3.
105) Cf. Mt 13, 44-46.

liqua omnia tanquam vili ac nihili faciens reliquit, quoniam super omnia Christum diligebat.

O felices, qui sic Christum diligunt ut propter Christum omnia relinquant, nec nisi Christum volunt! Hoc solo thesauro contenti sunt et ne Christum amittant, cetera omnia perdere nihili pendunt divinisque inspirationibus parentes fugiunt a Iudaea, ubi Christus persecutionem patitur quaeriturque ad mortem, et in Aegyptum secedunt, ubi Christus securus manet, a nemine patitur persecutionem, a nemine odio habetur. Sic enim fugienda sunt pericula peccatorum et quaerenda est salutis securitas.

Secessit Christus a Iudaea in Aegyptum, sed nocte, in tenebris. Sicut enim sol a nostro hemisphaerio discedens noctem nobis relinquit et altero hemisphaerio lucem diemque antipodibus affert, ita Christus *Sol iustitiae*, nocte a Iudaeis discedit, quia noctem, tenebras caecitatis et ignorantiae, infidelitatis et perfidiae illis non credentibus, sed persequentibus et occidere volentibus, relicturus erat, Aegyptiis vero lucem verae fidei, iustitiae et gratiae allaturus est, sicut scriptum est: *Dedi te in lucem gentium.* [106]

Non sine mysterio mansit Christus in Aegypto usque ad obitum Herodis;

VI. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis,* qui Christum quaerebat ad perdendum ne regnum amitteret, in figuram diaboli a quo agitabatur Herodes, qui ob id Christum oderat ac perdere semper quaesivit, ne mundi principatum amitteret, sciens dictum sibi: *Ipse conteret caput tuum.* [107] Fuit ergo Christus in Aegypto inter gentes usque ad obitum Herodis tyranni, qui diaboli, sicut et Pharao, personam gerit, quia praefinitum est a Deo tempus miserandae captivitatis infelicium Iudaeorum, qui multo magis in spiritu servi sunt et captivi diaboli quam in carne servi ubique sint omnium: *Dies,* inquit, *multos sedebunt filii Israel sine rege... sine principe... sine altari... sine sacrificio... sine ephod et sine theraphim... Post haec revertentur filii Israel... in novissimo dierum.* [108] Sic Paulus ait: *Caecitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret.* [109] Noluit Christus regnante Herode

106) Is 49, 6. 107) Gn 3, 15. Vulg.: *Ipsa. Ipse* ex hebraico. 108) Os 3, 4 sq. Vulg.: *Sine sacrificio et sine altari,* etc. 109) Rom 11, 25-26. Vulg.: *Donec plenitudo,* etc.

in Iudaea manere, quia Deus et diabolus non possunt simul in eodem regno imperare: *Nemo potest duobus dominis servire;* [110] non potest una mulier uxor esse legitima duorum virorum, arca Dei noluit in eodem templo et altari manere cum idolo Dagon; [111] ignis et aqua, lux et tenebrae, nox et dies simul esse non possunt in eodem loco ac in eadem domo simul habitare.

Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum. Apud O s e a m sic legimus: *Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel, quia puer Israel et dilexi eum et ex Aegypto vocavi filium meum.* [112] Et littera quidem de populo israelitico loqui videtur, de quo Moysi dixit Deus: *Filius meus primogenitus Israel,* [113] et mittens Moysen ad Pharaonem dixit: *Dimitte filium meum ut sacrificet mihi in deserto;* [114] sed quoniam propter Christum eiusque fidem omnes electi dicuntur filii Dei: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes,* [115] propter idipsum populus ille dictus est filius Dei, quoniam ex illo populo Christus nasciturus erat et *omnia in figura contingebant illis,* [116] et sicut una eademque vox plura habet significata variaque et diversa significat, ita plane una eademque oratione plura significari possunt. Sic puteus ille celeberrimus in Divinis Scripturis, qui *Bersabee* dictus est, ob duplicem causam sic dictus est: et propter septem agnas quas pro eo Abraham dedit Abimelecho regi Geraris, et propter iuramentum quo ibi sibi mutuo pacem iurarunt, שֶׁבַע [117] enim Hebraeis utrunque significat, et s e p t e m et i u r a m e n t u m: *Septem... agnas,* inquit Abraham Abimelecho, *accipies de manu mea ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est puteus ille Bersabee, quia ibi uterque iuravit.* [118] Sic etiam cum Ieremias interrogatus a Domino quid videret, respondisset: *Virgam amygdalinam ego video* respondit Dominus: *Recte vidisti, vigilo enim ego;* [119] שָׁקֵד [120] enim Hebraeis et v i g i l a r e et a m y g d a l u m significat. Et Caiphae sententia illa: *Expedit...*

sic etiam in Scripturis de eo fuerat vaticinatum

110) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 111) Cf. 1 Rg 5, 2-8. 112) 11, 1. 113) Ex 4, 22. 114) Ibid. 5, 1; 7, 16. Vulg.: *Dimitte populum meum,* etc. 115) Ps 81, 6. 116) 1 Cor 10, 11. 117) Ms.: *Scebah.* 118) Gn 21, 30-31. Vulg.: *Vocatus est locus ille,* etc. 119) Ier 1, 11-12. Ex hebraico. 120) Ms.: *Scoked.*

ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat, [121] ostendit quam varios sensus una eademque oratio habere possit in Divinis Scripturis, quae a Spiritu Sancto procedunt, cum Evangelista dicat: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente.* [122] Sic ergo Divina Scriptura diversos habet sensus a Spiritu Sancto intentos.

Quamvis ergo mens Prophetae fuerit haec de Israelitico populo dicere, Spiritus tamen Sanctus, qui principalis est Scripturae auctor, de Christo principaliter intellexit, qui verus est Filius Dei. Sicut enim si quis imaginem videat filii regis diligentissime depictam aut sculptam, vere dicet: hic est filius regis, multo tamen verius idipsum dicet, viso vero filio regis in persona; populus autem Israel figura et imago quaedam Christi fuit et idcirco sub unius hominis forma proponitur: *Filius meus primogenitus Israel.* Christus enim verus Israel est, Angelis multo fortior, ille de quo dicitur: *Si contra Deum,* idest Angelum Dei, *fortis fuisti, quanto magis contra hominem praevalebis?* [123]

sub figura populi Israel in Aegypto captivi et inde liberati.

Etiam quoniam plura sunt in Christo, unde apud Ezechielem designatur per rotas, per quadriforme animal et per igneum hominem in throno sapphirino sedentem supra firmamentum [124] – multa, inquam, sunt [per] quae duodecim fidei articuli[125] designantur ac explicantur, – hinc per populum qui duodecim tribubus constabat, quarum nomina in duodecim lapidibus sculpta, simul collecta et per ordinem digesta pontifex in *Rationali* super pectus portabat. [126] Praefiguratus item Christus in toto populo fuit ad designandam eius fortitudinem, ob quam Deus dicitur *Dominus exercituum,* idest Dominus omnipotens, ipse solus per se facere potens id quod summus rex cum innumerabilibus potentissimisque exercitibus. Ob id Elias dictus est *currus Israel et exercitus,* sive *militia eius,* [127] sic enim hebraice est; Eliseus item sic dictus a rege Israel fuit. [128] Quod si populus Israel potentissimus fuit ad debellandos omnes populos Palaestinos et Chananaeos, [129] multo potentior Christus ad debel-

121) Io 11, 50. 122) Ibid. vr. 51. Vulg.: *Quod Iesus moriturus erat,* etc. 123) Gn 32, 28. Vulg.: *Contra homines praevalebis.* 124) Cf. 1, 5 sqq.; 10, 1 sqq. 125) Ms.: *Articulos.* 126) Cf. Ex 28, 17-21. 127) 4 Rg 2, 12. 128) Cf. Ibid. 13, 14. 129) Cf. Ios 12, 1 sqq.

landas omnes diabolicas potestates, et sicut populus ille regnum erat sacerdotale,[130] sic Christus rex et sacerdos.

Tandem, quia omnes electi membra sunt Christi et universa fidelium omnium Ecclesia corpus est Christi. De Christo ergo principaliter dicitur: *Puer Israel et dilexi eum et ex Aegypto vocavi filium meum :* puer et filius: *Puer natus est nobis et filius datus est nobis ;*[131] puer dilectus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ;*[132] ex Aegypto eduxi filium meum per desertum in terram promissionis, ex mundo per passionem et mortem, quae mare Rubrum desertumque asperrimum fuit, in gloriam coelestis paradisi; et sicut Israel in Aegypto multas gravesque passus fuit persecutiones, ita Christus in hoc mundo, *et omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur.*[133]

VII. *Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde et mittens occidit omnes pueros qui erant in*, etc.[134] Ecce impius Pharao qui in Hebraeorum desevit infantes, leo lupusque in agnos. *Videns* quod *illusus esset a Magis.* Putavit forte prius, videns non reverti ad ipsum, Magos esse delusos, sicut saepe deluduntur astrologi ex astrorum aspectibus, futurorum divinatores ac prognosticatores; attamen, sparsa per civitatem voce vaticiniorum Simeonis iusti et Annae prophetiae spiritu plenae, cum Dominus quadragesima nativitatis die iuxta legem praesentatus fuit in templo,[135] hinc cognoscere potuit Herodes non Magos fuisse delusos, sed se illusum a Magis existimans, *iratus est valde,* magna ira excanduit, magno efferbuit furore, et *mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.*[136] O cor satanicum! o consilium diabolicum! *Mittens occidit omnes pueros !* Quid pueri isti peccaverunt, Herodes? Sed diabolus omnis puritatis inimicus, ut illum puerum, qui omnis erat puritatis auctor, de medio tolleret, hoc in impium cor Herodis immisit consilium: *Mittens occidit omnes pueros,* illo suggerente qui *homicida erat ab initio.*[137]

Herodes illusum se videns, omnes pueros in Bethlehem occidi mandat, ut hunc unicum puerum de medio tollat.

130) Cf. Ex 19, 6. 131) Is 9, 6. 132) Mt 17, 5. 133) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Qui pie volunt... patientur.* 134) Mt 2, 16. 135) Cf. Lc 2, 22-38. 136) Mt 2, 16. 137) Io 8, 44.

Et quidem Deus summus est innocentiae et puritatis amator, quoniam suapte natura purissimus ipse et innocentissimus est, *Deus* enim *lux est et tenebrae in eum non sunt ullae;* [138] ipse est sol in quo nulla videtur aut reperitur macula uti in luna; hinc *lucem habitat inaccessibilem;* [139] hinc *vestimentum eius candidum* est *quasi nix et capilli ... eius sicut lana alba;* [140] hinc locus habitationis eius dictus est sanctum sanctorum, et propitiatorium, quod erat thronus ipsius, ex auro erat purissimo, similiter et cherubim, in quorum medio sedebat, ex auro erant purissimo; [141] hinc Angelos creavit in coelo innocentissimos, similiter et homines in terra summa innocentia praeditos; hinc homines quo sunt innocentiores ac purioris animi, eo sunt ei cariores ac gratiores; hinc Christus innocentissimus – unde *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix,* [142] – super omnes homines Angelosque illi est carus, quoniam super omnes homines Angelosque innocens est, quem Deus diligit sicut seipsum, aequali caritate, quoniam illi aequalis est in innocentia et puritate: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

a diabolo instigatus, qui est summus innocentiae osor, sicut Deus est innocentiae summus amator.

Diabolus autem, qui Deo contrarius est, sicut terra mater omnium tenebrarum et noctis soli, qui pater est omnis lucis et auctor diei, summopere odit hanc puritatem et innocentiam, quam Deus tantopere diligit. Hinc factum est ut Herodes omnes occideret pueros in Bethlehem, nec tantum in Bethlehem, sed etiam *in omnibus finibus eius, secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Exquisivit Herodes a sacerdotibus et scribis locum nativitatis Christi, a Magis vero tempus; sed sicut locum ampliavit, ita ampliavit et tempus: sacerdotes et scribae dixerunt quod in Bethlehem nasciturus erat Christus, [143] ipse vero non tantum in Bethlehem, sed etiam *in omnibus finibus eius* iussit occidi infantes ad abundantiorem cautelam. Sic tempus quoque ampliavit occidens non tantum pueros recens natos, sicut Christus recens natus erat, sed *a bimatu et infra,* ut si forte grandiori corpore Christus natus esset aut forte multo natus esset priusquam stella apparuisset Ma-

138) 1 Io 1, 5. Vulg.: *Tenebrae in eo, etc.* 139) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat inaccessibilem.* 140) Dn 7, 9. Vulg.: *Quasi lana munda.* 141) Cf. Ex 25, 17-22. 142) Mt 17, 2. 143) Cf. Ibid. 2, 4-6.

gis, propterea occidit omnes bimulos: *A bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis,* sicut in Bethlehem secundum locum quem a sacerdotibus et scribis populi sciscitatus fuerat. Sic prudentia carnis, quae *inimica est Deo* [144] et diaboli filia est, persuasit Herodi ut securius in regno viveret.

Secundum primariam intentionem his verbis Ieremias de captivitate israelitici populi loquitur.

VIII. *Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos et noluit consolari quia non sunt.* [145] Non dicit Evangelista factum hoc esse ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam, sed *tunc adimpletum est,* quoniam ibi Vates proprie et secundum primariam intentionem non de hoc infanticidio locutus fuit, sed de captivitate regni israelitici, [146] hoc est decem tribuum per Salmannasar et Theglathphalasar reges Assyriorum. [147] Quoniam vero inter decem has tribus Ephraim principalis erat, unde primus rex Israel Ieroboam de tribu Ephraim fuit, [148] hinc saepe regnum Israel nomine Ephraim in Divinis Scripturis designatur, [149] quoniam haec princeps tribus erat. Ephraim autem filius fuit Ioseph, [150] qui natus ex Rachele fuit, [151] hinc Deus Rachelem matrem consolatur tanquam tristem ob necem et captivitatem filiorum suorum: *Haec dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari... quia non sunt. Haec dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur de terra inimici; et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii ad terminos suos. Audiens audivi Ephraim transmigrantem.* [152] Et post pauca: *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius; idcirco conturbata sunt viscera mea super eum; miserans miserebor eius, ait Dominus.* [153]

Divinus ergo Vates secundum primariam intentionem ibi non est locutus de isto infanticidio, sed quoniam praeter sen-

144) Rom 8, 7. 145) Mt 2, 17-18. 146) Cf. Ier 31, 15. 147) Cf. 4 Rg 15, 29; 17, 1-23. 148) Cf. Ibid. 11, 26; 12, 20. 149) Cf. Eccli 47, 29; Is 7, 2-9; 11, 13; Ier 31, 18; Os 5, 5. 150) Cf. Gn 41, 52. 151) Cf. Ibid. 30, 22-24. 152) Ier 31, 15-18. 153) Ibid. vr. 20.

sed quoniam multiplex est sensus S. Scripturae,

sum litteralem, qui principalis est, datur etiam spiritualis et mysticus in eo contentus atque reconditus secundum mentem et intentionem Spiritus Sancti, qui principalis est auctor Divinarum Scripturarum, veluti in parabolis et allegoriis, secundum quem dicitur: *Ex Aegypto vocavi filium meum.* Et praeter hunc, etiam datur sensus litteralis quidem, sed accommodatitius ob analogiam et similitudinem rerum, secundum quam Ioannes Baptista dictus est Elias,[154] non quod vere esset Elias, sed quod similis illi esset. Sic etiam Christus in Divinis Scripturis dictus est *David*, E z e c h i e l e 34[155] et O s e e 3,[156] quia veluti alter David fuit homo secundum cor Dei et rex supernae Ierusalem.[157] Sic cum filium aliquem videmus a patre summopere dilectum, dicimus quod est Beniamin illius; sic quod Dominus Petro ait: *Tibi dabo claves regni coelorum*, etc.,[158] quamvis id Christus personaliter Petro dixerit et non successoribus eius, successoribus tamen vere convenit secundum litteralem sensum accommodatitium; sic quod Dominus Apostolis ait: *Quaecunque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelo et quaecunque solveritis*, etc.;[159] itemque: *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata*, etc.,[160] omnibus Episcopis et catholicis sacerdotibus secundum hunc sensum convenit. Ita, inquam vaticinium hoc infanticidio praesenti accommodatur, quoniam simile quid fuit, similis planctus similesque ploratus vocesque flebiles, quemadmodum quicquid in laudem cuiusvis virtutis legimus in Divinis Scripturis, accommodamus in laudem et encomium cuiusvis sancti, qui tali fuerit praeditus virtute; non quod Divina Scriptura de quovis, cui laudes illas applicamus, specialiter ac secundum primariam intentionem locuta sit, sed quia laus illa vere competit cuicunque virtute illa sit praeditus.

litterali sensu accomodatitio verba Prophetae infanticidio praesenti applicantur.

Ait ergo: *Vox in Rama, in excelso audita est*, sed *vox lamentationis, ploratus et ululatus:* balabant oves quoniam occidebantur agni. Bone Deus, quale fuit istud spectaculum! quam flebile, quam lacrimabile! Dicant qui materna viscera noverunt. David rex cum multos haberet filios, videns tamen [morientem] puerum, quem ei

154) Cf. Mt 11, 14; 17, 10-12. 155) Vr. 24. 156) Vr. 5. 157) Cf. 1 Rg 13, 14. 158) Mt 16, 19. 159) Ibid. 18, 18. Vulg.: *Quaecunque alligaveritis.* 160) Io 20, 22-23.

ex adulterio pepererat Bethsabee uxor Uriae, multum afflictus fuit, ieiunavit, flevit prostratusque in terram Dominum pro vita et salute infantis deprecatus fuit cogentibus paternis visceribus;[161] et pro morte impii ac scelestissimi Absalom filii nimium contristatus amarissime flevit,[162] similiter in morte filii sui Amnon;[163] Iacob etiam patriarcha multo tempore filium suum Ioseph, quem mortuum credebat, inconsolabiliter flevit.[164] Quid ergo hodie egerint infelices matres, quarum molto sunt dulciora ac teneriora viscera, quid egerint, inquam, suis oculis videntes[165] carissimos filios crudelissime necari atque occidi? O fletus! o lacrimae! o eiulatus! o voces atque clamores in coelo usque ascendentes!

Hoc scelere perpetrato, incipit Herodis infelicitas.

IX. *Vox in excelso audita est, ploratus et ululatus multus Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari.* Sed non tantum audita vox ista in excelso fuit, verum etiam exaudita a Deo contra Herodem impium, non hominem sed lupum immanem, dirum ac truculentum tyrannum, execrandae impietatis horribile monstrum. Siquidem Herodes, furia haec infernalis ac pessima fera, post tale tantumque talis tantaeque crudelitatis facinus, in multas gravesque incidit calamitates; ex florentissimo ac felicissimo factus infelicissimus, adeo ut miserandis confectus aerumnis morbisque gravissimis correptus, infelicissimam tandem ac perditissimam efflaverit animam, ut refert Iosephus 17 *Antiquitatum* libro,[166] et libro 2 *Belli Iudaici*,[167] et Eusebius *Historia Ecclesiastica*, libro 1.[168] Sic infeliciter mortuus fuit Pharao qui Hebraeorum in Aegypto necavit infantes,[169] Abimelech qui fratres septuaginta occidit,[170] Saul qui innocentes sacerdotes interfecit cum omnibus filiis et universa eorum civitate,[171] similiter et Athalia quae omne semen regium perdidit[172] et impia Iezabel quae Eliam omnesque prophetas Domini persequebatur;[173] sic Antiochus ille scelestissimus infelicissima morte ex hu-

161) Cf. 2 Rg 12, 15-16. 162) Cf. ibid. 18, 33. 163) Cf. ibid. 13, 28-31. Ms.: *Amon*. 164) Cf. Gn 37, 33-35. 165) Ms.: *Ventes*. 166) Cp. 8-10, pag. 347-355. 167) Iuxta nostram editionem, lib. 1, cp. 32-33, pag. 117-121.
168) Cp. 8, (P. G. 20, 99-106). 169) Cf. Ex 1, 8-16; 14, 23 sqq. 170) Cf. Idc 9, 1 sqq. 171) Cf. 1 Rg 22, 6-19. 172) Cf. 4 Rg 11, 1-16; 2 Par 22, 10; 23, 12-15. 173) Cf. 3 Rg 19, 1-3; 4 Rg 9, 30 sqq.

manis excessit ob suam impietatem qua populum Dei dire persecutus fuit.[174]

Herodes typum gerit principum qui nonnisi ex emolumento aliquo religionem profiteri fingunt.

Herodes iste ante Christi nativitatem ad Iudaismum conversus, pietatem non modicam erga Deum praeseferebat, siquidem templum illud Ierosolymis augustissimum, quod Apostoli cum admiratione Christo ostenderunt[175] *quod bonis lapidibus et donis ornatum esset,*[176] dicente uno ex discipulis Domino: *Magister, aspice quales lapides et quales structurae!*[177] ab ipso fuit magnificentissime summis cum expensis constructum, ut refert Iosephus libro 15 *Antiquitatum* capite 14[178] et libro *Belli Iudaici* 6.[179] Sed qui Deo templum manu factum construxit, templum non manu factum vivumque destruere voluit, Christum Dei Filium, Dei sacratissimum templum, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis,*[180] occidere quaerens. Haec multorum mundanorum principum est in Deum pietas et religio: Deum colere, sed in gratiam hominum; sic enim Herodes in gratiam Iudaeorum templum aedificavit, sicut in gratiam Caesaris, quem tanquam deum colebat, multa templa, turres civitatesque construxit. Sic multi principes Herodi similes eatenus Deum colunt quatenus ex religione vel emolumentum aliquod vel honorem gloriamque apud homines, laudem pietatis, nominis celebritatem famamque et existimationem expectant, cum alioqui non alium Deum colant quam regni gloriam regiamque dignitatem. Quod si ab ipsa religione et pietate in Deum a diabolo excaecati damnum sibi metuant vel expectent, omni tum religione tum pietate violata, imo conculcata Deitate, regnum suum omni qua possunt via firmare student ac cuiusvis impietatis satagunt stabilire columnis. Sic impius Ieroboam factus rex Israel, metuens sibi a pietate populi defectionem coronaeque amissionem si populus iret in Ierusalem ad Dominum adorandum, idola construxit aureosque vitulos in Bethel erexit dicens: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.*[181] Sic impius Herodes, dum Christum regem Iudaeorum natum audit, turbatur valde coronam sceptrumque regni timens amittere, hinc omni pietate spreta, omni religione violata Deitateque conculcata,

174) Cf. 1 Mach 6, 1-16. 175) Cf. Mt 24, 1. 176) Lc 21, 5. 177) Mc 13, 1. 178) Iuxta nostram editionem, cp. 15, pag. 256-261. 179) Iuxta nostram editionem, lib. 5, cp. 4-5, pag. 378-389. 180) Col 2, 9. 181) 3 Rg 12, 28. Vulg.: *Ecce dii tui*, etc.

contra omnem iustitiam et pietatem, summa cum impietate et saevitia sanctos pueros innocentissimosque infantes occidit, ignorans quod contra Deum *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium*,[182] quod umbra terrae non potest solem eclipsare, quod gutta aquae non potest magnam fornacem ardentissimumque ignem extinguere, quod homo Deo comparatus nihil est, quamvis maximus sibi esse videatur.

O felicem Herodem, si una cum Magis Christum quaesivisset inventumque adorasset et adoratum sacris muneribus affecisset! Herodes hodie typum gerit tyrannorum omnium, qui Christum persecuti sunt, et praecipue ipsius diaboli, cuius instinctu omnes tyranni persecuti sunt Christum; innocentes vero typum gerunt omnium Christi Martyrum, qui ob Christi fidem innocentissime ac iniustissime summaque cum impietate, saevitia et crudelitate occisi sunt. Nec Christus occidi potuit aut nomen gloriae divinitatisque eius extingui.

ALIA HOMILIA

Celebrantur tria haec festa ad significandum tria requiri ad salutem.

I. Celebrantur, post natale Domini, tria haec festa: Sancti Stephani, Sancti Ioannis et Sanctorum Innocentium, primo quidem, ad ostendendum Christum natum esse regem gloriae paradisi, ad quam Stephanus per martyrium volavit et in qua Christum in terris adhuc positus vidit stantem ad dexteram Dei: *Cum ... esset*, inquit, *plenus Spiritu Sancto ... vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris virtutis Dei*,[1] tanquam regem gloriae huius; secundo, ad ostendendum eum esse fontem gratiae, qua ex divina caritate plenus fuit Ioannes, *discipulus ille quem diligebat Iesus;*[2] et tertio, hunc natum Christum auctorem esse naturae, sed innocentis, quales fuerunt innocentes pueri et per consequens Christum ipsum in mundo natum fuisse semper beatissimum, sanctissimum et innocentissimum. Cum enim venerit ad salvandum mundum, tria haec ad salutem necessaria sunt: gloria, gratia et innocentia, puritas immacu-

182) Prv 21, 30.

1) Act 7, 55. 2) Io 21, 7.

lata munditiesque cordis et conscientiae ab omni vitio et macula peccati, gratia Spiritus Sancti in virtutibus, donis et beatitudinibus consistens, et gloria, quae tribus animae dotibus et quattuor corporis constat, sine quibus homo perfecte beatus minime potest esse. Ob id ergo celebratur primo festum coronae gloriae, cum portae paradisi ostenduntur apertae, secundo, festum gratiae caritatisque divinae et tertio, festum immaculatae puritatis et innocentiae.

ad ostendendum etiam quomodo Christus salvaturus erat mundum

Adhuc autem celebrantur tria haec festa ad ostendendum quomodo Salvator iste salvaturus erat mundum, videlicet per martyrium, per passionem et mortem corporis sui occisus tanquam Stephanus ob confessionem et praedicationem veritatis.[3] Quoniam vero ut passio haec infiniti esset meriti pro totius mundi salute necessaria erat magna caritas et gratia, sine qua nullum est meritum, et adhuc summa innocentia ut nullum haberet peccatum propter quod ipse quoque reus esset mortis, ob id post festum martyrii et passionis, celebratur festum caritatis et gratiae, itemque festum puritatis et innocentiae. Nisi enim Christus summa innocentia ac summa gratia praeditus fuisset, summam Dei gratiam summamque gloriam nobis mereri minime potuisset, soli enim, ut noctem convertat in diem, immaculatus candor et copiosissima lux necessaria est.

et quinam sunt qui salutem consequuntur.

Tandem ad ostendendum quinam sunt qui a Salvatore isto salutem consequuntur, cum non omnes salventur: *Positus* enim *est ... in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel,*[4] quod non salvantur nisi electi Dei, imo martyres Dei, sic enim Dominus ait filiis Zebedaei petentibus regni primatum: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?*[5] quasi nonnisi martyribus dari possit ex divina praeordinatione gloria regni coelestis.

Triplex est genus martyrii.

II. Est autem triplex genus martyrii: vel affectus et effectus simul, vel affectus tantum, vel tantum effectus. Primum fuit Stephani, secundum Ioannis, tertium Innocentum. Stephanus martyr fuit voluntate et opere; Ioannes voluntate tantum non opere, cum

3) Cf. Act 6, 9 sqq. 4) Lc 2, 34. 5) Mt 20, 22.

noluerit Christus eum per martyrium cum Petro consummari;[6] Innocentes opere tantum non voluntate, martyres tamen vere sunt, quoniam propter Christum mortui et occisi sunt tanquam agni Deo in sacrificium immolati, sicut in lege mane in solis ortu offerebantur Domino duo agni in iuge sacrificium.[7] Agnus innocentiam designat, numerus binarius multitudinem, sol Christum, dies vitam Christi in mundo, nam ait: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi; me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est;* nam *venit nox quando nemo potest operari,*[8] idest mereri vel demereri post mortem. Sic duo hi agni, multi innocentes in solis ortu immolati sunt Deo in sacrificium iuge loco Christi, qui in tali aetate occidi non potuit, quoniam scriptum est: *Ne coquas haedum* vel agnum, *in lacte matris suae.*[9] Sicut autem infantibus prodest Baptismus fluminis, ita Innocentibus hisce profuit Baptismus sanguinis ex Christi gratia.

Hi ergo trium generum martyres sunt qui salvantur: vel martyres affectu et effectu ut Stephanus, vel affectu ut Ioannes, vel effectu tantum ut Innocentes, veluti qui, etsi non cupiant aut desiderent pati, non tamen resistunt, sed patienter sustinent mala propter Christum; vel, ut clarius dicam, tria fidelium genera salvantur: martyres Christi omnes ut Stephanus, quibus ianuae coeli aperiuntur, sancti qui nimia caritate et gratia pleni sunt ut Ioannes, vel saltem innocentes qui sine peccato mortali ex hac vita decedunt. Haec sunt illa tria posita ante portam paradisi, postquam inde ob peccatum homines eiecti fuerunt: cherubim, flamma ignis et gladius versatilis; hic enim martyrium designat, flamma ignis caritatem, et cherubim, qui tanquam pueruli pinguntur, designant innocentiam.

Indicat autem solos fideles qui martyres fuerint posse salvari.

Sic una harum trium viarum salutem consequi possumus, saltem per innocentiam, quam quidem servantes primi parentes paradisum possederunt. Haec summe necessaria est ad salutem, quoniam scriptum est[10] quod in supernam civitatem Ierusalem non introibit aliquid coinquinatum;[11] sic Ioannes vidit in coelo Christum super

Innocentia summe necessaria est ad salutem.

6) Cf. Io 21, 22. 7) Cf. Ex 29, 38; Nm 28, 3. 8) Io 8, 4-5. Ordine inverso affert hos vrr. 9) Ex 23, 19; 34, 26; Dt 14, 21. Vulg.: *Non coques*, etc. 10) Ms.: *Est* bis ponitur. 11) Cf. Apc 21, 27.

equum album, et omnes, inquit, *exercitus qui sunt in coelo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo.* [12] Deus autem voluit ut omnes sacerdotes suis tunicis albis byssinisque induti ministrarent ei; [13] omnes autem electi spirituales sunt sacerdotes corda sua Domino sacrificantes, sic enim aiunt: *Redemisti nos,* Domine Deus, *in sanguine tuo . . . et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* [14] Hi autem omnes qui sic Christo dicunt, amicti sunt stolis albis: *Vidi,* inquit, *post haec turbam magnam quam dinumerare nemo poterat . . . stantes ante thronum* Dei *in conspectu Agni, amicti stolis albis et palmae in manibus eorum.* [15] Sic Angeli in vestibus albis apparuerunt post Christi resurrectionem [16] et ascensionem, [17] quia in coelo nonnisi summus candor est innocentiae.

Multa sunt symbola innocentiae in S. Scriptura.

Delectatur supra modum Deus puritate et innocentia, hinc iubebat agnos immaculatos iugi sacrificio sibi perpetuo offerri, agnus autem symbolum est ac hieroglyphicum innocentiae; nec permittebat sacerdotes accedere ad sacra facienda nisi prius lavissent manus et pedes, [18] nam manuum etiam ablutio symbolum est innocentiae, sicut R e g i u s V a t e s ait: *Lavabo inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum, Domine.* [19] Sic iubebat Deus ut seniores civitatis, iuxta quam repertum fuisset cadaver occisi hominis, ignorato caedis auctore, lavarent manus suas super vitulam quae sacrificanda erat Deo; [20] sic etiam Pilatus lavit manus suas dicens: *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* [21] Designatur etiam innocentia per hominem nudum; nam quandiu Adam innocens fuit nudus permansit absque ulla erubescentia; [22] post peccatum vestitus pellibus fuit, peccatum enim operimentum quaerit. Symbolum etiam innocentiae illibata virgo, qualis fuit unica filia Iephte Deo sacrificata, [24] qualis fuit Eva in paradiso ante peccatum.

Mirum quod Christus Deus

III. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge . . . accipe puerum et matrem eius . . . futurum est enim ut Herodes,* etc. [25] Duo habemus in sacrosancto hodierno Evangelio: fugam Chri-

12) Ibid. 19, 14. 13) Cf. Ex 28, 40 sqq. 14) Apc 5, 9-10. 15) Ibid. 7, 9. Vulg.: *Post haec vidi,* etc. 16) Cf. Mt 28, 2-3; Mc 16, 5; Lc 24, 4. 17) Cf. Act 1, 10. 18) Cf. Ex 30, 18-21. 19) Ps 25, 6. 20) Cf. Dt 21, 1-9. 21) Mt 27, 24. 22) Cf. Gn 2, 25. 23) Cf. Ibid. 3, 6-7. 24) Cf. Idc 11, 34-39. 25) Mt 2, 13.

sti in Aegyptum et martyrium Sanctorum Innocentium in Bethlehem, utrunque autem magna admiratione dignum videtur. Primum, quod Christus fugiat persecutorem hominem qui Dominus est Angelorum. Omnis enim qui fugit inimicum, vel fugit ob impotentiam, eo quod non possit potentiori inimico resistere, sicut David fugiebat a facie Saul,[26] Elias a facie Iezabel,[27] Moyses a facie Pharaonis;[28] vel ob animi vilitatem, qua non audet inimico resistere, sed animi impotentia victus fugit; vel tandem timens mortis periculum, quoniam mors reputatur ultimum terribilium.[29] Christus autem cur fugit? An non ipse Deus est potentissimus, qui propterea in Divinis Litteris dicitur *Dominus exercituum*, idest omnem excedens potentissimorum sive terrestrium sive coelestium exercituum potentiam, sicut sol astrorum omnium infinitis gradibus lumen? Ipse etiam leo est, fortissimo corde praeditus, sicut de David legimus: *Cuius cor est quasi leonis*,[30] hinc Deus *leo* dicitur in Scripturis: *Leo rugiet, quis non timebit?*[31] et de Christo legimus: *Vicit leo de tribu Iuda.*[32]

hominem persecutorem fugiat,

Sed nimius erga nos amor Christum Deum hominem fecit impotentem ac debilem, passibilem et mortalem, ex leone agnum; sic fugit hodie Herodem sicut ovis lupum, agnus leonem, lepus canem. Sed si venit ad salvandum nos morte et sanguine suo, quomodo fugit mortem? Quoniam ad salutem nostram requiritur etiam nostra cooperatio, nam « qui creavit te sine te, non salvabit te sine te »;[33] requiritur fides: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;*[34] *Sine fide... impossibile est placere Deo;*[35] requiritur Baptismus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;*[36] requiruntur bona opera, nam: *Omnis ... arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*[37] Ad fidem requiritur praedicatio et miraculorum operatio, ad Baptismum institutio Sacramentorum, ad

sed sic agit ut ostendat ex amore nostri se impotentem effectum

26) Cf. 1 Rg 19, 11-12. 27) Cf. 3 Rg 19, 1-4. 28) Cf. Ex 2, 15. 29) Aristoteles *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20. 30) 2 Rg 17, 10. 31) Am 3, 8. 32) Apc 5, 5. 33) S. Augustinus, serm. 170, cp. 11. (P. L. 38, 923). 34) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum.* 35) Hebr 11, 6. 36) Io 3, 5. 37) Mt 3, 10.

et ut esset exemplar nostrum.

bona opera requiritur exemplum, nam magis movent exempla quam verba. Ut igitur Christus posset Evangelium praedicare, miracula operari, Sacramenta instituere, virtutum exempla dare, nam datus est nobis in exemplum: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius ;* [38] *Exemplum... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci... ita et vos faciatis,* [39] hinc Deus ait: *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi... monstratum est,* [40] propterea hodie infans mortem fugit et quia nondum venerat hora et tempus mortis suae praefinitum a Patre. [41]

Deus sinit infantes innocentes ab Herode occidi,

IV. Mirabile etiam est quod innocentes infantes talem tantamque passi sunt persecutionem ab impio Herode, agni a lupo. An non Deus pastor est, imo pater omnium? Quomodo sinit pastor agnos suos a lupo occidi, pater filios suos in oculis suis ab inimico trucidari? An non potuit Deus ab Herodis ira atque potentia defendere innocentes? Quomodo ergo tale tantumque facinus, tale tantumque inhumanitatis ac ferinae crudelitatis monstrum permisit? Herodem sceleratissimum hominem regem constituit maximaque gloria et felicitate donavit, nedum longitudine vitae; infantes autem innocentissimos ac immaculatissimos vita privavit.

ut ostendat vera bona non in terra quaerenda esse,

Sed praeter temporalia bona et mala, creavit etiam Deus aeterna in praemium virtutum et supplicium vitiorum. Nunc Sancti Innocentes perfruuntur sempiternis bonis cum sanctis Angelis in paradiso, Herodes autem ad instar epulonis [42] aeterna patitur cum daemonibus supplicia in inferno. Non magni facit Deus bona mundi huius, quoniam vana sunt et ipsissima vanitas, hinc S a p i e n s ait expertus: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas... vanitas et afflictio spiritus.* [43] Hinc Christus bona mundi huius, divitias, dignitates, voluptates, minime elegit, sed potius mala, paupertatem, humilitatem, poenas, passiones et mortem, ita ut non sint haec mala tam magna quam mundus existimat. Non magnum malum mors, nam Elias mori desideravit [44] et R e g i u s V a t e s aiebat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est ;* [45] *Pretiosa in conspectu Domini mors sancto-*

38) 1 Petr 2, 21. 39) Io 13, 15. 40) Ex 25, 40. 41) Cf. Io 7, 30.
42) Cf. Lc 16, 19 sqq. 43) Eccle 1, 2. 14. 44) Cf. 3 Rg 19, 4. 45) Ps 119, 5.

rum eius.[46] Divus Paulus mori cupiebat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo;*[47] Divus Ignatius martyrium ardentissime sitiebat;[48] Christus ipse summopere desiderabat mori;[49] sic Beatus Andreas;[50] omnes Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*[51]

Dedit ergo Deus hodie Sanctis Innocentibus bonum valde desiderabile ipsis etiam Angelis, si possibile esset. Et quis non libentissime daret ad usuram principi centuplum, imo millecuplum reddenti? Vitam accepit temporalem hodie Deus et sempiternam dedit. O qualem usuram! Reperit veluti pretiosissimas gemmas in terra, abstulit eas inde ne conculcarentur a porcis[52] et in thesauris suis eas reposuit; vidit pulcherrimos flores in horto Ecclesiae, legit eos ut coelestem paradisum eis ornaret. Magnam gratiam, ineffabile beneficium contulit hodie Deus Innocentibus his, quoniam minimo negotio, absque ullo labore ereptos a potestate diaboli, antequam ulla salutis pericula experirentur, antequam pugnam inciperent, nam: *Militia est vita hominis super terram,*[53] corona sempiternae gloriae eos donavit.

his innocentibus enim pro morte temporali vitam aeternam reddit.

Martyrium Innocentum imago fuit passionis Christi; quilibet innocens imago Christi extitit. Nato aliquo principe, ab excellentissimo pictore multae fiunt naturales eius imagines, quae ad alios principes et nobiles destinantur; sic hodie, nato Christo, multae depictae sunt eius imagines in albo innocentiae colore sanguinis et penicillo gladii. Aperit etiam hodiernum mysterium, quod Christus venit in hunc mundum pro salute spiritus non carnis, animae non corporis; pereat caro ut spiritus salvus fiat.

Martyrium Innocentium imago fuit passionis Christi.

V. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge... accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum... futurum est enim ut,* etc. Habemus in hisce verbis Ioseph servatorem innocentis infantis Christi et Herodem persecutorem. Ioseph putatus Christi pater, Dei figuram gerit, qui verus est pater Christi: *Ex Aegypto*

Ostenditur hodie quantum innocentia Deo placeat et diabolo displiceat.

46) Ps 115, 15. 47) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi*, etc. 48) *Epistola ad Romanos* (P. G. 5, 690); S. Hieronymus *De Viris Illustribus*, cp. 16, (P. L. 23, 633-635). 49) Cf. Lc 12, 50. 50) Cf. *Acta et Martyrium S. Andreae Apostoli*, (P. G. 2, 1238-1243). 51) Act 5, 41. 52) Cf. Mt 7, 6. 53) Iob 7, 1.

vocavi filium meum; [54] at Herodes diaboli typus est, qui inimicus capitalis est Christi. Ostenditur ergo in hodierno Evangelio quod innocentiae Deus fautor est et servator, diabolus autem persecutor et perditor: *Futurum est* ut Herodes minister diaboli *quaerat puerum ad perdendum eum.* [55] Placet summopere innocentia Deo, displicet autem diabolo, sicut lux solis placet aquilae et displicet noctuae. Deus aquila est, avium regina, diabolus autem noctua, avium turpissima et infelicissima. Deus innocentia et puritate summopere delectatur, quoniam innocentissimus est, imo ipsamet innocentia, sicut sol lucidissimus et ipsamet lux, ignis calidissimus et ipsemet calor. Divinum propitiatorium, quod totum aureum erat et divinam maiestatem referebat, positum erat inter cherubim in sancto sanctorum; cherubim autem erant tanquam aurei pueri, [56] in signum quod cum Deo in paradiso nonnisi purissimi et innocentissimi spiritus remanserunt, omnes autem peccatores angeli pulsi fuerunt e coelo. [57] Coelum sedes est puritatis et innocentiae: *Sinite parvulos venire ad me... talium est enim regnum coelorum;* [58] *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* [59]

Deus innocentiae est auctor, factor, conservator et remunerator.

Deus igitur suapte natura innocentissimus et purissimus tanquam sol infinitae puritatis, absque ulla penitus macula, auctor est innocentiae, factor et conservator ac tandem remunerator aeternus. Auctor innocentiae, nam in coelo creavit Angelos innocentes et in terra innocentes homines. Est Deus fons innocentiae sicut sol fons luminis et candoris, sol enim est qui coelo dat claritatem perpetuam et per diem aerem clarificat. Et quidem sicut *alia* est *claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum,* [60] ita alia est innocentia Dei, alia innocentia hominis et alia innocentia Angelorum. Deus innocentissimus est sicut sol lucidissimus, Angeli sicut stellae habentes claritatem a sole, homo sicut luna quae facile eclipsari potest et perdere claritatem per terrae interpositionem; sic peccavit homo in paradiso et perdidit innocentiam, suadente diabolo, per interpositionem appetitus terrenae mundanaeque gloriae. [61] Deus autem,

54) Os 11, 1; Mt 2, 15. 55) Mt 2, 13. 56) Cf. Ex 25, 17-22. 57) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 58) Mt 19; 14; Mc 10, 14. 59) Mt 18, 3. 60) 1 Cor 15, 41. 61) Cf. Gn 3, 1-7.

ultor violatae innocentiae, sicut peccatores angelos expulit ex coelesti paradiso, ita et homines ob peccatum ex terrestri,[62] nam nonnisi innocentes secum vult Deus; hinc Regius Vates ait: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.*[63] Paradisus praemium est innocentiae: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde;*[64] hinc Ioannes in *Apocalypsi* vidit omnes beatos in coelo indutos stolis albis.[65] Et sicut Deus ab homine in paradiso nihil aliud petiit nisi ut non comederet de ligno scientiae boni et mali,[66] ita a nobis nonnisi innocentiam requirit, non enim nisi nocentes et peccatores damnat.

diabolus e contra, acerrimus persecutor.

E contra, diabolus acerrimus persecutor est innocentiae, sciens quod tantopere placet Deo et quod nulla re magis delectatur; omnibus enim suis tentationibus et machinis nihil aliud molitur satanas nisi innocentiam et puritatem perdere. Ipse est Herodes, qui *mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra;*[67] sic diabolus omnes persequitur innocentes qui sunt in Bethlehem, civitate David, in Ecclesia sancta Dei, extra quam non potest reperiri vera innocentia. *Mittens occidit omnes pueros; Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur;*[68] *mittens* sacrilegos ministros *occidit omnes pueros* innocentes, ut cum omnibus Christum perderet, quem solum necare quaerebat: *Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.*

Multi sunt ministri satanae ad innocentes perdendos,

O quot nunc sunt ministri diaboli qui quaerunt pueros ad perdendos eos, sicut Aegyptii quaerebant pueros Hebraeorum ad perdendos eos,[69] et Athalia scelestissima femina quaesivit omne semen regium, omnes pueros filios regis ad necandum eos![70] Rarissimi autem sunt qui non occidantur ex omnibus natis Bethlehem, unus tantum Christus effugit infernalem Herodis persecutionem impiumque ferrum, quoniam Ioseph in somnis admonitus ab Angelo tulit puerum et matrem et fugit in Aegyptum, extra regnum Herodis.

62) Cf. ibid. vrr. 16 sqq. 63) Ps 5, 5-6. 64) Ps 23, 3-4. 65) Cf. 7, 9. 66) Cf. Gn 2, 16-17. 67) Mt 2, 16. 68) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Qui pie volunt... patientur.* 69) Cf. Ex 1, 15-16. 70) Cf. 4 Rg 11, 1; 2 Par 22, 10.

Ex parentum incuria rarissimi sunt pueri qui a ministris infernalis Herodis non occiduntur. Perit innocentia, quoniam non est qui eam servet nec studeat servare, sed multi sunt qui persequuntur eam et perdere satagunt, quamvis Deo maxima cura sit innocentiae servandae; hinc misit Angelum ad Ioseph monens ut tolleret puerum et fugeret in Aegyptum. Sic Deus saepe parentibus coelestes inspirationes immittit, indicans quid agendum eis sit pro servanda filiorum innocentia in puerili aetate. Sed utinam divina monita ut par est exequantur! Non occiderent ministri Herodis omnes pueros qui sunt *in Bethlehem et in omnibus finibus eius!*

maxime parentes incuriosi.

Patresfamiliarum, vigilate super custodia filiorum vestrorum pro servanda illorum innocentia et puritate, nam Herodes quaerit ad perdendum eos. Fugite pericula, ducite eos vobiscum, educate eos optima disciplina in timore Domini, ne vestra causa pereant infantes.

Infernalibus furiis Herodes exagitatur, videns se a Magis illusum,

VI. *Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem.* [71] Magna ira percitum atque exagitatum videmus Herodem crudelissimum regem tyrannumque impium ac inhumanissimum, sed procul dubio credendum existimarim ab infernalibus furiis eum acerrimis aculeis commotum et exagitatum. Quis vidit unquam equum, licet natura ferocissimum, contra armatos equites currere et ad praecipitia volare? At si ferocem supra dorsum habeat equitem et sessorem, qui freno, calcaribus, flagello voceque eum excitet incitetque, naturali ferocia nimium concitata, ad omnia pericula praecipitem se committit. Malus homo equus est mali daemonis, sed malus princeps impiusque tirannus equus est satanae, magni diaboli. Talis fuit olim Pharao, talis Herodes a diabolo concitatus; hodie in talia tantaque impietatis praecipitia homo inhumanissimus equusque effrenissimus se committit. Exagitabat eum satanas acri ac vehementi suspicione novi nati regis, acutissimis calcaribus extimulabat, dextro calcari ambitionis et superbiae, ne sceptro privaretur et corona regiaque dignitate, sinistro avaritiae et cupiditatis, quae est *idolorum*

71) Mt 2, 16.

servitus[72] et *radix... omnium malorum,*[73] ne amitteret repositos divitiarum thesauros; exagitabat freno atque lupato vani timoris amissionis omnium bonorum. De hoc vere dici potest quod *homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*[74] Quam insipienter ac stulte agit hodie Herodes!

Videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde. Cum audivit in Ierusalem Magorum voces quaerentium: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente et venimus adorare eum,*[75] turbatur, sicut turbatus fuit Balthassar cum vidit in pariete manum miraculo contra se scribentem: *Mane, thecel, phares*[76] – his flagellis iugiter mali principes animo percutiuntur turbationum ac suspiriorum; – nunc autem *iratus est valde.* Sed dici potest ei id quod Deus dixit Caino: *Quare iratus es et cur concidit facies tua?*[77] Cur irasceris, Herodes? Cur mortem novi regis machinaris? Credis quae tibi a Magis dicta sunt, an non? Si non credis, cur irasceris tantopere? cur innocentes infantulos occidi committis? At si credis natum Messiam, natum regem Iudaeorum, imo Angelorum nova stella in coelo declaratum, quid agis? Contra Deum paras bellum? Vis cum Deo contendere Deique consilium et ordinationem pervertere?

et innocentes occidi committit, cum Deo quodammodo contendere volens.

Sed veluti alter Nabuchodonosor rex iste in bestiam est mutatus.[78] Herodes alienigena, idumaeus genere, ut rex fieret Iudaeorum circumcisus fuit legemque et religionem Iudaeorum suscepit;[79] magnam post susceptam religionem simulavit pietatem, ita ut templum a fundamentis renovarit et magnificentissime ad miraculum maximis ac pene incredibilibus sumptibus exornarit. Sed speciem pietatis habebat, virtutem autem eius abnegabat,[80] ut visum est hodie. Tenebatur iudaeus credere in Messiam venturum eumque cum desiderio expectare tanquam mundi verum Salvatorem, divinos etiam honores ei dare. Herodes autem, cum audisset natum

Magnus hypocrita, pietatem simulabat, sed regnum religioni praeferebat.

72) Eph 5, 5; Col 3, 5. 73) 1 Tim 6, 10. 74) Ps 48, 13. 21. 75) Mt 2, 2. 76) Cf. Dn 5, 5-28. 77) Gn 4, 6. 78) Cf. Dn 5, 21. 79) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses,* lib. 1, haer. 20, (P. G. 41, 271); Gius. Flavio *Delle Antichità Giudaiche,* lib. 14, cp. 2, pag. 119; *Della Guerra Giudaica,* lib. 1, cp. 6, pag. 25. 80) Cf. 2 Tim 3, 5.

Messiam, non laetatus fuit, sed turbatus; non quaesivit eum cum Magis ut adoraret, sed ut occideret. Sic regnum praetulit religioni et Deo, sicut alter Ieroboam.[81]

Multi sunt principes qui Herodem imitantur.

Quam rari sunt principes qui Deum supra coronas teneant, qui regno religionem praeferant, qui Deum ex corde colant! Sic malus princeps diaboli equus est, sicut princeps bonus Dei; sic enim Regius Vates aiebat: *Ut iumentum... sum apud te et ego semper tecum*,[82] ut bucephalus ille decantatissimus Alexandri equus, qui phalaris et cultu regio ornatus atque excultus alium praeter Alexandrum sessorem nullatenus admittebat;[83] sic ait: *Ut iumentum... sum apud te et ego semper tecum;* malus autem princeps iumentum diaboli est, eo rapitur quo eum hic sessor impellit.

81) Cf. 3 Rg 14, 26-28. 82)) Ps 72, 23. 83) Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 42, pag. 89; Aulus Gellius *Noctes Atticae*, lib. 5, cp. 2, pag. 143.

DIES CONVERSIONIS SANCTI PAULI APOSTOLI

Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel, etc.

Sub duobus aspectibus consideratur Divus Paulus.

I. Mirabilem conversionem Beatissimi Pauli, apostoli Christi et doctoris gentium, hodie celebramus, de quo illud vere dici potest quod Moyses dixit tribum Beniamin benedicens: *Beniamin... amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur et inter humeros illius requiescet.*[2] Fuit enim ut ipse testatur, *de tribu Beniamin,*[3] qui ex pulcherrima Rachele ortus fuit, a quo appellatus fuit *Benoni, idest filius doloris,* postea autem a patre appellatus fuit *Beniamin... filius dexterae.*[4] Duo haec videnda sunt nobis de Paulo: quatenus fuit Benoni, *filius doloris,* et quatenus fuit Beniamin, *filius dexterae.* De eo quatenus Benoni Dominus hodie ait: *Ego... ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati;*[5] et quatenus Beniamin erigitur, illuminatur, Apostolus instituitur a Baptismo.

Vere mirabilis fuit haec S. Apostoli conversio.

II. Dum Paulum considero, videre mihi videor caecum illum a Domino mirabiliter illuminatum, qui coram tribunali Iudaeorum tanta cum constantia gloriam Christi defendit et propter Christum gravem persecutionem passus fuit;[6] videre piscem illum a Christo captum assumque post resurrectionem, cum Petrus una cum aliis Apostolis piscarentur in mari Tiberiadis et ad iussum Christi misso rete ad dexteram navigii comprehendissent centum quinquaginta tres magnos pisces, cum tamen tota nocte piscantes nihil prendi-

1) Act 9, 15. Vulg.: *Est mihi iste,* etc. 2) Dt 33, 12. 3) Rom 11, 1. 4) Gn 35, 18. Vulg.: *Filius dexterae.* 5) Act 9, 16. 6) Cf. Io 9, 1-38.

dissent.[7] Multos ad Christi fidem converterunt Apostoli post resurrectionem et ascensionem Christi, accepto Spiritu Sancto, sed Paulus a Christo, non ab Apostolis conversus fuit ad fidem institutusque Apostolus, praedicator et doctor gentium; a Christo captus est magnus hic piscis et super prunas positus: *Ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Caecum illum illuminavit Christus postquam a Iudaeis lapidibus petitus *abscondit se et exivit de templo.*[8] Ascendens autem Christus in coelum post resurrectionem suam, exivit de templo mundi huius, nec amplius visus Iudaeis fuit. Sicut ante passionem caecus ille sic natus fuit pro gloria Dei, ut manifestarentur *opera Dei in illo,*[9] sic et Paulus mente caecus natus fuit et in caecitate perseverans Christi fidem et Ecclesiam persequebatur, unde ait: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei;*[10] *sed misericordiam... consecutus sum, quoniam ignorans feci.*[11] Ad magis magisque illustrandam Christi gloriam permissus fuit Paulus persequi fideles Christi, ut ex magno persecutore Dei dextera mutatus, magnus fieret christianae fidei praedicator. Mirati fuerunt Iudaei illuminationem illius caeci, sed multo magis mirati conversionem Pauli, nam continuo ingressus praedicabat Christum: *Quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne iste est qui expugnabat in Ierusalem omnes qui invocabant nomen istud, et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret* in Ierusalem? *Saulus autem multo magis convalescebat et confundebat Iudaeos, affirmans quoniam hic est Christus.*[12] Sic Paulus hodie instar virgae Moysi, quae mirabiliter in serpentem mutata devorabat serpentes Pharaonis,[13] illuminatus factusque prudentissimus ac sapientissimus christianae fidei praedicator acerrimusque defensor, omnes nominis Christi inimicos vincebat et confundebat.

Conversio ista orta fuit ex cognitione Christi.

Sed unde tam mirabilis conversio? Utique ex cognitione, nam ait: *Quis es, Domine?... Ego sum Iesus* Nazarenus, *quem tu persequeris.* Tunc *tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?*[14] Recte ergo ait quod ignorans persequebatur Ecclesiam Dei: *Mise-*

7) Cf. Ibid. 21, 3-12. 8) Ibid. 8, 59. 9) Ibid. 9, 3. 10) 1 Cor 15, 9. 11) 1 Tim 1, 13, Vulg.: *Quia ignorans feci.* 12) Act 9, 20-22. Vulg.: *Nonne hic est... in Ierusalem eos qui,* etc. 13) Cf. Ex 7, 8-12. 14) Act 9, 5-6.

ricordiam, inquit, *consecutus sum, quia ignorans feci.* Si cognovisset, minime persecutus fuisset, sicut de Iudaeis dixit: *Si Dominum gloriae cognovissent, nunquam crucifixissent.* [15] Ex cognitione igitur veritatis orta est talis tantaque conversio, audito: *Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Cognita Christi potentia, gloria, maiestate, coelesti divinaque potestate, *tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* sicut Semei ad pedes David tremens stupet et stupens tremit. Ergo, inquit ille, quem ego existimabam pseudochristum, falsum Messiam, inimicum Dei, verus est Christus, verus Messias, verus Filius Dei, verus mundi Redemptor atque Salvator. Agnita autem maiestate, timet tremitque iram et potestatem.

O utinam, fratres, nos vere Christum agnosceremus! Plane cum Paulo trementes et stupentes diceremus: *Domine, quid me vis facere?* Sed erit tempus cum vere occurret nobis Christus et dicet: Cur me, o homo, persecutus es? *Rursus Filium Dei crucifigentes ... et ostentui habentes?* [16] Tunc vere trememus, vere stupebimus trementes, Christum contra nos videntes iratum paratumque ad vindictam de nobis sumendam

De Paulo dici illud potest: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain;* [17] nam datus fuit Ecclesiae Paulus pro Stephano a Iudaeis occiso; [18] nam Eva hoc dixit cum, post mortem Abelis, Seth filium Dei gratia et beneficio in lucem edidit; ita plane dicere potest hodie Ecclesia Sancta Dei: *Posuit mihi Deus*, etc.

15) 1 Cor 2, 8. Vulg.: *Si... cognovissent... Dominum gloriae*, etc. 16) Hebr 6, 6. Vulg.: *Crucifigentes... Filium Dei*, et. 17) Gn 4, 25. 18) Cf. Act 7, 56 sqq.

APPENDIX PRIMA

Necessità delle buone opere[1]

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

✠

IESUS MARIA

Fonte perenne d'operation perpetua, come di infinita et infatigabil virtu e il nostro Dio, principio da cui dipende il cielo e la natura tutta, qual come archimotore e causa prima dell'universo, con sua perpetua e stabilissima quiete, senza muoversi punto fa moto perpetuo d'incessabil operatione nel reggere, amministrare e governare con sollecitissima cura e vigilantissima providenza il tutto. Ei con tre dita sospeso tiene il globo de la terra, dispone le cause, muove i cieli, influisce ne pianeti, muta i tempi, altera gli elementi, tempera le qualita loro, divide l'acque, produce i venti, genera le cose, ordina le generate a fini loro, e come universal Signore e Padre d'ogni cosa, ciba e nodrisce ogni creatura.

Per assomigliarsi a Dio, che sempre opera, non cessa ogni creatura d'oprar continuamente quanto possibil li fia; il cielo fa tanti movimenti naturali e diurni d'accessi e recessi, d'orti et occasi, cosmici, chronici e virgilii ne cieli eccentrici e concentrici e in tanti epicicli; le stelle del continuo risplendono, il sol riluce, la luna non sta mai in un esser medemo; gl'altri pianeti sempre[2] influiscono; gl'elementi sono in continuo moto d'alteratione per la generation de misti; il mare in moto sempre di flusso e reflusso; la terra, pia madre, infatigabilmente s'adopra sempre per partorire e nodrire i suoi concetti con le sue viscere,[3] sustentarli in vita. Ne gl'animali quante operationi anco di maraviglia e stupore si veggono sin

1) Nella prima facciata del primo foglio, lasciata in bianco, il Santo Autore vi pose l'iscrizione: « Dominica in Septuagesima ». 2) Ms.: *Sempli.* 3) Ms.: *Visce.*

ne vilissimi vermucci della terra? Ah! donque, e l'huomo solo sara creato da Dio per otiar perpetuamenti et immiserir ne l'otio? e non oprare? e non affaticarsi? e non adoprar l'artificioso ingegno e natural industria datali da Dio? Lungi da noi tal pensiero che cotal sia la volunta di Dio: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite et vos* operari *in vineam meam.*

PRIMA PARTE

Finalmente non v' ha cosa in tutta la vita di Christo che non sia commemorata nel santissimo sacrificio della Messa e quasi in sacra scena rappresentata. E appunto una scena sacrosanta di tutto il misterio della redention nostra la Messa, ascoltatori. Ben potro donque dir io con la Chiesa Santa: « O sacrum mysterium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur »! Misterio veramente di tutti i misterii, Sacramento di tutti i Sacramenti, in cui sono racchiusi tutti i misterii e sacramenti della legge e del Vangelo, delle Scritture di Profeti e de gl' Apostoli! « Sacrum mysterium in quo Christus sumitur!» Christo pane celeste, pane supersostantiale, superessentiale, pane angelico e divino, Christo vero Dio e perfetto huomo, due nature in una Persona! «Recolitur memoria passionis eius», di quel sacrificio d'infinito valore, ne il santissimo sacrificio della Messa e ponto di minor valore.

E se ogni peccato per esser offesa di Dio et ingiuria di lesa maesta di quel sommo Signore, e di malvagita infinita e ricerca infinita sodisfattione, offerendo noi questo sacrificio a Dio per i peccati nostri li diamo sodisfattione sofficientissima, di modo che per cagion di giustitia resta pienamente sodisfatto come nella passione per i peccati di tutto il mondo. Pero quivi « mens impletur gratia », poscia che la gratia di questo santissimo sacrificio e tale e tanta, che non ha tanta luce il sole, e se alla gratia si debbe di giustitia la gloria, ben e ragione che « futurae gloriae nobis pignus datur ». Amen.

S. Mattia Apostolo[1]

PROHEMIO

Se quella miracolosissima donna che Giovanni vidde nella sua Divina Apocalipsi vestita di sole, con la luna sotto a piedi altro non e che la Chiesa Santa per fede, speranza, charita e gratia vestita di Christo sol di giustita, e quella luna altro non e che la gloria del mondo con le delitie, richezze e vani honori che la christiana Chiesa sprezza per Christo, che esser possono quelle dodici lucentissime stelle che li fan sacratissima corona al divin capo se non i dodici Apostoli di Christo, quali predicando i dodici articoli della fede di Christo al mondo con la predication loro fondorno la Chiesa e religion christiana?

Felice e ben avventurato, anzi tre e quattro volte beato te, o San Matthia, il cui sacrosanto giorno sollenneggia la Romana Chiesa hoggi, posciache sendo dall' alto cielo e divin capo di questa gran reina e celeste dea caduta una di queste dodici stelle, tu per l' honoratissime tue virtu e merti altissimi meritasti esser inserto in cotesta corona, eletto per divina sorte all'apostolato per ristorar l' apostolico numero.

Di cio son per ragionar io con esso voi stamane, dilettissimi. Pregate Iddio per me et io comincio.

1) In principio di questo discorso e nella parte esterna della copertina si legge: « In die S. Matthiae Apostoli ».

PRIMA PARTE

Quell' infinita maesta di Dio che con l' onnipotente virtu del Verbo suo di nulla creo il cielo e la terra, gran misterii e naturali e supernaturali racchiuse nelle ragioni di numeri.

Chi non sa di voi, dotti, che Pithagora, quel gran Savio che per la gran sapientia sua sorti forsi il nome di Febo Pithio, istimato dal mondo iddio della sapientia, trattava la filosofia per ragioni arithmetiche dicendo che ogni cosa costa di numero? Platone, il divino, la cui sapientia altissima ribombava nelle grandi accademie d' Athene con lingua si dotta che pareva un oracolo divino, anch' egli fu di simil parere. Et Aristotele, il secretario unico della natura, che per la gran dottrina fu chiamato demonio, disse che le specie delle cose dell' universo son come i numeri.

Bellissimo simbolo e consonantissima simpathia ha l'unita, che da l' essere a numeri, con Iddio da cui han l'essere tutte le creature dell' universo; e l' istessa analogia quasi correlativa e fra le specie dell' universo dependenti da Dio per origine di creatione et i numeri dall' unita prodotti. E chi di voi non sa quel che e scritto, ch' Iddio creo tutte le cose *in numero, pondere et mensura ?*

Il numero dieci per eccellenza e dimandato numero, perche racchiude ne suoi confini ogni differenza di numero, ne si possono giamai trascendere i suoi fini. E non vedete come nel numero denario e fabricato tutto l' universo? Il mondo elementale consiste in dieci cose: terra, acqua, aere, fuoco, misti imperfetti, misti perfetti, inanimati, animati, piante, animali imperfetti, animali perfetti, et huomini, dieci cose appunto sono. Il mondo celeste ognun sa che consiste ne dieci cieli: luna, Mercurio, Venere, sole, Marte, Giove, Saturno, ciel stellato, cristallino et empireo. Il mondo superceleste similmente in dieci cose: nove chori angelici, Angioli, Archangioli, Principati, Potesta, Virtu, Dominationi, Throni, Cherubini, Serafini, e sopra tutti Iddio.

Vedete come tutto l' universo costa in numero? Cosa donque non solo di diligentissima speculation filosofale, ma ancho d' altissima contemplation theologale e il numero. Non vedete che ne anche l' istesso Iddio e immune et esente d' ogni ragione di numeri? Che nella natura sua e uno e trino, trino e uno? Uno in essenza, trino in Persone? « Numero gaudet impare Deus », disse quel poeta che pose in dubio co suoi alti poemi la palma d' Homero.

E perche l' unita nell' essenza e la Trinita nella Persone e divinissimamente consacrata in Dio, chi non vede quanto e l' unita e la Trinita e celebrata in tutte le creature dell' universo? L' unita, perche « unitas unum numero est », disse quel gran lume della romana filosofia e christiana theologia Boetio; la trinita nell' essenza, virtu et operatione di qualsivoglia cosa dell' universo, anzi che tutto l' universo come principalmente e distinto in trinita di parti universali, cossi in tutte le sue parti e composto di trinita, e celebrata in tutta la natura la trinita, perche e consacrata in Dio autor della natura.

E chi non vede, signori, che tutti i numeri sacri e misteriosi del mondo spirituale di Santa Chiesa son tutti celebri nel mondo corporale delle creature? Il ternario come sacratissimo in Dio per le Persone, in Christo per le sostanze in una persona, nella Chiesa per tre virtu theologali in una religione, vediamo che e celebre in tutto l' universo. Il quaternario consecrato co quattro sacrosanti Evangelii e con quattro virtu cardinali e nelle quattro doti beatifiche del corpo glorificato, quanto e celebrato nell' universo ne quattro elementi e lor qualita primiere nelle quattro parti del mondo, nelle quattro stagioni dell' anno, ne quattro angoli del cielo, infin ne quattro fiumi che uscian dal paradiso terrestre. Il settenario consecrato co sette Sacramenti di Santa Chiesa, co sette doni dello Spirito Santo, con sette virtu theologali e cardinali, con sette opere della misericordia corporali e sette spirituali, co sette doti beatifiche nella patria; e celebre nel cielo per sette pianeti, nelle sette stelle dell' Horione e vergilie, nelle figurationi della luna, e tutta la natura humana e composta per settenario. Il denario consacrato nelli precetti del divin decalogo, e celebrato nel mondo elementale ne cieli e sopra il cielo.

Ma se Iddio creando il mondo celebro tanto il duodenario numero, argomento chiarissimo e che esser dovea sacratissimo nel mondo spiritual di Santa Chiesa. Chi non vede che questo numero possiede tutto il cielo ne dodici segni del zodiaco, tutto il tempo ne dodici mesi dell' anno et hore del giorno e della notte, quando soggiorna il sole in Libra o nell' Ariete facendo l' equinotio?

E una hieroglifica figura questa, signori, che questo sacrosanto numero componer dovea tutto il spiritual mondo di Santa Chiesa ne dodici Apostoli. Sovente nelle Scritture Sacre la Santa Chiesa c' e rappresentata per il cielo. E che saran donque que dodici segni che fan corona al cielo, se non i dodici Apostoli che fan corona alla Chiesa? Ecco la donna in cielo coronata di dodici stelle.

E non vi ricorda di quella meravigliosissima citta che ci va descrivendo Giovanni nell' Apocalipsi: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo?* Dubio non v' ha che questa citta celeste non e se non la Santa Chiesa, perche sogionge Giovanni: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Ma tra le grandezze veramente magnifiche quali va raccontando di codesta citta Giovanni, divin cosmografo nel descriverla, e che ha nel suo altissimo muro dodici porte con dodici Angioli, co dodici nomi delle dodici tribu di figliuoli d' Israele, et havea ancho cotesto muro dodici fondamenti di pretiosissime pietre: *Et fundamenta civitatis Ierusalem omni lapide pretioso ornata et murus civitatis habens fundamenta duodecim.*

E che voglion dire, o Giovanni, queste dodici porte, questi dodici Angioli, questi dodici nomi dell' israelitiche tribu e questi dodici fondamenti della citta? Lo spiega egli dicendo: *Et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Gl' Apostoli sono questi fondamenti della Santa Chiesa, le prime pietre che messe Christo nella sacrosanta fabrica di questo divino editicio.

E chi non sa di voi, dotti, che la fede e il fondamento della Chiesa? Questo disse Paulo: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* La fede chi [non] sa ch' ha dodici articoli? E chi compose i dodici articoli della fede nel sacro simbolo se non i dodici Apostoli? Vedete come son fondamenti di Santa Chiesa!

Cossi eglino ancho son stati porte di questa divinissima citta. Chi non ha ricevuto il santo Battesimo, sacramento della fede, e fuor di Santa Chiesa, non e cittadino di questa citta; donque per la fede vi s' entra, la fede e la porta. Ma chi ha predicato la fede di Christo al mondo se non i dodici Apostoli? Ecco le dodici porte per cui tutto il mondo convertito a Christo per la predication de gl' Apostoli e entrato nella Chiesa militante. E sapete che huomini eran gl' Apostoli ? Huomini angelici, Angeli humanati, huomini per natura, per gratia Angioli, huomini in carne, Angioli in spirito: *Nostra autem conversatio in coelis est.* Questi sono i dodici Angioli che dice Giovanni. E que dodici nomi di figliuoli d' Israele sapete che voglian dimostrarci? Appunto che questi santissimi Apostoli sono dodici patriarchi del popolo christiano, come furon quelli dell' hebreo. O numero sacrosanto de divinissimi Apostoli! Deh non vedete voi quanto in se stesso pure e divino?

I suoi principii compositivi sono il ternario e quaternario; tre volte quattro son dodici. Cossi eran perfetti questi nel ternario delle virtu theologali: fede, speranza, charita, e nel quaternario delle cardinali: prudenza, giustitia, fortezza e temperanza.

Di piu questo celeste numero e composto di due numeri primieramente perfetti, cioe di due sestini, perche furon perfettissimi eglino ne due precetti della charita verso Iddio e verso il prossimo.

Di piu questo sacro numero e abondante et il primo crescente, perche pigliando le sue parti aliquote, che sono uno, due, tre, quattro e sei, cresce in sedici. O che felice escrescenza in quadrato equilatero, che e simbolo, hieroglifico della perfettione! Furno abondantissimi nella perfettione, signori, i santissimi Apostoli, non solo nell' osservanza di dodici precetti divini, dieci della legge e due dell' Evangelio, ma per il quadrato equilatero delle virtu cardinali furno ancho perfettissimi osservatori di consigli evangelici.

E pensate voi che senza alta ragione questo divinissimo numero sia celebrato tanto e consecrato con tanti misterii nelle Scritture Sacre? Non vi ricorda di dodici figliuoli di Giacob? di dodici principi dell' israelitiche tribu? de dodici fonti d' Elim? de dodici esploratori della terra di promissione? di dodici pani della propositione? di dodici gemme nel rationale del sommo sacerdote? di dodici pietre che Iosue fe levar dal mezzo del Giordano miracolosamente seccato? di dodici duchi che ogni mese sioggiornavano col re David? di dodici buoi che sostentavano il gran lavatoio sacro di bronzo nel tempio di Salomone? di dodici leoncini del real throno del gran re Salomone? di dodici Profeti in un volume?

Che misterii, che misterii pensi tu, N., che sian questi? I dodici Apostoli, i dodici Apostoli di Christo. Questi sono i dodici figliuoli del mistico Giacob, figliuoli carissimi per gratia del nostro Christo; i dodici principi di tutto il popolo christiano: *Constitues eos principes super omnem terram;* dodici fonti d' acqua di sapientia salutare per irrigar il giardin sacro della Chiesa militante; dodici pietre vive in fondamento della Chiesa militante in terra e gemme pretiosissime, quasi lucentissime stelle, in ornamento della trionfante in cielo, che fanno con la sua gloria corona al cielo empireo, come i segni del zodiaco coronano l'ethereo; dodici pani, ch' han dato vita di sacra dottrina al mondo; dodici buoi, animali sacrificabili, offerti per diversi martirii in sacrificio a Dio, che sustentano il lavatoio sacro di santissimi Sacramenti della religion christiana; dodici fortissimi leoni della tribu di Iuda; dodici Profeti ch' han profetato il fin del mondo et il giuditio finale.

O numero, o numero sacrosanto, veramente celeste e tutto divino de gl' Apostoli di Christo!

E vi par forsi, signori, fusse ragionevol cosa che fusse scemato questo numero? che restasse imperfetto? che restasse nell' undici, numero pien di mille imperfettioni? Havea gia detto Christo a gl' Apostoli: *Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Bisognava s' adempisse cio ch' havea detto Christo; prevaricando dall' apostolato Giuda, bisognava che *episcopatum eius accipiat alter.*

APPENDIX SECUNDA [1]

IN DIE SANCTI ANDREAE

Sicut in mundi maioris initio, ambulans Deus super abyssum aquarum tenebris obvolutum et dicens: *Fiat lux*, illico facta luce, mundum hunc illustravit, ita in initio mystici huius mundi sacrosanctae Ecclesiae, ambulans iuxta mare Galilaeae, videns Apostolorum Petri et Andreae corda adhuc obscura, absque lumine verae fidei et clarae cognitionis Dei, dicens eis: *Venite post me*, statim corda illorum illuminavit; unde A p o s t o l u s ait: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei.* Sic ergo Sanctus Andreas hodie lumine fidei est illuminatus, a Christo vocatus, iustificatus et tandem glorificatus in coelo; unde hodie gaudet pia mater Ecclesia de tanti filii gloria in coelesti regno.

In margine:

Tanquam cervus sitiens ad fontem aquarum currit Dominus hodie ad aquas maris Galilaeae ad explendam sitim salutis animarum nostrarum.

Prima Pars

Dum Sanctus Moyses in pastura ovium occupatus esset, apparuit illi Deus in rubo ardenti vocavitque eum ut ex pastore ovium pastor fieret hominum; eum enim ducem et archimandritam constituit totius populi Israel, qui saepe ovium appellatione in Scripturis Divinis nuncupatur: *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron.* Ita hodie Christus Andream apostolum una cum fratre Petro a piscatione piscium ad hominum piscationem vocat: *Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum.*

Christus est in persona illemet Deus qui apparuit Moysi et dixit illi: *Ero qui ero*, quia futurus erat homo; Christus autem est Deus homo. Quod si in ardenti rubo visus erat Moysi Christus, ille est homo igneus quem supra firmamentum vidit Ezechiel

1) Cf. quae diximus in Praefatione huius voluminis.

et is de quo M a l a c h i a s ait: Statim *veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quaeritis et Angelus testamenti quem vos vultis... ipse... quasi ignis conflans.* In quibus verbis declarasse visus est V a t e s D i v i n u s hieroglyphicum Moysis.

In margine:

Naturalis est ignis proprietas communicatione sui caloris combustibilia ignire, propterea Deus dictus est ignis, quia sicut ignis ferrum, ita Deus electos suos sibi similes facit; unde electi dii sunt appellati. Similiter Christus vocat hos hodie ut sibi similes faciat in gratia atque gloria tanquam filios Dei et proprios fratres.

Deus in Scripturis Divinis dictus est *ignis,* quia totus caritas est; ita ergo et Christus homo igneus, quia totus caritate plenus. Propterea Deus in igne visus est Moysi, quia ex caritate descendit et apparuit illi propter amorem electi populi sui, ob desiderium salutis eorum; et Christus igneus homo cur hodie ambulat iuxta mare Galilaeae, nisi ob vehemens salutis nostrae desiderium? Tanquam cervus sitiens ad fontes aquarum currit hodie Christus ad aquas huius maris ad explendum desiderium salutis nostrae: *Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum.*

Et plane principale mysterium sacrosancti hodierni Evangelii est vocatio Apostolorum; vocatio autem nihil nisi actus quidam amoris divini est. Siquidem D i v u s A p o s t o l u s ait quod Deus *quos... praedestinavit, hos et vocavit.* Praedestinatio autem quid nisi amor Dei? *Iacob dilexi, Esau autem odio habui ;* ardens est desiderium nostrae salutis in divino pectore, in supersanctissimo illo corde, fornace amoris aeterni. Amor autem nihil est nisi desiderium boni.

Ad quid autem vocet electos suos Deus, a scopo et fine vocationis patet, nam *quos vocavit,* inquit, *hos et iustificavit, quos autem iustificavit, illos et magnificavit,* idest *glorificavit* in coelesti gloria. Scopus vocationis iustificatio est per gratiam, finis vero magnificatio in gloria; gratiam vero et gloriam D i v u s I a c o b u s dixit *donum optimum et donum perfectum,* alludens[1] ad id quod R e g i u s V a t e s ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus,* etc.

Sic ergo ardens Christus summo salutis nostrae desiderio vocat ad se Apostolos hos, ut per eos fieret vocatio gentium: *Faciam vos fieri piscatores hominum;* ideo *venite post me.* Declarat autem hic Christus quid sit proprie vocatio, tractus videlicet quidam voluntarius liberi arbitrii ad Deum per contemptum mundanorum, hinc enim Christus ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Tractus est, sed tractus amoris; scriptum est enim: *Traham vos in vinculis Adam, in funiculis caritatis.* Non aliis vinculis stringitur homo nisi amoris et desiderii. Haec sunt vincula inter sponsum et sponsam, inter parentes et filios, inter amicos et amicas,

« Trahit enim sua quemque voluptas »,

sic trahitur puer ostenso pomo, agnus ostenso viridi ramo, sic homines bonorum expectatione trahuntur. Sic ergo Christus traxit ad se hodie Andream et Petrum.

1) Ms.: *Enim* adiicitur.

Aperiens enim os suum divinum omne bonum omnemque paradisi gloriam ostendit eis, quapropter illi statim, *relictis omnibus, secuti sunt eum.* Sicut enim adveniente lucidissimo sole deficit lumen lunae, ita cognitis potioribus bonis, vilescunt minus bona; sic cognoscentibus bona coelestia vilescunt terrena; hinc praeferunt aeterna temporalibus, divina mundanis, etc.

Cum Deus vocavit ad se sanctum Moysen, manifestavit ei divinum nomen suum, ut praedicatione divini nominis Moyses Hebraeos a cultu idolorum traheret ad cultum Dei; ita Christus vocans ad se Apostolos hos manifestavit illis divinitatem suam, per cuius praedicationem mundanos homines ad Deum converterent: *Faciam vos fieri piscatores hominum;* hoc enim solius Dei est opus. Quia vero bonum non diligitur nec desideratur nec quaeritur, nisi finis cognoscatur, hinc Deus primo manifestavit seipsum Moysi et Christus Apostolis; unde hi, Christo cognito tanquam invento thesauro in agro, statim, *relictis omnibus, secuti sunt eum.*

Venite post me. Sequi Christum, imitari opera, mores et virtutes Christi perfecta iustitia est, quae sistitur scopus vocationis divinae; iustam autem Sanctorum vitam Sacra Eloquia tripliciter exprimunt. De Enoch enim et Noe dicit Scriptura Divina quod ambulaverint cum Deo; ad Abraham vero ait Deus: *Ambula coram me et esto perfectus;* similiter de Ezechia legimus quod corde perfecto ambulaverit coram Domino, sive ante faciem Domini. Christiani vero praecipiuntur ut sequantur Dominum. Hoc plane mysterium trium legum est: naturae, Moysi et Evangelii. Qui sub prima vixere, tantummodo divinis inspirationibus regebantur, cum scriptam legem non haberent; in Lege vero Moysi praefigurabatur Christus venturus et adumbrabantur virtutes eius, sicut aedificium praecognoscitur in exemplari modulo; in Evangelio vero describuntur et demonstrantur divinae Christi virtutes tanquam in aedificio constructo forma eius, etc.

Venite post me. Hic est scopus vocationis, imo et praedestinationis. Ait enim Apostolus: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* scilicet conformes fieri Christo, qui est exemplar primum ac prototypon naturae humanae quoad esse tum naturae, tum gratiae, tum gloriae. In his enim tribus, ut assimilentur Christo tanquam fratres, praedestinati sunt omnes electi, ideo ait: *Venite post me.* Propterea nanque Christus in mundum venit, propterea Deus factus est homo, ut electis omnibus virtutum omnium esset optimum perfectissimumque exemplar. Exemplari enim cuilibet duo conveniunt: unum quidem, ut perfectum et infallibile sit, alioquin excusantur artifices de commissis erroribus si exemplaria ab architectis accepta errata sunt; alterum vero, ut clarum manifestumque sit, ut oculis cerni possit; non enim pictores possunt absentium, quos nunquam viderint, imagines pingere, nec sculptores statuas, nisi saltem exemplaria quaedam apud se habeant. Nobis autem perficere sanctitatis exemplar non potuit esse homo, quia *omnis homo mendax;* non Angelus, quia etiam Angeli peccavere, boni autem, etsi amplius peccare non possunt, sunt nobis invisibiles; nec item Deus, quia etsi infinitae perfectionis est, tamen *Deum nemo vidit unquam.* Solus ergo Christus perfectum undequaque exemplar, hinc ait: *Venite post me; Exemplum enim dedi vobis,* etc.; *Christus passus est pro nobis,* etc.

Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum, idest ut eo studio, ea diligentia, eo desiderio quaeratis salutem animarum, quo nunc in mari hoc pisces quaeritis. Et quidem summa evangelicae legis perfectio in gemina caritate consistit, in dilectione, inquam, Dei et proximi. Hinc Christus homo igneus est et totus ignis, quia summa in Deum et proximum caritate ardebat, quod vel maxime eius crux, passio et mors manifestat.

Quantum autem Sanctus Andreas in sequela Christi profecerit, quam perfectionem geminae caritatis assecutus sit, eius martyrium, passio et mors gloriosa demonstrat. Fuit enim martyrii et passionis crucis cupidissimus propter Christum; hic autem summa reperitur amoris perfectio. Amor enim divinus plures habet gradus: primus est Deum diligere, ut contra voluntatem Dei nihil diligamus, uti faciunt peccatores; secundus est Deum diligere, adeo ut nihil supra Deum diligamus; tertius est ut nihil aequaliter cum Deo, sed ipsum super omnia diligamus, hoc est diligere Deum ex toto corde, idest perfecto corde, etc. Nunc autem vere homo Deum super omnia diligit, cum diligit supra seipsum. Quaecunque enim diligit homo, propter seipsum vel maxime diligit, quia sibi in dilecto complacet; qui ergo Deum supra seipsum diligit, hic vere diligit Deum super omnia.

Homo autem ex patientia contrariorum et naturae adversantium vel maxime cognoscitur Deum supra seipsum diligere; voluntaria enim patientia supra naturam est. Est autem patientia triplex: una quidem pati propter Deum libenter, absque animi contradictione et renitentia voluntatis, sed cum mansuetudine et aequanimitate; secunda est pati hilariter, sicut Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt*, etc.; tertia pati cum desiderio patiendi propter Deum multo maiora, sicut A p o s t o l u s desiderabat mortem: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*

Hinc ergo conspici poterit summa caritatis sanctissimi huius Apostoli perfectio, summis enim affectibus desiderabat crucis tormenta pati propter Christum; non tam ardenti desiderio esuriens et sitiens lautam mensam desiderat, nec adeo laeto corde amantissimus sponsus in nuptiali lecto novam sponsam expectat, uti Sanctus hic Apostolus passionem et mortem crucis propter Christum, *cupiens dissolvi et esse cum Christo.* Crucem desiderabat Andreas, quia via salutis est, scala coeli, porta paradisi, clavis thesaurorum coelestium; sic enim Christus per crucem ingressus est in gloriam suam.

Sic Andreas fuit vere Andreas, h o m o v i r i l i s, homo perfectae virtutis, perfectus natura, perfectus gratia, nunc autem in coelo cum Christo perfectus gloria, adepto iam praedestinationis, vocationis et iustificationis suae ultimo fine; homo perfectus, *ad imaginem et similitudinem Dei* et Domini nostri Iesu Christi factus natura, gratia et gloria.

Sicut vocavit Christus hodie hos Apostolos, ita vocat nos omnes, quia Deus vult omnes homines salvos fieri. Ignis enim semper est calidus et omnibus calidus. Deus est ignis caritatis et semper ignis, quia: *Ego sum qui sum; Ego Deus et non mutor*, non enim homo est ut mutetur; semper ergo Deus desiderio salutis nostrae flagrat: *Omnes homines vult salvos fieri.* Cum autem non possit salvari homo absque gratia, sicut non potest quis doctoratus insignia accipere absque sufficienti doctrina, nec

potest iustificari aliquis nisi per fidem, fides autem sit ex auditu verbi Dei, hinc vocat omnes Deus, sicut *omnes vult salvos fieri et neminem vult perire; Non enim voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, sed ut convertatur et vivat.* Vocat nos ad se Deus internis inspirationibus oculos mentis aperiens ad cognoscendum verum et voluntatem excitans ad diligendum bonum beneque vivendum; vocat timore poenae, spe gloriae, amore virtutis, odio vitii; vocat auditu verbi Dei et vocibus praedicatorum; vocat nunc promissis, nunc comminationibus, nunc beneficiis, nunc flagellis et punitionibus.

Vae nobis, si aures cordis non aperuerimus divinis vocibus! Ait enim: *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit.* Dicet Deus in iudicii die: Et quid est quod vocavi vos et renuistis? Num vestri opus habebam? num bonorum vestrorum egebam? Infelices, stulti et insipientes, ad hanc quam modo videtis gloriam paradisi vos vocabam, ut mecum una cum sanctis Angelis meis aeternis hisce bonis frueremini, et noluistis! et mundo magis atque diabolo obedire voluistis! *Ite*, ergo, etc.

Si dum pauperes quidam piscatores piscationi vacarent, descendens rex ad mare vidensque eos, vocaret ad se dicens: Venite post me, faciam vos principes regni mei, hi autem magis vellent opus piscationis sequi quam regi parere plurisque facerent dirupta retia quam regis gloriam et divitias, nonne stulti essent? Quod si insipientes hi in piscatione nimium laborantes, cum nihil se cepisse viderint, furari incipiant ut vivere possent captique a ministris regis conspectui eius iudicandi praesentarentur, quid putatis regem eis dicturum? Sic: Hoc modo, boni viri? Ah! vocavi vos et renuistis et contempsistis me et gloriam regni mei! Ite statim, suspendite scelestos hos homines. Ita plane, o christiani, accidet mundanis hominibus saecularibus negotiis et curis implicatis. Piscantur piscatores ut inde vivant, ita quaerunt homines in mundo divitias ad vitae commoda. Venit ad mare hoc summus rex Christus, vocat homines ad se dicens: *Venite post me... faciam vos*, etc.; *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius*, etc.; sed homines surdos se fingunt. Accidit saepe saepius mundanis hominibus ut post multos labores divitias nullas acquisisse se videant, quemadmodum saepe piscatoribus accidit; sic enim Divus Petrus ait: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Hinc videntes non posse per viam licitam et iustam temporalia bona acquirere, machinantur dolos, fraudes, falsitates, uti videre est apud artifices et mercatores; dicunt enim impossibile esse aliter divitias comparare, nisi per fraudes, dolos, falsitates, mendacia, periuria et iuramenta falsa, per usuras et tractatus illicitos, quae quidem omnia apud Deum furta sunt et latrocinia. Sed veniet tandem mors, quando nos stare oportebit ante tribunal Christi. Quid tunc in nostram defensionem dicemus? Dicet rex Christus iustissimus et severissimus iudex: Ego vocavi vos et renuistis! Fures potius et latrones sequi maluistis quam post me venire! Ite nunc, etc.

Ambulans Iesus secus mare Galilaeae, vidit Petrum et Andream fratrem eius, et vocavit eos: Venite, etc. Sicut vocavit Deus Beseleel et Ooliab ad aedificandum ipsi divinum tabernaculum in habitationem, et quoniam scientiae artisque expertes erant,

implevit eos spiritu Dei, sapientia, intelligentia et scientia, ut nossent facere omnia quae opus erant divino sanctuario, sic hodie Christus verus Deus vocat hos Apostolos ad aedificandam sibi Ecclesiam, hoc enim est: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

Secunda Pars

Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, etc. Quattuor Apostolos Dominus noster Iesus Christus vocavit ad se: Petrum, Andream, Iacobum et Ioannem, ut essent spiritualis aedificii, idest Ecclesiae, quattuor fundamentales lapides; habet enim, ut Ioannes in *Apocalypsi* ait, coeleste hoc aedificium duodecim fundamenta, in quibus sunt duodecim nomina duodecim Apostolorum Christi. Cumque aedificium illud sit quadratum, aequalis longitudinis et latitudinis, quattuor hi sanctissimi Apostoli sunt veluti quattuor lapides angulares huius aedificii.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae vidit, etc. Est Dominus noster ad instar solis, qui nunquam iter suum in coelo peragit quin terram respiciat, nec terram respicit quin lucis suae copiosior radios super eam spargat ut eam illuminet, calefaciat, fecundam et fructiferam reddat; ita Christus, *Sol iustitiae,* hoc suo itinere terrenos hos homines respicit luceque gratiae suae eos perfundit vocans ad se, illuminans, perficiens, iustificans eos virtutumque omnium copiosum thesaurum in eorum cordibus tanquam sol in terrae visceribus generans. Illuminat oculos mentium eorum ad cognoscenda super coelestia aeternaque bona, imo ad cognoscendum Christum ipsum, qui omnis boni est fons et origo; calefacit eorum corda igne amoris divini ad diligendum sempiterna bona, unde statim, *relictis omnibus, secuti sunt eum,* ad instar hominis qui thesaurum in agro invenit et mercatoris inventa pretiosissima margarita.

Ambulans Iesus iuxta mare. Est mare istud pulcherrimum mundi huius exemplar. Non enim est mare istud oceanum, sed lacus quidam; dicitur autem mare, quia *congregationem aquarum appellavit maria.* Efficitur autem hoc mare a flumine Iordane, qui influit in eum indeque egrediens intrat in mare Mortuum, quod est lacus Asphaltidis. Mare est mundus hic: aquae multae populi multi; sicut enim mare congregatio est aquarum, ita mundus multitudo est hominum. Mare istud est lacus aquarum dulcium, ita praesens vita dulcis est hominibus; ibi sunt aquae multae, quia in eum influit Iordanis flumen, in mundo multi homines ob flumen generationis et nativitatis; deficiunt aquae illae, quia inde egressae intrant in mare Mortuum, ita ob mortem deficiunt homines e mundo. Mare illud undosum est ob fluxum continuum fluminis illius, sic mundus hic multis perturbationibus plenus est, semper ob continuum fluxum generationis et corruptionis rerum, vitae et mortis. Regnant in mari illo procellae ventique contrarii, ita in mundo casus adversae fortunae, famis, pestis, infirmitates, bella, seditiones, inimicitiae, irae, rixae, invidiae, persecutiones, etc. Mare illud *Galilaeae* dictum est, idest revolutionis, mundus autem hic nihil aliud nisi revolutio quaedam est, rerumque omnium vicissitudo. Dictum est etiam mare *Cinereth,* quod est cithara, est enim ad instar citharae orbiculare, ita mundus

hic instrumentum quoddam musicum esse videtur. Sed quid varius musica? Dum actu fit, aliquid esse videtur, sed finita harmonia,nihil utilitatis aut delectationis vel cuiusquam alterius boni remanet; ita mundus hic bonis suis allicere et delectare videtur homines eiusque felicitas aliquid plane esse videtur, sed: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas ; Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Ex hoc ergo mari vocat discipulos suos Christus, *erant enim piscatores.* Sicut piscatores in mari pisces, ita in mundo homines quaerunt divitias, voluptates, honores et alias vanitates, ad haec enim tendunt retia, quae sunt artes, studia et actiones hominum.

Et vocavit eos. Vocat homines Christus e mari ad terram, qui locus est multo securior; sic vocat Christus homines semper a mundo ad Deum, a servitio mundi ad servitium Dei,[1] quia *nemo potest duobus dominis servire; non potestis Deo servire et mammonae ; Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* Qui autem Deo servit, multo securior de salute sua est quam qui servit mundo, etiam si absque fraude et dolo serviat, ut piscatores, etc. Piscatoribus necessaria est navis bonae voluntatis, quam agitant tentationum undae atque procellae summo cum periculo. Cavendum est autem nautis ne vel unum foramen in navi sit, sufficit enim ad demergendam navim; ita unum vitium aut peccatum ad damnandum hominem.

Venite post me. Ambulabat autem ipse iuxta mare Galilaeae. Ambulasse legimus Dominum et iuxta mare et supra mare, nunquam autem in mari vel intra mare: *Mundus totus in maligno positus est ; Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis*, etc. Christus autem nullum commisit peccatum, *nec dolus inventus est in ore eius;* ideo nec in mari nec intra mare, quia nec mortaliter nec venialiter peccavit unquam, sed iuxta mare, quia iustissime vixit divinam legem perfectissime servans: *Non veni solvere* legem, *sed adimplere.* Ambulavit etiam supra undas maris, quae sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae; sicut enim coelum omni aeris perturbationi superfertur, ita Christus omni humanae tentationi. Vivere autem in ea sanctitatis perfectione ut nec tentationum procella timeatur, perfectissimi viri est, unde etiam Divus Petrus in virtute Christi ambulavit supra mare; at vero coepit et ipse mergi, *quia septies* in die *cadit iustus.* Non vocavit Christus discipulos ut supra mare ambularent, sed iuxta mare.

Dantur in Evangelio praecepta ad salutem necessaria, dantur et consilia; in illis praecipiuntur opera bona, in his commendantur perfecta; illa sunt opera iustitiae, haec opera perfectionis; illud est ambulare iuxta mare, hoc supra mare. Iuveni illi, qui Domino dixit: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo ?* respondit Dominus: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata;* postmodum vero: *Si vis perfectus esse, vade* et *vende omnia quae habes*, etc. Commendavit hoc Christus tanquam perfectum, non praecepit tanquam necessarium, ideo non praecepit ut discipuli sequantur eum supra mare, sed iuxta mare. Vocat omnes Christus ut iuste vivant secundum legalem iustitiam,

1) Ms.: *Deo.*

quae quidem admittit venialia peccata, prohibet vero mortalia. Qui iuxta mare ambulant, possunt a supervenientibus undis madefieri pedes, at cavendum est ne eo confidant in mare intrare, ut in barathrum quoddam ruant, deficiente sub pedibus terra; sic cavendum est a venialibus ne in mortalia ruamus.

Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum. Cum Dominus sanctum Abraham vocavit e domo patris eius, multa ei bona repromisit: *Faciam te in gentem magnam*, etc.; similiter cum sanctum Moysen misit ut ex Aegypto israeliticam gentem educeret, terram lacte et melle fluentem in perpetuam habitationem eis per Moysen promitti voluit; sic Dominus maximum quoddam bonum promittit his Apostolis, quos ad se vocat: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Omne enim agens agit propter finem, quod est bonum vel utile vel delectabile vel honestum. Magnum utique bonum est quod his promittit Christus: *Faciam vos fieri piscatores hominum* idest principes mundi, principes totius Ecclesiae, tanto maiores ceteris hominibus quanto piscatores piscibus, etc.

Fidelis est in suis promissis Dominus; ita plane magnificavit Abraham, populo terram fluentem lacte et melle dedit uti promiserat; ita Christus principes Ecclesiae fecit Apostolos uti dixerat. Ita enim nedum in coelo, sed in mundo etiam piscatoribus his honores ab hominibus dantur multo maiores quam summis regibus, imperatoribus et monarchis unquam dari consueverint; sic fidelissima sunt omnia promissa Dei. Mundus autem in suis promissis infidelissimus est, et tamen, o caecitas deploranda! plures sunt qui mundum sequantur quam Christum, solum quia mundus praesentia promittit et elargitur ex parte bona, Christus autem non praesentia, sed futura: *Faciam*, inquit, non facio, *faciam vos fieri piscatores hominum*, principes mundi.

Sed per omnem modum stultus esset vir ille, qui a rege vocatus ad suum servitium cum magna promissione bonorum et honorum, vellet potius impio cuidam tyranno servire quam regi, ob id tantum quod rex post servitutem promitteret se eum amplissimis donis remuneraturum, tyrannus vero statim tanquam conductitio servo servitii mercedem redderet, multo minorem tamen quam speraverat, nec nisi falsas pecunias daret pro mercede. Ita mundus multo minorem mercedem dat servis suis quam promiserat, nec dat nisi falsa bona, in quibus non requiescit cor nostrum; Christus vero multo maiora dat quam promittat bona, ut in his verbis patet: *Faciam vos*, etc., multo enim maiora his contulit bona.

IN DIE SANCTI ANDREAE APOSTOLI

Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, etc. Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de vocatione beatissimi Apostoli Christi Andreae ad sequelam et disciplinam Christi, vocavit enim Christus Andream et statim secutus est eum, sicut [1] Elias Eliseum vocavit.

Contemplatio hodierni Evangelii altius forte nos trahet quam vellemus, nam vocatio efficax gratiaque praeveniens et trahens hominem ad Deum – *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* – effectus utique est divinae praedestinationis, ut Paulus docet: *Quos* Deus *praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ; quos autem praedestinavit, hos et vocavit ; quos autem vocavit, hos et iustificavit, et quos iustificavit, illos et magnificavit.* Non omnis autem vocatio effectus est praedestinationis, nam: *Multi... sunt vocati, pauci vero electi;* sed vocatio efficax, qualis fuit vocatio Abraham, vocatio Moysi, vocatio Elisei et hodierna Apostolorum. Discrimen autem inter vocationem efficacem et non efficacem habemus in Sacris Litteris in Loth et generis ipsius. Manifestavit Dominus per Angelos subversionem Sodomae ipsi Loth, monens ut egrederetur de civitate cum suis, et credidit vir bonus; manifestavit ille generis suis, illi autem minime crediderunt, sed quasi ludens visus est eis. Vocatio haec fuit, sed minime efficax; vocatio autem Loth efficax fuit. Nam cum dissimularet ille exitum, acceperunt illum Angeli per manus et extra civitatem perduxerunt monentes ut salvaretur in monte, ne retrorsum aspiceret, sic salvatus fuit ab incendio; generi autem ipsius una cum ceteris in subversione perierunt. Vocatio itaque efficax effectus est divinae praedestinationis. Vocatus fuit hodie Andreas a Christo ad fidem, a synagoga ad Ecclesiam, a lege ad Evangelium, imo a mundo ad Deum, ad gratiam, ad salutem, quoniam praedestinatus erat: *Quos... praedestinavit, hos et vocavit.* Quoniam vero *quos praescivit* Deus *praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* ait: *Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum.* Sic gratiam iustificantem et sanctificantem suscepit, perfectus Christi imitator factus est, ad sanctitatis et perfectionis divinae culmen pervenit et tandem gloriam in coelo consecutus est cum Angelis et sanctis omnibus sempiternam, quoniam ad hoc ab aeterno praedestinatus a Deo fuit.

Utinam et nos, fratres, ad eandem gloriam praedestinati simus. Hoc est enim quod quisque nostrum desiderat; nemo autem hoc novit, odio an amore finali dignus sit, an sit Iacob dilectus an Esau odio habitus. Sed sufficiat nobis, fratres, scire quod Deus *vult omnes homines salvos fieri ;* hinc vocat omnes dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris.* Utinam divinae vocationis nos ut par est responderemus! Sed ait: *Vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret, Proverbiis* 1. *Vocavi*

1) Ms.: *Sicut* bis ponitur.

inquit, *et extendi manum.* Nam qui praesens est, duplici vocatur modo: vel voce vel signis, lingua et manu; absentes autem per nuncios vocantur, sicut legimus quod *misit servos suos vocare invitatos* ut venirent ad nuptias; et in *Proverbiis* 9: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem... miscuit vinum et posuit mensam; immolavit victimas suas et misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis.* Omnibus quibus potest modis vocat nos ad se Deus. Sed per Isaiam 50 ait: *Veni et non erat vir, vocavi et non erat qui audiret.* Haec causa est nostrae perditionis, hinc ait: *Ego quoque in interitu vestro ridebo... cum... id quod timebatis advenerit;* et paterfamilias: *Nemo... illorum qui vocati sunt, gustabit coenam meam.*

Operae pretium erit, antequam de mysterio divinae vocationis in universum aliquid afferamus ex Divinis Litteris depromentes quisnam vocationis sit auctor, quis scopus, quis finis, quis modus et quidnam sit ipsa vocatio, ostendamus prius quam mirabilis fuerit hodierna apostolorum Petri et Andreae vocatio. Nam ait quod, audita Christi voce: *Venite post me, continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.*

Mirabilis plane fuit vocatio Abraham patriarchae ad fidem Dei et iustitiam, ut esset vere excelsus pater credentium: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum erisque benedictus, et in te benedicentur universae cognationes terrae.* Nec tantum promisit Deus, sed eum eo deduxit ut multis regibus superiorem fecerit talemque ut optarent reges secum pacem habere. Moysi etiam mirabilis vocatio; ex fiscella in medio aquarum sumptus ad regale palatium, factus reginae filius, ex humili pastore factus Pharaone potentissimo Aegypti rege superior, supremus princeps totius Israelis, sapientissimus legislator, homo divinus, cuius nutibus coelum, terra, mare parebant, factus ex pastore ovium pastor hominum, constitutus deus Pharaonis, summi Dei maxime familiaris ac veluti vicarius et praefectus in mundo. Mirabilis item Elisei vocatio; cum enim Elias mirabili quadraginta dierum ieiunio ad sanctum montem Dei pervenisset ibique divina visione dignatus fuisset, missus fuit ad ungendum Eliseum. Ait enim illi Deus: *Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam et Iehu filium Hanani unges regem super Israel, Eliseum autem filium Saphath... unges prophetam pro te. Et erit, quicunque effugerit gladium Hazael, interficiet eum Iehu, et quicunque effugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus.* O rem dictu mirabilem! Erat Eliseus homo agricola, terrae colonus; invenit eum Elias arantem campos, et tamen ait: *Unges prophetam pro te*, ut cum tu raptus fueris in coelum, ipse plenus sit duplici spiritu tuo, talisque, inquit, erit propheta, ut sit magnis regibus multo potentior. Hinc cum aegrotaret ad mortem, invisit eum rex Israel dicens cum lacrimis: *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius*, sive, ut est in hebraico, *currus Israel et equites eius*, idest exercitus et potentia regni Israelis, qui ad regni defensionem et salutem plus tu solus valebas ob spiritum Dei in te quam omnes exercitus armatorum militum. Sic propheta spiritu Dei afflatus potentior regibus erat.

Sic utique Christus verus Elias, potens Deus, factus homo, post quadraginta dierum ieiunium, missus fuit a Patre ad vocandos Apostolos, spiritu Christi implen-

dos. Non enim Christus semper mansurus erat cum hominibus in terra, sed ascensurus erat praesentia corporali in coelum sicut Elias, sed enim relicturus erat Apostolis spiritum suum, non duplicem, sed septuplicem, septiformem: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini.*

Hoc est quod Petro et Andreae promittit hodie Dominus: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Quibus verbis plenitudinem Spiritus Sancti se daturum eis repromittit; Spiritu autem Sancto accepto, homines facti sunt plane divini, praediti divina sanctitate, divina sapientia, divina potestate: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes;* facti sunt cum Eliseo potentiores regibus, cum Moyse dii Pharaonis et Aegypti, potentissimi contra diabolum et omnes tartareas infernalesque potestates, cum Abraham patriarchae et protopatres Ecclesiae omniumque fidelium; ex humillimo loco ad supra modum sublimem dignitatis honorisque divini gradum eos provexit atque perduxit, sicut Davidem ex humili pastore summum regem effecit: *Mirabilis Deus in sanctis suis.*

Sicut in mundi primordiis ambulans Dominus super aquas tenebrosas: *Tenebrae erant super faciem abyssi et Spiritus Domini ferebatur super aquas,* verbo oris sui lucem produxit dicens: *Fiat lux! Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona,* sic hodie; nam Apostolis ait: *Vos estis lux mundi,* sicut etiam Paulus: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino,* lucetis ut luminaria in firmamento coeli. Lux est suapte natura splendida, gratissima oculis, ac veluti perfectio oculorum, calida ac vitali calore praedita ac divina quadam virtute ad naturalia omnia procreanda et conservanda; sol enim pater est omnis generationis, naturae veluti auctor et conservator. Ita Apostoli splendore praediti sunt divinae sapientiae, ardore divinae caritatis et virtute divinae potestatis ad patranda miracula: *Vos estis lux mundi* et *vos estis sal terrae,* sal utique Elisei in vase novo ad sanandas aquas Iericho. Tribuit enim eis Christus novitatem vitae, eos novas effecit creaturas: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Haec sanitas aquarum est, salus hominum.

In hodierno Evangelio proponuntur nobis primordia Ecclesiae, sacri utique ac mystici mundi, nam Ecclesia hierocosmos est, sacer mundus; recreatio autem haec creationi similis valde fuit, hinc nanque iustificatio dicitur nova creatura, sicut Paulus ait: *Si qua nova creatura in Christo;* et alibi: *In Christo... Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura;* itemque: *Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis;* et adhuc: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus... ne quis glorietur, ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu.*

Ante mundi creationem solus erat Deus, sic solus introducitur Christus *ambulans iuxta mare Galilaeae* ante Apostolorum vocationem. Tunc primo omnium Deus quattuor elementa veluti mundi fundamenta creavit; sic hodie quattuor vocat Apostolos, primas bases, columnas et fundamenta Ecclesiae: Petrum, Andream, Iacobum et Ioannem. Haec enim in mysterio sunt primaria totius divini huius aedificii fundamenta: Simon Petrus, stabilis obedientia per fidem, virilis animi for-

titudo ad perferenda adversa, colluctatio adversus princeps tenebrarum, et tandem Divini Spiritus gratia. Ex nihilo creavit Deus mundum, ex tenebris lucem; sic gratia iustificationis et sanctificationis, in qua consistit Ecclesia, ex nihilo educitur, nam peccatum nihil est. Paulus autem ait: *Iustificati* a peccato, *pacem habeamus* ad ipsum. Hinc non invenit hodie Christus Apostolos in templo divino cultui operam dantes, sed in mari saecularia negotia exercentes, et vocavit eos: *Vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt.*

De mirabili autem hoc vocationis mysterio septem sunt quae in Sacris Litteris legimus. Primum quidem, quod eius auctor est Deus; sic Paulus ait: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius;* sic Christus hodie, verus Deus et homo, Apostolos hos. Secundum est, quod Deus vocat omnes: *Venite ad me omnes,* cum velit omnes salvos fieri, sed praecipue electos: *Quos praedestinavit, hos et vocavit.* Tertium, quod finis vocationis est salus aeterna et gloria; ita Paulus: *Testificati sumus ut ambuletis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam;* sic multos vocavit ad nuptias regales. Quartum, quod specialis scopus vocationis est sanctitas vitae: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem; De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum;* sic etiam ait: *Quos vocavit, hos et iustificavit... et magnificavit; Venite post me,* imitatores mei estote; *Non... veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.* Quintum, quod vocatio non est ex meritis, sed ex mera Dei gratia; hoc est quod Paulus ait: *Nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae;* sic de seipso Paulus ait: *Cum... placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae et vocavit me per gratiam suam;* ex mera bonitate sua vocavit hodie Christus piscatores homines ad apostolatum. Sextum est, quod vocatio raptus quidam est et attractio animi nostri ad Deum, qui nos ad se trahit sicut magnes ferrum: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum; Nisi Pater... traxerit eum; Traham vos in vinculis Adam, in funiculis caritatis,* quoniam trahit ut desideratus et amatus. In vocatione miraculum accidit sicut cum Elias igneo curru in coelum raptus fuit; gratia enim praeveniens veluti ignis quidam divinus est mentem illuminans et inflammans. Illuminat Deus mentem illius quem ad se vocat et trahit faciens ut cognoscat mundi vanitatem et desiderium accendit aeternorum bonorum. Ostendit quod mundus hic mare est Galilaeae, mare revolutionis, cuius aquae tandem ad mare Mortuum deveniunt. In mari mille pericula, mille tempestates, mille fluctuum revolutiones, quod est iam *Cinereth,* mare lyricum sive citharisticum; veluti instrumentum qnoddam musicum est mundus iste, paratum ad mulcendum animum, sed quod facile dissonum sonum edit, dissoluta fidium temperie et debita proportione. Largitur nobis mundus hic divitias, honores, voluptates; hic sonus est suavissimus, sed: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Quid vanius musica? Mulcet quidem aures momento quo durat, sed transacta finitaque, nullam post se relinquit vel utilitatem vel delectationem; ita mundana prosperitas, vana mundi felicitas. Nec solum mundanam vanitatem demonstrat, sed etiam divinam bonitatem. Sic enim cum Moysen vocavit, Deus manifestavit ei seipsum ex flamma ignis ardentis in rubo dicens: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus*

Isaac et Deus Iacob; manifestavit nomen suum dicens: *Ego sum qui sum;* manifestavit potentiam suam operatione miraculorum. Sic manifestando seipsum trahit ad se veluti per manus hominem apprehendens, sicut Angelus egit cum sancto Loth. Hinc per Isaiam ait: *Ego Dominus vocavi te in iustitia... apprehendi manum tuam et servavi te.* Tandem, septimo loco, quod magna poena manet eos qui divinae vocationi resistunt: *Vae,* inquit Isaias 45, *qui contradicit fictori suo!* et Ieremias 35: *Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Iudam et Ierusalem universam afflictionem... eo quod locutus sum ad illos et non audierunt, vovavi illos et non responderunt.* Iratus fuit vehementer rex Assuerus contra reginam Vasthi eo quod vocavit eam et noluit venire; sic iratus fuit paterfamilias quod vocati et invitati ad nuptias ire noluerunt; sed, inquit, *qui invitati erant non fuerunt digni.* Ad nuptias vocat nos Deus, ad quietem, ad consolationem: *Reficiam vos... invenietis requiem animabus vestris.* Sapientia invitat ad convivium: *Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis.* O nostram socordiam! Vocat Deus ad veras aeternasque divitias, honores, delicias; vocat mundus ad inanes et fallaces. Sed quinam sunt qui, audita Christi voce, relictis omnibus cum sanctis his Apostolis, eum ex orde sequantur?

Multi... sunt vocati, pauci vero electi, qui efficaci vocatione cum Apostolis hodie vocati sint. Congregaverat Gedeon exercitum triginta et amplius millium virorum ad pugnandum contra Madianitas, sed ex tanta multitudine trecentos viros tantummodo elegit Dominus, qui nec formidolosi inventi sunt, nec valde sitibundi, sed modica aqua contenti, ita ut instar canum lamberent potius quam biberent, manu ad os aquam proiicientes. Non vult Dominus effeminatos, timidos, qui timent labores poenitentiae et corporum incommoda, nec temporalium rerum valde avidos. Paucissimi erunt electi.

Electis autem dixit Gedeon ut illum imitarentur: *Quod me videritis facere, facite.* Iussit autem ut altera quidem manu electorum quisque tubam teneret, altera vero lagenam vacuam cum ardente intus lampade, ut hora certaminis conclamarent tubis Deo et Gedeoni lagenasque confringerent. Lagena carnem significat, lampas intus accensa spiritum Christi, tuba confessionem fidei laudemque Dei. Sic enim oratione et poenitentia vincuntur daemones, dicente Domino: *Hoc... genus non eiicitur nisi in oratione et ieiunio; Non est* autem *nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* idest adversus homines, *sed adversus principes et potestates tenebrarum harum.* Quam pauci sunt qui ad Christi imitationem orationi et ieiunio operam dant! His enim armis pugnandum est contra daemones et *contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* Illi sunt igitur efficaciter vocati atque electi qui armis iustitiae usque in finem pugnant contra diabolum, sicut pugnavit Christus in deserto, *per arma iustitiae a dextris et a sinistris,* declinando a malo et faciendo bonum, mortificando carnem et vivificando spiritum *in hymnis et psalmis et canticis spiritualibus,* nam Christus pernoctabat in oratione Dei.

Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, etc. Celebramus hodie festum sanctissimi ac beatissimi Andreae apostoli, qui fuit primogenitus filius Christi, primus Christi discipulus. Cum enim esset Ioannis Baptistae discipulus, audito Ioannis testimonio de Christo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, statim voluit Christi discipulus fieri, credens eum verum esse Messiam; quare, invento fratre suo Simone Petro, dixit: *Invenimus Messiam*, eumque ad Christum adduxit. Quare videtur mihi Andreas optime designatus in patriarcha Ruben primogenito filio Iacob, qui in duodecim Patriarchis synagogae primus fuit. Appellatur ille Ruben, idest filius visionis, sic Andreas filius est visionis, nam: Vidit Andream et vocavit eum. De illo ait Iacob moriturus: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei; prior in donis, maior in imperio*, sive ut est in hebraico: *ieter sceeth veieter haz: excellentia elevationis*, idest dignitatis, honoris, *et excellentia roboris*, sive potentiae, quoniam cum primogenitus esset, ipse successurus erat iure primogeniturae in locum patris supra fratres suos, sed ob thorum patris violatum non fuit assecutus paternam dignitatem Ruben.

In margine:

Synagoga typus fuit et figura Ecclesiae, Iacob Christi, duodecim Patriarchae duodecim Apostolorum; Ruben ergo, primus Patriarcharum, Andreae, qui primus fuit discipulorum Christi. Nullus alius reperitur in Scripturis qui dictus sit Ruben, sic nec Andreas.

Quattuor dicit de Ruben: *Tu fortitudo mea*, quoniam fortis viribus erat, florenti genitus aetate; tu *principium doloris mei*, sive fortitudinis aut substantiae meae, nam aliquando ponitur און, idest fortitudo, robur, pro הון, idest substantia, facultas, opes, divitiae, nam primogenito debebatur duplex hereditas; *tu excellentia dignitatis*, quoniam sacerdotium ei conveniebat, et tandem excellentia potentiae, quia regnum. Sic Paraphrastes Chaldaeus docet quod Ruben tria haec conveniebant; sed quoniam thorum patris violavit, data fuit primogenitura Ioseph, ex quo duae tribus, sacerdotium Levi et regnum Iudae. Sic de primogenito hoc Christi filio in hodierno Evangelio quattuor designantur: primum nomen, Andreas, virilis, fortis: ecce Ruben *fortitudo mea;* secundum est fratrem esse Petri natu maiorem sociumque ipsius in principatu ecclesiae, fuit enim veluti cardinalis primus et legatus a latere, cui in coelo data est gloria apostolatus et martyrii; tertium ars piscandi, ministerium verbi, plenitudo divinae sapientiae cum sacerdotali dignitate, episcopali et patriarchali; tandem plenitudo spiritus in operatione miraculorum, factus homo divinus supra naturam. Hic igitur verus est Ruben filius visionis, sive quem vidit filius, qui etiam chaldaice interpretrari potest: quem vidit oculus, sive oculus qui videt: *henderah*.

Andreas autem, quoniam non ipse, sed frater ipsius, Petrus, ab aeterno ordinatus fuerat Christi vicarius ac veluti successor in Ecclesia: *Sedere... ad dexteram meam... non est meum dare*, nisi *quibus paratum est a Patre meo*, hanc ob causam non fuit institutus ipse princeps Apostolorum et caput Ecclesiae, vicarius Christi. De Ruben

in *Deuteronomio* legimus: *Vivat Ruben et non moriatur ;* sic Andreas vita aeterna dignus est habitus. De Ruben legimus quod in agro invenit mandragoras, sed de Andrea quod invenit Christum: *Invenimus Messiam*, infinitum invenit thesaurum, mundum novum, sed ter maximum, in quo sunt omnes thesauri divinitatis. Si plurimum debet mundus iis qui novum orbem invenere, quid debeat Andreae, qui Christum universi conditorem invenit? *Omnia per ipsum facta sunt; Mundus per ipsum factus est.*

De beatissimo autem hoc Apostolo in sacrosancto hodierno Evangelio quattuor tantum proponuntur: nomen, quod dicebatur Andreas; sanguis, quod frater Petri; ars, quod erat piscator, et tandem viva fides promptissimaque obedientia: *Continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.*

Primum designat virtutem naturalem, secundum virtutem moralem, tertium artificialem et quartum supernaturalem. Nam omnia quae in mundo sunt, vel naturalia sunt, vel moralia, vel artificialia, vel tandem supernaturalia et divina. Andreas graecum videtur nomen et virilem significat, virili erat animo, forti et constanti, corde non effeminato; patuit postea in martyrio. Sed forte Andreas dictus est ab *endor* hebraice, quod significat f o n t e m g e n e r a t i o n i s vel o c u l u m p e r e g r i n a t i o n i s, vel forte a voce *neder*, quod est v o t u m, cum *h* notificationis, *haneder : Vota mea Domino reddam coram omni populo eius ; pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Sed non discedamus a communi interpretatione qua Andreas virilis dicitur, vir perfectae aetatis, homo aetate, iudicio, viribus perfectus, homo fortis, homo perfectus natura, gratia et gloria, perfecta Dei imago in triplici statu, perfecta Dei similitudo. Homo erat ad imaginem et similitudinem Dei conditus, hinc piscibus dominabatur maris tanquam maris dominus: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis.*

Secundo loco moralis commendatur virtus: frater Simonis Petri, qui a Deo destinatus erat Summus Pontifex, hierarcha Ecclesiae, Andreas cum eo manebat, cum eo habitabat, germana cum eo utebatur caritate: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma, Proverbiis* 19. Non divisit eum a fratre avaritia, non superbia; sed licet frater maior natu esset, Petro tamen veluti subditus erat, totus mitis, mansuetus, humilis, multas enim virtutes didicerat a Ioanne Baptista.

Quoniam vero homo erat, rationale animal, secundum rationis normam non sensus vivebat, naturalem legem pro viribus servabat: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines... vos facite illis ;* sic *plenitudo... legis est dilectio* fraterna.

Tertio artem inculpatam exercebat, omnis fraudis dolique expertem, quae impavidum requirit animum multamque vigilantiam et patientiam: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus ;* sic ad victum iuste et sine culpa quaeritandum multos diu noctuque perferebat labores, multa incommoda. Est ars haec simplex, innocens, inculpata, sicut pastoralis ars, quam Abel exercuit et Patriarchae; sic vitam ducebat immaculatam: *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam.* Vitam enim immaculatam diligit ac requirit Dominus, hinc in Veteri Testa-

mento pastoribus delectatus est, in Novo autem piscatoribus, nam utraque ars inculpata est vitaque immaculata.

Quarto tandem loco proponitur mirabilis eius vocatio: *Venite post me... faciam vos fieri piscatores hominum,* et in exequendo divinam hanc vocationem mirabilis fides mirabilisque obedientia: *Continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Hoc est quod a nobis in primis requirit Deus: fides et obedientia, has enim requisivit ab homine in paradiso. Eques empturus equum aptum ad proelium, haec in primis requirit: an sanus sit et freno obediens generosoque spiritu; nauclerus navim ascensurus ad maria transmeanda, considerat diligenter an integra sit beneque constructa et an timoni obediat ut optime regi, dirigi et gubernari possit in mari. Sic Christus vidit, consideravit et vocavit hos Apostolos, perspecta in eis animi integritate et promptitudine ad obediendum. Non considerarunt Apostoli humana prudentia: Quis es iste qui vocat nos? quid boni agere poterit? quomodo vivemus, relicta arte, navi et retibus? sed simpliciter prompteque obedivere.

Humana prudentia mundanaque et carnalis sapientia impedimento est ad aeternam salutem consequendam. Hoc forte in mysterio est quod Cherubim positi fuere cum flamma ignis et gladio, ad impediendum ne homo in paradisum ingredi iterum posset ad sumendum vitae lignum ut in aeternum viveret, nam Cherub s c i e n t i a e p l e n i t u d o interpretatur. Animus autem noster flamma ignis est per appetitum et desiderium boni in concupiscibili et gladius per odium et fugam mali in irascibili. Si diebus vitae nostrae egerimus Deusque permiserit ut cherub humanae sapientiae et prudentiae animum nostrum regat, impedimento nobis erit ad salutem consequendam. Fides a nobis requirit, ut omnis vitae nostrae cura in Deum reiiciatur divinaeque providentiae relinquatur: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet; Nolite cogitare quid manducabimus... scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quaerite... primum regnum Dei et iustitiam eius et haec omnia adiicientur vobis.* Sed non capit hoc prudentia et sapientia carnis.

Advertendum autem quid Dominus Apostolis dicat: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Non prohibet omnino piscationem animumque piscandi, sed meliorem suadet piscationem, mutat obiectum et relinquit affectum, sicut alibi: *Nolite thesaurizare vobis... in terra,* sed in coelo, et: Nolite gaudere quia daemones subiiciuntur vobis, sed quia *nomina vestra scripta sunt in coelo; Nolite timere eos qui occidunt corpus... sed timete eum qui potest et corpus et animam mittere in gehennam.* Prohibuit ne adorarent fideles colerentque idola sed Deum, ne idolis sacrificarent sed Deo. Relinquit affectum et mutat solum obiectum; non prohibet Deus quin desideremus et quaeramus bona, divitias, honores, voluptates, nam boni desiderium malique odium ipse auctor naturae posuit ac plantavit in cordibus nostris, sed vult ut coelestia, divina, sempiterna appetamus et quaeramus bona.

Sed hoc est malorum omnium seminarium, fratres, haec radix, origo et fons totius perversitatis: vix credimus reperiri bona quae Deus promittit, hinc affectamus praesentes mundi delicias, non promissas a Deo in coelo. Promittebat Moyses, imo Deus per Moysen Hebraeis ingentia bona terrae sanctae absentia, quae non videbantur bona, Pharao autem promittebat bona Aegypti praesentia, quae oculis cerne-

bantur, et tamen, o mirabilem Dei potentiam! crediderunt illi magis Moysi quam Pharaoni, propterea sequentes Moysen reliquerunt Aegyptum cum omnibus bonis quae ibi possidebant. In praesentiarum autem promittit hinc Christus bona coelestia, mundus autem, imo satanas mundi princeps, bona terrena, praesentia. Nos cui magis credimus? quem sequimur? quid agimus? ubi sunt qui, relictis omnibus, Christum sequuntur?

IN FESTO SANCTI ANDREAE APOSTOLI [1]

Fragmentum.

Vocavit Dominus Petrum et Andream ut essent praedicatores Evangelii, hoc enim est: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, ut essent duae tubae Christi argenteae, quas Deus Moysi iussit fieri ad convocandum populum in tabernaculum Domini, ad movenda castra in deserto versus terram promissionis, ad accendendos milites ad bellum et tandem ad celebranda convivia cum exultatione in diebus solemnibus.

Quattuor sunt quae vel maxime praedicanda sunt, cum tuba hieroglyphicum sit praedicationis: *Sicut tuba exalta vocem tuam:* Praedicanda pietas et religio in Deum; praedicandus mundi contemptus, quoniam peregrini sumus; praedicandum bellum contra daemones et inimicos spiritus Dei ac tandem praedicanda gloria paradisi.

Ad hoc vocati sunt Apostoli hodie, ut essent tubae argenteae, clari vita atque doctrina quales voluit Dominus esse Prophetas, tubae Christi loquentes et praedicantes per afflatum Spiritus Sancti.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae. Mirabilis piscator Christus. Saepe in Sacris Litteris appellatus est *pastor*, hodie ostenditur piscator, sed qui solo piscatur verbo et ex piscibus facit piscatores. Adam in paradiso fuisset piscator, auceps, venator solo verbo: *Dominetur piscibus*, etc. [2]

Aliud fragmentum. [3]

Faciam vos fieri piscatores hominum, idest praedicatores, etc. In *Apocalypsi* capite 8 legimus quod septem Angelis stantibus ante thronum Dei datae fuerunt septem tubae. Per tubam autem praedicatio designatur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*, etc.; et O s e a e 8: *Sit tuba in gutture tuo.* In *Iosue* legimus quod, sacerdotibus tubis concrepantibus, muri Iericho corruerunt. Necesse est ut praedicator

1) Fragmentum hoc invenitur inter folia avulsa.

2) In calce huius folii haec nota invenitur: « Ego infrascriptus fidem facio hoc scriptum esse authographum B. Laurentii a Brundusio Ordinis nostri Capuccinorum olim Ministri Generalis, excerptum ex voluminibus ab ipso exaratis, quae in hoc Archivio Prov.li huius Conventus Venetiarum servantur.

Die 14 Februarii 1846

(sigillum Provinciae) Fr. Paulus Antonius Min. Prov.lis »

3) Fragmentum hoc invenitur in folio avulso, quod in conventu Capuccinorum Bassani religiose servatur.

angelus sit vita et doctrina, quae per tubam coelitus datam designatur. Sacerdotes olim tubis argenteis populum ad templum convocabant et ad pugnandum contra hostes Dei hortabantur.

De Andrea haec legimus, quod homo fuerit Galilaeus, de civitate Betsaida, professione piscator, frater natu maior Petro, discipulus Ioannis Baptistae; quod primus in Christum credidit, quod Petrum ad Christum perduxit, quod ipse primus omnium Christum verum esse Messiam cognovit, audito a Ioanne: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Fuit cor ipsius terra bona, quae reddit fructum centuplum. Petro dixit: *Invenimus Messiam,* thesaurum absconditum in agro, pretiosam margaritam, etc.

In Sancto hoc mirum in modum visa sunt concurrisse virtutem atque fortunam sortemque divinam, in eo quod Christum invenit et a Christo vocatus fuit ad apostolatum, ad gloriam.

Agitur hodie de mysterio vocationis, quae est primus effectus divinae praedestinationis, ut Paulus ait.

Multas legimus vocationes in Scripturis, sed haec praecipua est: vocatio Abrahae, vocatio Moysi et vocatio Elisei ut esset alter Elias. In his duobus fratribus mysterium cernitur Ephraim et Manasse.

Miraculum referunt Sacrae Litterae quod, cum ferrum cecidisset in profundam aquam, Eliseus ligno illud piscatus fuit sursumque ascendere fecit ac si lignum illud fuisset optima ac potens magnes. Sed multo maius hodiernum miraculum est. Quam grave est cor humanum! *Filii hominum, usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem ?* etc., massa plumbi apud Zachariam.

Vocavit hos Christus quoniam erant praedestinati, vocavit quoniam bonus est Dominus; Paulus : *Vocavit* me *per gratiam suam ;* vocavit quoniam erant piscatores, ut essent piscatores hominum.

Quis vocat ? Christus Deus et homo. Quos vocat ? Piscatores. Ad quid vocat ? Ut essent piscatores hominum. Sed quis vocationis huius effectus ? *Statim relictis retibus,* etc. Non fecerunt sicut illi: *Vocavi et renuistis.* [1]

1) In calce huius folii haec nota invenitur: « Ego infrascriptus fidem facio hoc scriptum esse authographum Beati Laurentii a Brundusio Ordinis nostri Capuccinorum olim Ministri Generalis, excerptum ex voluminibus ab ipso exaratis, quae in hoc archivio Provinciali huius Conventus Venetiarum servantur.

Die 1 Augusti 1853

(sigillum Provinciae) Fr. Andreas M. a Venetiis Prov.lis Capnus »

IN DIE SANCTI THOMAE

Thomas unus ex duodecim... non erat cum eis quando venit Iesus... Post dies octo... venit Iesus.

Ad depellendas tenebras caecamque noctem fugandam posuit Deus in medio coeli inter astra lucidissimum solem, perennem fontem venamque maximam et inexiccabilem, indeficientem thesaurum divinae lucis; sic ad eliminandas tenebras mentium, ad noctem ignorantiae depellendam positus est Christus, *Sol iustitiae*, thesaurus indeficiens divinae sapientiae, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, in medio coeli Sanctae Ecclesiae: *Stetit Iesus in medio* discipulorum *et dixit: Pax vobis*. Haec lux est divini huius solis, pax; haec illuminavit tenebrosam abyssum cordis mentisque Thomae: *Tenebrae erant super faciem abyssi, et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Viditque Deus lucem quod esset bona*, idest perfecta. En tenebrae Thomae: *Nisi videro... non credam;* sed ecce lux: *Dominus meus et Deus meus!* Haec fides perfecta est, Christum Deum et hominem credere, verum Deum, verum et perfectum hominem: *Dominus meus et Deus meus: o chirios mu che o theos mu, ille Diminus meus et ille Deus meus! Iste Deus meus et glorificabo eum, Deus patris mei et exaltabo eum.*

Stetit in medio et dixit: Pax vobis. Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Delectatur Deus medio, delectatur Christus. In libro *Iosue* legimus: *Stetit sol in medio coeli*, magno utique miraculo; sic hodie Christus, nam resurrexit in gloria, quam in sua transfiguratione ostendit, quando *resplenduit facies eius sicut sol*. Est Christus sicut firmamentum in medio aquarum, sicut lignum vitae in medio paradisi, sicut cor in medio corporis. Divinum propitiatorium positum erat in medio cherubim, tabernaculum et sanctuarium Dei in medio populi: *Facient mihi sanctuarium et habitabo in medio eorum;* nam tres tribus castrametabantur a dextris ad orientem, tres a sinistris ad occidentem, tres ad austrum et tres ad aquilonem. Moyses Deum vidit in medio flammae et universo populo apparuit in medio caliginis; Isaias Deum vidit in medio Seraphim, Ezechiel in medio quattuor animalium et rotarum, Michaeas in medio coelestium exercituum: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris;* I o a n n e s in *Apocalypsi* Deum vidit sedentem in medio viginti quattuor seniorum et quattuor animalium ac in medio omnium Angelorum: *Omnes Angeli stabant in circuitu sedis;* Daniel etiam Deum vidit in medio innumerae multitudinis coelestium spirituum ministrantium et assistentium ei.

Sic medius locus in Scripturis Sanctis Dei proprius est; hinc stat Christus in medio, quoniam Deus est. Est Deus in mundo in medio uniuscuiusque rei, sicut spiritus in corpore animali, ipse enim dat [1] omnibus esse:

« Spiritus intus alit totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet »,

ait ille, et alibi:

« Ab Iove principium, Iovis omnia plena ».

Hinc magnus ille philosophus Deum dixit sphaeram intellectualem, cuius centrum ubique est, sed circumferentia nusquam, nam Deus ubique praesens est vera et essentiali praesentia, non tantum potentiali, ut sol in mundo et rex in regno: *Coelum et terram ego impleo ; Coelum mihi sedes est ; Ea quae sub ipso erant replebant templum ; Maiestas Domini implevit templum* Domini, mundum universum.

Sic in mundo mystico Sanctae Ecclesiae stat Christus in medio: *Ubi... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ioannes in *Apocalypsi* vidit eum in medio septem candelabrorum aureorum. Imo specialiter competit Christo medius locus, quoniam ipse media est in Trinitate persona. Ecclesia veluti rota est quam vidit Ezechiel, habentem quattuor facies, plenam oculis et plenam spiritu vitali. Sed centrum huius rotae Christus est, ab eo ducuntur omnes lineae ad omnem circumferentiam. In die palmarum visus fuit Dominus in medio fidelium, nam *qui praeibant et qui sequebantur clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Sicut olim, transmisso Iordane, cum populus terram promissionis ingressus fuit, posita fuit arca in medio tribuum Israel, collocatis sex tribubus ad dextram supra montem Garizim et aliis sex ad sinistram supra montem Hebal, sic in die iudicii Christum videbimus in medio omnium tum Angelorum tum hominum, nam electos statuet a dextris cum Angelis sanctis, reprobos autem a sinistris cum daemonibus. Semper Christus in medio, etiam in morte inter duos [2] latrones crucifixus: *Stetit in medio.*

Agitur in hodierno Evangelio de Christi divinitate: *Dominus meus et Deus meus !* Hinc stat Christus in Ecclesia et verbo operatur, sicut Deus in mundo. Non movetur Deus: *Deus ego et non mutor ;* neque enim moveri potest secundum locum, quoniam infinitus est; neque secundum quantitatem aut qualitatem, quoniam neque crescere neque decrescere potest, sed tamen stabilis manens:

« Dat cuncta moveri »,

nam verbo operatur omnia: *Ipse dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt. Dixit... Fiat lux. Et facta est lux.* Sic Christus hodie dixit: Fiat pax fidei et gratiae; et facta est pax. Sic Thomae perfectam contulit fidem, qua iustificatus Christum adoravit dicens: *Dominus meus et Deus meus !*

Plenum est hodiernum Evangelium splendoribus divinitatis Christi, quia venit ianuis clausis, quia stetit in medio, quia dixit: *Pax vobis*, et facta fuit pax. Venit ianuis clausis, sicut descendit Deus super montem Sinai ad dandam legem, descendit

1) Ms.: *Dant.* 2) Ms.: *Duo.*

in templum Salomonis ad habitandum in eo, clausis coeli ianuis, sicut radius solis coelum penetrans descendit in terram. Ingressus etiam fuit Virginis uterum, intemeratis claustris virginitatis, clausis uteri virginalis ianuis.

Stare in medio Dei proprium est in Scripturis Sacris, sicut sol in medio coeli, sicut anima in medio corporis. Stetit in medio discipulorum, in medio Ecclesiae et dixit: *Pax vobis;* Deus pacis fecit pacem.

A mirabili effectu conversionis Thomae, ab incredulitate et obstinata pertinaci protervaque perfidia ad integram perfectamque fidem, maxime ostenditur Christi divinitas. Nam fides Dei donum est: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei.* Solus Deus potest humanae menti fidei lumen infundere; Apostoli nanque hodie non potuerunt Thomam inducere ad credendum. Praedicabant quidem dicentes: *Vidimus Dominum;* ille autem: *Nisi videro* et tetigero, *non credam.* Forte, inquit, spiritum et phantasma Domini vidistis, faciles fuistis ad credendum, debueratis palpare et summa cum diligentia periculum facere an vere resurrexerit. Ego igitur *nisi videro... non credam,* et nisi etiam manibus meis tetigero et contrectavero corpus ipsius.

Sol oriens magnas efficit umbras, quas nonnisi in medio coeli positus dispellit; sic Christus resurgens magnas dubitationum umbras veluti induxit in mentes discipulorum, qui *existimabant se spiritum videre,* maxime vero in Thoma hae umbrae videntur; sed stans Christus in medio, eas lumine claritatis suae omnino dispulit: *Dominus meus et Deus meus!* Haec fides clara est atque perfecta. Quoniam non agnoscebat Thomas Christi divinitatem, propterea non credebat resurrectionem; visa autem resurrectione, agnovit divinitatem: *Dominus meus et Deus meus!* Superavit fidem ceterorum discipulorum. Illi dixerunt: *Vidimus Dominum;* Thomas autem non tantum Dominum, sed etiam Deum agnovit, nam ideo Christus Dominus absolute est quia Deus. Non enim dicitur dominus huius aut illius rei, sicut rex Israel, rex Aegypti, rex Syriae, sicut Episcopus huius aut illius civitatis; sed Dominus, sicut imperator universi, sicut Papa pastor universalis Ecclesiae: *Dominus meus et Deus meus!*

Egit Christus cum Thoma sicut rex Ezechias cum templo Domini, quod ab idololatris clausum fuerat, extinctis lucernis; sanctissimus autem Ezechias aperuit templum, accendit lucernas, instauravit cultum Dei, mundavit et sanctificavit templum illud, quod impius rex Achaz profanaverat. Sic Christus verus Ezechias, f o r t i t u d o D e i , f o r t i s D e u s, videns Thomam, qui templum erat Spiritus Sancti, diaboli arte profanatum, clauso ostio et extincta fidei lucerna, in pristinum statum ac multo meliorem restituit multoque gloriosiorem domum hanc Dei reddit.

Erat Thomas aureum candelabrum, sed extinctum; luna erat solis imago in nocte, sed eclipsata, luminis deliquium passa; praesente autem Christo, divinitatem eius agnovit, adoravit, confessus est: *Dominus meus et Deus meus!* Maxime videns Christum quod venit ad eum tanquam pastor ad quaerendam ovem quae perierat, sicut mulier drachmam quaerens amissam, sicut fortissimus David ovem suam eruit de ore leonis, nam: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens*

quem devoret; tanquam piissimus pater non expectat ut veniat, sed pergit ipse ad filium qui perierat quaerendum, nam: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum;* imo *secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se;* et *quantum distat ortus ab occidente longe fecit a nobis iniquitates nostras,* idest poenas iniquitatum nostrarum. Imo ait: *Magna est super coelos misericordia tua,* idest universo coelo multo maior, *et veritas tua usque ad nubes.*

Divinam plane misericordiam exhibuit hodie Christus Thomae. Non enim Lazarum quatriduanum hodie suscitavit, sed octiduanum, nam peccatum mors est: *Frater tuus hic mortuus erat et revixit.* Sicut autem nonnisi Christus Lazarum in carne mortuum potuit a morte suscitare, sic nec Thomam in spiritu mortuum vivificare nemo potuit, nisi Christus.

Divinam etiam et superhumanam ostendit pietatem, nam quis dominus erga servum, licet unice dilectum, imo quis pater erga unicum et dilectissimum filium egisset quod Dominus erga Thomam egit? Pater iniuria affectus a filio vix eum poenitentem veniamque petentem suscipit, sicut David cum Absalomo egit; pater autem ille evangelicus suscepit quidem filium prodigum venientem ad se cum lacrimis dicentemque: *Pater, peccavi in coelum et coram te, non sum dignus vocari filius tuus;* sed non ivit ad quaerendum eum dum pasceret porcos fameque periret, cum dissipasset bona omnia vivendo luxuriose, non enim eousque sese extendit humana pietas. Sed non sic Christus, nam ait: *Misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei magis quam holocausta,* Osea[1] 6, ubi Dominus de misericordia Dei et hominum verba facit: *Quasi diluculum,* idest aurora, *praeparatus est, nacun, firmiter stabilitus est egressus eius, et veniet nobis quasi imber temporaneus et serotinus terrae.... Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens.* Misericordiam Dei comparat aurorae quae tenebras omnes noctis depellit, et pluviae temporaneae et serotinae simul. Nam bis tantum in anno pluebat in terra promissionis, ut Hieronymus *Amos 4,* tempore sementis in autumno, et vere cum fructus ad maturitatem perducuntur, in illis regionibus; quare utraque pluvia erat summe necessaria, summe utilis, gratissima et ab omnibus summis votis expectata; utraque autem pluvia ad infundendam ac inebriandam terram, sicut Isaias ait: *Quomodo descendit imber de coelo et infundit terram et inebriat eam et germinare eam facit,* magnam afferebat copiam aquarum. Hominum autem misericordia perexigua est, sicut nubes matutina et sicut ros quae, exorto sole, exiccantur et arescunt, humectare terram minime possunt. Michaeas 7 divinam misericordiam profundum mare appellavit dicens: *Revertetur et miserebitur nostri, deponet omnes iniquitates nostras et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra;* hinc legimus in *Apocalypsi* quod ante thronum Dei, qui circumdatus erat iride, erat mare magnum instar diluvii, cuius aquae similes erant crystallo.

Magna et infinita est Dei pietas et misericordia quam hodie Christus Thomae exhibuit. Indignus quidem videbatur Thomas propter pertinacem incredulitatem et

1) Ms.: *Michaea.*

protervam perfidiam: *Nisi videro* et tetigero, *non credam;* nec oculis, inquit, meis credam. Moyses et Aaron iram Dei incurrerunt eo quod non crediderunt Domino quod de petra aquam sitienti populo posset educere, cum tamen tale aliquid nunquam ante vidissent nec audissent. Thomas autem viderat innumera Christi miracula, multos etiam a morte ad vitam revocatos Christi virtute; saepe a Christo audierat quod moriturus erat et tertia die resurrecturus. Audit discipulos affirmantes se propriis oculis simul omnes vidissse Dominum suscitatum, et tamen non credit nec vult credere, sed octo dierum spatio perseverat in infidelitate et obstinata cordis duritia; sic deceptus et excaecatus erat a diabolo magna cum Christi iniuria, nam satanae magis credebat quam Christo. Christus tamen non irascitur contra eum, sicut Deus contra Moysen et Aaron, sed maxime miseratur, sicut pius pater aut piissima mater videns dilectissimum filium phrenesi correptum et insanientem, tunc maximae miserationis affectu commovetur cum filium maxime videt insanire.

O infinitam Christi clementiam! Princeps est Christus: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Thomas electus erat a Christo cum ceteris Apostolis tanquam princeps et praefectus inter summos regni principes; per infidelitatem autem a Christo defecerat, rebellis factus erat. Summus autem hic princeps et maximus mundi imperator, monarcha universi: *Rex regum et Dominus dominantium – Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile ? –* pergit ipsemet per seipsum ad eum sibi conciliandum aitque: *Pax vobis, pax vobis.* Ipse offert, ipse quaerit pacem et reconciliationem dicitque Thomae: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meus, et noli esse incredulus, sed fidelis.* Ah Thoma! inquit, sic fit? sic agitur? An non *filius honorat patrem et servus dominum suum ?* An non aequum erat et ratio requirebat ut crederes tot incorruptis et oculatis testibus? An non lex iubet ut *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum ?* An necesse est ut Deus homini morem gerat? dominus servi annuat voluntati? Age nunc, igitur, sit ut voluisti, ut apud teipsum statuisti: *Iam noli esse incredulus, sed fidelis.*

Quo in loco egisse videtur Dominus sicut prudens ille evangelicus negotiator quaerens bonas margaritas, inventa autem una pretiosa, quoniam qui eam habebat nonnisi caro vendere eam disposuerat magnoque pretio, ut tantum dare ac solvere posset quantum ille petebat, *abiit et vendidit omnia* quae habebat *et emit eam.* Anima Thomae margarita erat valde pretiosa, Dei imagine naturaliter insignita; ad eam emendam Christus tantum dat quantum venditor petit. Visionem postulat Thomas et tactum corporis Christi; Christus seipsum offert videndum et palpandum. Sicut Deus Gedeoni signa quae postulavit concessit, sic nunc agit cum Thoma: *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvabit eos.*

Stetit in medio qui Dei et hominum mediator est, sicut inter coelum et terram, medium est aeris elementum, quod si non esset ad implendum interiacens spatium sed vacuum daretur, non reciperet terra coelestes influxus qui in eam nonnisi per aerem descendunt et bonis omnibus replent. Ita Deus, si Christus non esset, non communicaret bona sua mundo; quare per Christum a Deo descendit *omne datum optimum et omne donum perfectum... a Patre luminum.*

Infer digitum tuum huc et vide manus meas... et noli esse incredulus, sed fidelis, etc. Duo sunt quae vel maxime Christus a Thoma requirit: ut dimittat incredulitatem et toto pectore fidem amplectatur, nam Dominus abominatur vitium, virtutem autem in nobis summopere desiderat: *In his duobus... universa lex pendet; Declina a malo et fac bonum*, dimitte vitium, sequere virtutis viam qua in coelum tenditur. Haec enim duo proponuntur nobis hodie in Thoma: prius quidem magna incredulitas, postea vero magna fides. Quare est Thomas instar illius vasi apud I e r e m i a m, quod casu confractum a figulo, multo pulcrius formatum fuit. En vas confractum: *Nisi videro... non credam;* sed ecce refectum multo pulcrius: *Dominus meus et Deus meus!* Erat Thomas sicut caecus ille qui a Christo illuminatus fuit Christumque Dei Filium agnitum *procidens adoravit;* sic Thomas.

Nec est in universa Scriptura illustrior confessio divinitatis Christi hodierna hac Thomae: *Dominus meus et Deus meus!* Hoc unicum ac singulare principium totius christianae philosophiae, basis et fundamentum fidei nostrae: *Dominus meus et Deus meus!* Fidem a nobis Deus Christus Dominus quam maxime requirit, quoniam haec, ut ait A p o s t o l u s, *est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, radix est arboris vitae, fundamentum divini templi, radix arboris Nabuchodonosor quae relicta fuit in terra, fundamentum templi Salomonis quod, combusto eversoque templo, remansit ut super illud templum reaedificari potuerit. Fidem requirit, quoniam *sine fide... impossibile est placere Deo* et quoniam *iustus... ex fide vivit.* Hanc ostendit hodie Dominus viam esse salutis, scalam coeli, portam paradisi: *Beati qui non viderunt et crediderunt.*

Operae pretium igitur erit ut de salutari fide aliqua praelibemus, cum fidei Dominus salutem tribuat animarum. Hanc existimo in Divinis Litteris per primam lucem designari, fides nanque lumen appellatur: *De tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum; Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris; Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis; Vidit Deus lucem quod esset bona.* Apud Deum autem in hoc mundo sine fide nihil bonum: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam; Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Bonam dixit Deus lucem, quoniam ornamentum est mundi et causa atque origo omnium bonorum naturalium suo vitali, imo vivifico calore. Ipsa via ligni vitae, ad cuius custodiam positus est Cherub cum gladio igneo atque versatili; haec columna nubis et ignis, quae populum per desertum ducebat in terram promissionis; haec veluti scala Iacob et igneus currus Eliae; haec stella mirabilis, quae Magos duxit ad Christum; haec *Rationale* in pectore summi pontificis cum duodecim lapidibus pretiosis; haec mensa aurea cum duodecim panibus propositionis; haec aureum candelabrum in tabernaculo Moysi; imo haec mihi in mysterio videtur mirabilis illa mulier in coelo visa Ioanni, amicta sole, supra lunam, stellis duodecim coronata, quae Christum pariebat; talis nanque est anima viva fide instructa. Tota lucida est fides, imo tota lux, quoniam mentis oculos mirabiliter illuminat cognitione Dei, cognitione Christi, qui fidei tum auctor est tum obiectum: *Dominus meus et Deus meus!*

Fides autem, quae Graecis dicitur *pistis*, hebraice dicitur *emunah*, quod est v e -

ritas, nam fidei non potest subesse falsum, significat etiam firmitatem, unde etiam columna hebraice aliquando eo appellatur nomine a firmitate; sic Paulus fidem dixit *substantiam, hypostasin,* idest basim et firmamentum rerum invisibilium. Significat etiam nutricem, nutrit enim nos fides coelestibus alimentis; aliquando etiam artem significat excellentem, unde excellens artifex dicitur *aman,* siquidem fides ars est excellentissima bene vivendi Deoque serviendi in spiritu et veritate, quoniam etiam verissima scientia salutis est, cum ducat nos ad certissimam cognitionem Dei.

Regius Vates *Psalmo 18* ostendit duplici via nos in Dei cognitionem devenire, naturali et supernaturali: naturali per contemplationem rerum naturalium, nam *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas;* supernaturali vero per fidem. De prima ait: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum; dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam; non sunt loquelae neque sermones quorum,* etc. Sic docet quod a magnitudine coeli, a pulcritudine firmamenti, a perpetua, ordinatissima, imperturbabili vicissitudine temporum, ab omnibus ubique gentibus Deum agnosci posse naturae auctorem mundique universi rectorem. Sed *lex Domini immaculata,* perfecta, *convertens,* quietans, tranquillans *animas, testimonium Domini fidele,* verax, certum, *sapientiam praestans parvulis; Thorath iehovah, lex doctrina Domini.* Fides est ab ipsomet Deo per seipsum, per Angelos, per Prophetas tradita hominibus: *Iustitiae Domini, pikude, decreta, canones Domini, recta,* absque errorum ambagibus, *laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum,* purum instar solis, *illuminans oculos; timor Domini sanctus, agios* vel *agnos, castus, purus, permanet in saeculum saeculi, iudicia Domini vera,* imo *veritas, iustificata pariter simul.* Timor Domini appellatur fides, quoniam non complectitur naturalem tantum, ut ita dicam, philosophiam, non fovet tantum theorias, sed etiam moralem philosophiam docet et praxes morum, ut vita iuste et sancte ducatur, ut serviamus Domino *in sanctitate et iustitia... omnibus diebus nostris.*

Deinde omnis quidem scientia desiderabilis est, fides autem super omnem scientiam: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum,* copiosum, *et dulciora super mel et favum, et servus tuus custodit ea,* clarificatur, splendescit in eis, *et in costudiendis illis retributio multa,* magna merces. Sic enim Deus dixit fideli Abrahamo: *Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Natura, inquit, imperfectam dat scientiam et cognitionem Dei, sicut opus artificis, sed fides multo perfectiorem.

Summatim autem tria de fide docet: essentiam, virtutem et operationem; quid sit, qualis sit et quae operetur. Quod spectat ad primum inquit quod lex Domini, doctrina Domini, iudicium et sententia Domini, est veluti lux solis et quod ipsa veritas est cui non potest subesse falsum, nam Deus ipsamet veritas et sapientia est. De secundo ait quod perfecta est, lucida, pura et munda est, quod fidelis et certa est, optimis fundamentis et basibus instar firmissimae columnae collocata, nam fides columna est et fundamentum veritatis.

In margine :

Non tantum legem Domini appellat, sed etiam *testimonium Domini*, quod non potest esse falsum, et *iudicium Domini iehova ;* iudicium autem Dei errare non potest, sicut nec sol obscurari cum sit fons luminis, nec ignis frigefieri; hinc iudicium hoc Domini, sive iudicia Domini, veritatem appellat, quoniam quod Deus verum iudicat ipsissima veritas est.

Habet philosophia tres partes: quoad mores, quoad naturam et quoad rationem mentemque; hinc forte per cerberum tricipitem ac trifaucem canem designatur. Est ethica, moralis philosophia, est physica, naturalis, et est etiam methaphysica, supernaturalis, quae Salomon tribus libris docuit *Proverbiis*, *Ecclesiaste* et *Cantico*.

Lex Domini perfecta est, omnis in ea reperitur rerum cognitio absque ullo errore, sine ulla falsitate, et doctrina est lucida et clara, non hieroglyphicis, non fabulis involuta; firmissima et inconcussa habet principia, certissimas demonstrationes, hinc a Paulo dicitur *argumentum, elenchos*, maiorem certitudinem affert menti quam sensus vel firma ratio aut certe mathematica demonstratio.

Tandem de effectibus tria dicit: quod convertit sive tranquillat et pacat animam et conscientiam, illuminat oculos: *Sapientiam praestans parvulis* et quod laetificat cor magnamque affert retributionem. Si radices habet amaras haec arbor, tandem fructus affert suavissimos: *Lignum vitae est iis qui apprehenderint eam.* Sic fides actus habet hierarchicos: purgat mentem: *Fide purificans corda eorum ;* illuminat: *Mandatum lucerna est et lex lux et via vitae increpatio disciplinae ;* perficit, nam: *Beatus homo qui invenit sapientiam.*

Thomam hodie videmus purgatum, illuminatum, perfectum, beatificatum fide et cognitione Christi. Erat Thomas incredulus, impurus, obscurus in intellectu, ignorans Christi divinitatem; impurus affectu, mente obstinata, pertinaci, contemnens alios quod nimium faciles fuerunt ad credendum veluti muliebri credulitate; quod si ipse adfuisset, exactiori diligentia veritatem explorare voluisset nec tam facile credidisset. Sed ecce nunc Thomas humilis et fidelis: *Dominus meus et Deus meus !* Modico lumine prius praeditus erat naturalis rationis, credebat animae immortalitatem, non enim iudicabat mendaces Apostolos, sed deceptos putabat, arbitratus quod spiritus Christi apparuerit eis. Nunc autem videte divinum lumen: ex carnis resurrectione arguit divinitatem. Christus, inquit, mortuus resurrexit, suscitavit seipsum; ergo Deus est: *Dominus meus et Deus meus !*

Ecce etiam Thomas per fidem caritate etiam perfectus, non enim ait sicut Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, non sicut Nathanael: *Tu es Filius Dei, tu es rex Israel*, non sicut Martha: *Tu es Christus Filius Dei vivi qui in hunc mundum venisti ;* sed: *Dominus meus et Deus meus!* Quem intellectu agnoscit, toto amplectitur affectu, veluti si thesaurum in agro absconditum reperisset. Sic veluti cum patriarcha Iacob ait. Cum enim audisset ac novisset ille quod dilectissimus Ioseph, quem mortuum credebat, vivus adhuc erat et princeps Aegypti, ait: *Sufficit mihi si Ioseph filius meus vivit ;* sic Thomas: Iam quod suscitatum video Christum a morte, quem adhuc mortuum credebam, aliud non quaero, sufficit mihi: *Quid enim mihi est in coelo et... quid*

quid volui super terram ?... Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum... Mihi... adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo *spem meam.* Si enim vere ille ait uxori: *An non melior ego tibi sum quam decem filii ?* quid de Christo vero Deo censendum est? An non, inquit, melior mihi erit Christus quam omnes homines, omnes Angeli, omnes creaturae, quam mille mundi? *Dominus meus et Deus meus !*

O felices qui sic cum Thoma Christum agnoscunt, qui sic in Christum vere ex animo, ex toto corde credunt, ut quisque vere ex animo, integra et perfecta fide dicat: *Dominus meus, et Deus meus !*

Fuit nanque fides Thomae vera, non ficta: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti,* ait scrutator cordium; fuit integra, credidit et humanitatem et divinitatem: *Dominus meus et Deus meus !* fuit firma et stabilis, absque ulla vacillatione, sine scrupulo, nihil dubitans ait: *Dominus meus et Deus meus !* tandem fuit cum vera et ardenti caritate coniuncta: *Dominus meus et Deus meus !* verba sunt plena tenerrimo affectu.

Nec corde tantum credidit, sed ore etiam confessus fuit, nam *corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quare huic fidei Christus aeternam beatitudinem promittit dicens: *Beati qui non viderunt et crediderunt;* sed sicut credidit Thomas post incredulitatem. Fuit Thomas prius sicut regulus ille cui dixit Dominus: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,* sed postea *credidit ipse et domus eius tota;* sic nunc ex toto corde credit: *Dominus meus et Deus meus !* credens autem adorat, colit, diligit.

Hanc fidem a nobis Dominus requirit, quae cum caritate coniuncta est, *quae per caritatem operatur,* alioquin: *Si habuero* tantam *fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum... nihil mihi prodest.* Nil prodest fidei talentum in sudario asservatum, sed feneratoribus dandum est ad usuram, sicut prudens mercator non asservat pecuniam otiosam, sed negotiatur ut lucrari possit.

Beati qui non viderunt et crediderunt. Hanc ob causam, fratres, fidem a nobis Dominus requirit et incredulitatem damnat, quoniam fides via salutis est, incredulitas autem via perditionis; ideo satanas, qui perditionem nostram insatiabili fame et siti inextinguibili esurit et sitit, incredulitatem semper persuadet, sicut parentibus nostris in paradiso: *Nequaquam... moriemini* sicut dixit Deus, non enim ut venenum esset arborem hanc tam pulcram cum pulcherrimis et suavissimis fructibus creavit. Ex hac autem incredulitate omne malorum genus in mundum devenit, hinc diluvium peccati et iniquitatis.

Fides autem signum est quo signatae sunt oves Christi, nam: *Oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me.* Hinc Paulus ait: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt eius ;* et alibi: *In quo... credentes signati estis.* Sic electos omnes signatos legimus apud Ezechielem et in *Apocalypsi.* Signum autem ovium satanae incredulitas est, siquidem reprobos legimus habere characterem bestiae; oves Iacob signis distinctae erant ab ovibus Laban.

Nos igitur, fratres quod signum habemus? Divus Iacobus ait: *Ostende mihi ex operibus fidem tuam: Qui ex Deo est, verba Dei audit... vos non auditis,* ergo *ex Deo non estis.* O utinam non vere dici possit nobis quod Moyses ait

populo: *Audite, rebelles et increduli!* quod Christus discipulis illis ait: *O stulti et tardi corde ad credendum!*

Apud I e r e m i a m 36[1] legimus quod, cum praedicare ipse oretenus non posset, siquidem ab impio rege detinebatur in vinculis, vocavit Baruch scriptorem suum iussitque ut scriberet quae sibi a Domino fuerant revelata, et sic ipse postea concionem illam populo legeret. Cumque scripsisset ille et legisset populo, multi credentes obstupuerunt nimioque timore concussi sunt. Rex autem cum fecisset legi libellum illum, lectis tribus aut quattuor pagellis, scidit librum et in ignem proiecit; sed tamen acciderunt ei et universo populo quaecunque in libello scripta erant. Una eademque lectio contrarios peperit effectus in animis audientium, nam credentes timuerunt, non credentes autem contempserunt. Qui verbum Dei contemnunt, minime credunt. Sic Thomas incredulus contemnebat praedicationem Apostolorum: *Nisi videro... non credam;* cum autem credidit, protinus adoravit dicens: *Dominus meus et Deus meus!* Si cum Thoma, o fratres, Deum Christum corporeis oculis videremus, an ita ut vivimus, viveremus? An non institututum vitae mutaremus? Viso Christo, Thomas mutavit sententiam.

Fides per sanctuarium Dei designatur tribus partibus distinctum: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Articuli autem fidei vel sunt circa corpus Christi, vel circa animam plenam gratia et veritate, vel circa divinitatem. Hae sunt tres partes divini habitaculi: *Faciant mihi sanctuarium et habitabo in medio eorum; Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Erat Thomas sicut Isaias cum apparuit ei Deus in gloria: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum!* sed divinus Seraph ignito calculo eum purgavit: *Ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur.* En Thomas labiis et corde pollutus: *Nisi videro... non credam;* sed divina Christi caritate, gratia Spiritus Sancti mundatus et iustificatus est, fide viva imbutus: *Dominus meus et Deus meus!* Viso Christo in gloria suscitato, per Spiritum Sanctum iustificatus et sanctificatus est Thomas.

Beati qui non viderunt et crediderunt. Loth credidit Angelis et salvus factus est; generi non crediderunt et perierunt in incendio. Cum praedixisset Moyses futuram maximam tempestatem et horribilem grandinem in universa terra Aegypti, quae homines et animalia percussura occisuraque erat, qui crediderunt ei, receperunt sese et animalia in domos; qui autem non crediderunt, perierunt. Sic ait fidem esse viam salutis, incredulitatem perditionis. Fides ipsa videtur his quidem esse causa salutis, his vero perditionis, sicut mare Rubrum causa salutis Hebraeis, perditionis Aegyptiis; sicut arca Domini Bethsamitis perniciem magnam attulit,quoniam curiositate ducti eam videre voluerunt, viris autem Cariathiarim salutem attulit. Est autem Bethsames c i v i t a s s o l i s, Cariathiarim vero c i v i t a s s i l v a r u m. En civitas solis quaerens semper diurnam claritatem, evidentiam in omnibus quae-

1) Ms.: *31.*

runt: *Nisi videro... non credam.* His omnibus fides perniciem affert, nisi mutentur in melius.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Tria nobis singulariter credenda sunt: quod Deus est in medio nostri: *Stetit in medio*, novitque Thomae dicta et cogitata: *Nisi videro... Infer digitum tuum huc*, etc.; alterum est quod nonnisi pacem praedicat, nonnisi bona nostra, salutem nostram desiderat; tertium est quod summopere vitium displicet Deo, virtus autem placet, ideo virtutem praecipit, vitium autem prohibet: *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

IN DIE SANCTI STEPHANI

Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et ex eis flagellabitis, etc.

Hodie Stephanus instar Enoch sanctissimi, qui Deo placuit, a Deo raptus ex mundo est; per scalam Iacob cum Angelis in paradisum ascendit, veluti alter Elias igneo curru in coelum sublevatus est. Vere enim [sicut] Enoch totus Deo corpore et spiritu dedicatus fuit; vere sicut Ioannes Baptista Angelus inter homines fuit et sicut Elias ardentissimus divini honoris zelator, imo miraculorum operatione potens, veluti Deus videbatur in terra; hodie Stephanus nominis sui coronam accepit. At vero *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit; Bonum certamen certavi... in reliquo reposita est mihi corona iustitiae ; Certa bonum certamen, apprehende vitam aeternam.* Duo sunt quae vel maxime commendantur nobis in Divinis Litteris: merita virtutum et praemia, nam virtus via salutis est, scala coeli et porta paradisi. Sic Dominus in monte de virtutum meritis et praemiis divinum habuit sermonem: *Beati pauperes spiritu... beati mites... beati qui lugent... qui esuriunt et sitiunt iustitiam... misericordes... mundo corde... pacifici... qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Sic in *Apocalypsi* saepe legimus: *Qui vicerit, qui vicerit, vincenti dabo.*

In hodierno Evangelio tria sunt quae fidelium oculis proponuntur. Primum est varia Spiritus Sancti dona in electis: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas,* idest legis doctores, theologos sacros. Alterum varia passionum, persecutionum, martyriorum genera: *Ex illis occidetis et crucifigetis et ex eis flagellabitis in synagogis vestris; Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt!* Tertium est gloria et triumphus Christi, quo in die palmarum ingressus Ierosolymam fuit infinito cum populi applausu et ovatione: *Non me videbitis amodo donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini.* Triumphus autem ille vel ovatio typus et figura fuit gloriosissimi triumphi quo Christus post resurrectionem suam in coelestem Ierusalem exceptus fuit a supernis illis civibus summa cum exultatione.

De Beato autem protomartyre Stephano in *Actibus Apostolorum* tria haec legimus. Primum [est] Spiritus Sancti plenitudo in eo: *Elegerunt Stephanum* levitam, *plenum fide et Spiritu Sancto; Stephanus autem plenus gratia et fortitudine; Cum autem esset plenus Spiritu Sancto.* Alterum est passio et martyrium ipsius: *Impetum fecerunt unanimiter in eum et eiicientes eum extra civitatem lapidabant; Et lapidabant Stephanum invo-*

cantem et dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Tertium est praemium et gloria quam consecutus est ob meritum sanctissimae vitae et pretiosae mortis: *Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei et ait: Ecce video coelos apertos et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei.* Sic susceptus est hodie Stephanus in coelum, in supernam civitatem Ierusalem, sicut Christus susceptus fuit cum ovatione et triumpho in terrenam in die palmarum. Apertis coelis Christus cum Angelis et Sanctis suis venit obviam ei, ad eum summo cum honore excipiendum tanquam fratrem suum. Sic eiectus Stephanus a terrena [1] Ierusalem receptus est in coelestem; extra terrestrem Ierusalem lapidibus morte affectus, intra coelestem aeterna vita summa cum gloria donatus ac nominis sui corona redimitus: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petiit a te et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi. Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum... Dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi, laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Multis Regius Vates coronam hanc declarat, forte alludens ad coronam regis Ammonitarum pretiosissimis gemmis insignem, quam ipse, rege illo victo, capiti suo imposuit, sicut legimus *2 Paralipomenon* 20 et *2 Regum* 12. Sic Stephanus regia corona inaestimabilis pretii redimitus est, quoniam praeventus est in benedictionibus dulcedinis: *Quoniam,* inquit, *praevenisti eum in benedictionibus dulced nis,* sive bonitatis, idest: quoniam gratia et Spiritu Sancto replevisti eum, ideo tandem *posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*

Sed, quaeso, videamus quomodo hanc gloriae coronam describat Regius Vates. Coronam hanc appellat *desiderium cordis* dicens: *Desiderium cordis eius tribuisti ei et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Consecutio est et adeptio omnis boni quod desiderari potest ab humano corde, sicut de sponso amantissimo dicimus quod sponsam adeo diligit quod ei in omnibus quae novit petere satisfacit. Appellat *longitudinem aeternam dierum: Vitam petiit a te et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi,* idest in aeternum, sic vita aeterna dicitur. Appellat *gloriam: Magna est gloria eius in salutari tuo;* gloria autem appellatur in Scripturis magna divitiarum opulentia et splendida vita ducta cum magnificentia. Appellat *decorem magnum: Gloriam,* sive potentiam aut laudem, *et magnum decorem impones super eum;* hebraice *hod* dicitur quicquid laude dignum est, *hadar* vero amplissimus honor; sic corona haec summus est apud Deum honor et amplitudo in coelesti curia. Appellat eam *benedictionem: Quoniam dabis eum benedictionem,* sive, ut est hebraice, *beracoth, benedictiones, in saeculum saeculi,* idest aeternas; benedictiones autem dicit Scriptura omne bonorum genus; appellat ergo sempiterna bona. Et tandem laetitiam et gaudium procedens ex visione Dei, a facie Dei veluti a solis lumine: *Laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

Coronam igitur hanc septem [2] illustrissimis epitetis vocibusque describit, appellans desiderium cordis, vitam aeternam, gloriam, idest magnas divitias, laudem, idest quicquid laude dignum est, decorem magnum, amplissimum honorem, benedictiones

1) Ms.: *Terra.* 2) Ms.: *Septem* bis ponitur.

aeternas, idest sempiterna bona, et tandem laetitiam gaudiumque perpetuum. Sic etiam Dominus de aeterna beatitudine agens et praemiis Sanctorum: *Beati,* inquit, *quoniam ipsorum est regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi saturabuntur... ipsi misericordiam consequentur... ipsi Deum videbunt* et *filii Dei vocabuntur.*

Non immerito septem veluti praemia assignantur electis, cum sint tres dotes gloriae animae et quattuor corporis. Nam sunt septem virtutes et septem Spiritus Sancti dona, quibus debetur praemium; sunt etiam septem capitalia vitia, quae vincere nos oportet ad consequendam gloriae coronam. Hinc in *Apocalypsi* septies legimus *qui vicerit,* sive *vincenti dabo.* Primo quidem: *Qui habet aures audiat quid spiritus dicat*[1] *ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei mei.* Secundo: *Qui vicerit non laedetur a morte secunda; Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae.* Tertio: *Vincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum et in calculo candido nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Quarto: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes... et dabo illi stellam matutinam.* Quinto: *Qui vicerit vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vitae et confitebor nomen eius coram Patre meo et coram Angelis eius.* Sexto: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei novae Ierusalem.* Septimo: *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.*

[Primo] appellatur esus ligni vitae qui conferebat immortalitatem vitamque perpetuam in paradiso. Secundo corona vitae, idest corona vivens, perpetuo manens, sicut Paulus ait: *Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam,* quoniam temporis diuturnitate non corrumpitur; sic etiam Divus Iacobus dicit: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* Tertio manna absconditum: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* sic in sanctuario Domini asservatum fuit vas plenum manna et calculus novus candidus, pretiosissima margarita cum ineffabilis nominis inscriptione: *Hic est Filius meus dilectus; Vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit.* Quarto regia dignitas et potestas et stella matutina, quoniam omnes electi in coelo similes sunt Christo qui ait: *Ego radix et genus David, stella candida et matutina;* et Petrus ait de Christo: *Donec... lucifer oriatur in cordibus vestris.* Quinto appellatur vestis alba, stola gloriosa, vestis nuptialis et laus ac commendatio a Christo. O sommum honorem a Christo in paradiso nobili encomio celebrari! Haec summa est quae desiderari potest laus, summus honos. Sexto loco columna templi Dei ad ornatum, quales erant pulcherrimae illae duae columnae in templo Salomonis daedala arte fabrefactae et elaboratae, erant enim pulcherrimae et perquam operosis ornamentis constructae ad templi illius mirabile ornamentum et illud quidem perpetuum, nam erant aeneae; sic perpetua erit cuiusque Sanctorum gloria in coelo talisque unusquisque erit ut videatur veluti parvus Deus et parva civitas

1) Ms.: *Dicat* bis ponitur.

Ierusalem, non terrena, sed coelestis. Tandem, septimo loco dicitur throni divini sessio, idest habitatio perpetua coeli empyrei, quod dicitur thronus Dei et participatio regni coelorum cum Christo: *Sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel; Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae.*

His intellectis, scire quoque modo poterimus quaenam sit corona haec inaestimabilis qua Stephanus hodie a Christo coronatus in coelo est.

Romani plures habebant coronas, quibus honoris ergo in praemium victoriae coronabant victores, ut scribit Aulus Gellius libro 5, capite 6, recenset nanque triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, navalem et iuxta triumphalem coronam erat etiam ovalis ex myrto, de qua Plinius libro 15, capite 29; de aliis vero coronarum generibus idem, libro 16, capite 4. Triumphalis corona antiquitus ex lauro, ut habet Plinius libro 15, capite 30, postea ex auro purissimo. Nobilissima autem omnium corona, quae imperatoribus dabatur ab exercitu, graminea erat, ut scribit Plinius libro 22, capite 3; hac donatus fuit Fabius, qui in suprema desperatione sua virtute romanae republicae salutem attulit, pulso ex Italia Hannibale. Obsidionalis etiam graminea erat, qua donabatur qui civitatem obsidione liberasset. Ovalis ex myrto, uti diximus, erat; hac donabatur imperator exercitus humili aut non iusso hoste superato. Civica ex fronde querna erat, qua redimitus honorabatur qui civem romanum in proelio servasset ab hoste tantique romanum civem faciebant ut ne si imperatorem quidem aut regem ab hoste servasset maiori donaretur honore, ut Plinius habet libro 16, capite 4. Muralis, castrensis et navalis coronae ex auro fiebant hisque donabantur qui primi armati in hostes transilissent, conscensis muris, murali; qui autem primi in pugna introissent in castra et valla hostium, castrensi vel vallari; qui autem navali pugna et maritimo proelio primi in naves hostium vi ascendissent, navali coronabantur.

Stephanus autem recte corona dicitur, nam ipse protomartyr, caput et dux martyrum, imperator exercitus martyrum constitutus est. Hodie autem solus ipse innumerum daemonum et Iudaeorum impiorum fudit, vicit, superavit exercitum, tanquam fortissimus Samson, qui solus inermis mille occidit Philisthaeos, aut sicut Ionathas filius regis Saul, qui solus cum armigero suo castra invasit Allophylorum. Sic triumphalem meruit coronam. Ovalem etiam, quoniam facili negotio vicit et superavit omnes secum disputantes: *Nec poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* Obsidionalem meruit, nam de Stephano dicere possumus quod legimus in *Ecclesiaste* 9 capite: *Civitas parva et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus et vallavit eam extruxitque munitiones per gyrum et perfecta est obsidio; inventusque est in ea vir pauper et sapiens et liberavit eam per sapientiam suam. Civitas parva* tunc erat Ecclesia, cui Dominus: *Nolite timere pusillus grex;* obsessa erat a principe mundi, a principe tenebrarum; sed Stephanus, vir pauper et sapiens, per sapientiam suam liberavit civitatem, fugavit hostes, vicit hodie *inimicos crucis Christi.* Civicam meruit, quoniam civem romanum Paulum salvavit ab hoste infernali, qui *tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.* Tandem muralem, castrensem et navalem, quoniam hodie synagogam Iudaeorum, factam ex synagoga Dei synagogam satanae, utique civitas erat diaboli, vallum et castra diaboli, navis diaboli

in mari mundi huius, in quo daemones sunt veluti piratae, diabolus autem princeps piratarum. Hodie, inquam, Stephanus spiritu armatus, armatura Dei, sumpto scuto fidei, galea salutis, thorace iustitiae et gladio spiritus, *quod est verbum Dei,* fortissimo animo per vim ascendit murum synagogae, intravit in castra inimicorum Christi, transilivit in navem hanc satanicam Christum in concilio gloriosissime praedicans et vexillum crucis Christi exaltans. Sic ait: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso,* coronam summi honoris, infinitae gloriae.

Statuunt in coelo astrologi coronam Ariadnae novem stellis constantem in humero Arctophylacis, quam aiunt a Baccho Libero patre fuisse in coelo collocatam. Sed hae nugae sunt, licet videantur in coelo novem stellae veluti in orbem conditae et ideo corona appellantur, quae quidem corona cum scorpione exoritur mense Octobri, occidit autem leone exoriente. Sed Stephanus vere corona illa est duodecim stellarum, qua Ioannes coelestem mulierem, Sanctam Ecclesiam, vidit in capite gestantem, nam Stephanus vere corona fidei est: *Plenus fide et Spiritu Sancto; Plenus gratia et fortitudine,* in quo omnis Apostolorum virtus et gratia mirifice resplenduit.

Ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti. In *Apocalypsi* legimus quod audivit Ioannes animas Sanctorum Martyrum dicentes: «Vindica, Domine, sanguinem Sanctorun tuorum qui effusus est» super terram; *Usquequo... non vindicas sanguinem nostrum?* Sic sanguis Abel clamabat ad Dominum, sic sacerdos Zacharias a furenti populo lapidatus ait: *Videat Dominus et requirat.* Et tamen Stephanus hodie lapidibus impetitus, *positis... genibus, clamabat voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum,* sicut et Christus in cruce: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Contraria haec videntur, sed tamen haec est vindicta quam Sancti Martyres summopere cupiunt, ut destruatur iniquitas et regnum peccati; nam conversi peccatores vindictam ipsi sumunt de peccatis suis. Poenitentia est maxima summaque vindicta; hinc cum dixisset Deus Caino: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra,* quaesivit eum ad poenitentiam et cognitionem confessionemque peccati sui perducere. Quod si non sequatur poenitentia, tunc tandem divina vindicta super peccatores venit, nam: *Deus ultionum Dominus;* hinc ait: *Veniet super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram;* et item: *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt,* ut te ad poenitentiam revocarent, sicut Ionas missus fuit in civitatem Ninive, *quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti!* Hoc egit Christus praedicando: *Poenitentiam agite; Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; Ecce relinquetur... domus vestra deserta* in ultionem et vindictam iniquitatum vestrarum, eo quod dilexeritis magis tenebras vitiorum quam lucem virtutum, ponentes lucem in tenebras et tenebras in lucem, dicentes bonum malum et malum bonum. *Relinquetur... domus vestra deserta,* nam: *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua,* hoc est: *Volui congregare... et noluisti.* Haec est cordis duritia, de qua Stephanus: *Dura cervice et incircumcisis*

cordibus... vos semper Spiritui Sancto resistitis; nec tantum incircumcisis cordibus, sed *auribus* etiam, quia noluisti audire. Haec causa perditionis est, mala voluntas, nam ad hoc mittit Deus ad poenitentiam praedicandam Prophetas, viros sanctissimos, et scribas, qui rationibus vivis et efficacibus argumentis convincant peccatores.

Saepe tamen, licet sint vere convicti, sicut convicit hodie Stephanus Iudaeos, ita ut non possent *resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur,* tamen ob cordis pravitatem minime persuasi fuere. Hoc discrimen est inter bonos et malos, quod boni quidem esurientes et sitientes iustitiam, audito verbo Dei, licet non sint vivis rationibus convicti, acquiescunt tamen dictis et persuasi animo discedunt a concione, ut vitam vere secundum virtutis normam moderentur, credentes iis quae dicuntur et praedicantur; mali vero, qui traditi sunt in reprobum sensum, habentes cor insipiens, obscuratum, licet convincantur, non tamen persuadentur ob depravatam voluntatem: *Et noluisti.* Hinc videre licet et dignoscere ex quo numero sit unusquisque nostrum et quid expectandum nobis sit.

Cum... esset Stephanus *plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei et ait: Ecce video coelos,* etc. Accidit Beato Stephano hodie sicut Ezechieli, qui cum esset in medio captivitatis babylonicae, intendens oculos et mentis et corporis in coelum, vidit coelos apertos revelataque ei fuit gloria Dei, vidit veluti paradisum apertum. In mediis persecutionibus solet Deus consolari electos dilectosque suos. Dum Iacob fugeret persecutionem impii fratris Esau, in Bethel consolationem accepit a Deo, visa gloria Dei; Elias fugiens persecutionem Iezabelis, confortatus fuit ab Angelo in deserto et tandem divina visione consolatus.

Ita cum Stephano factum est hodie, sicut etiam cum tribus pueris in fornace babylonica: ad eos consolandos atque servandos Angelus filius Dei de coelo descendit. Erat concilium Iudaeorum veluti fornax infernalis accensa ab infernalibus furiis, rege babylonico, satana, operante. Stephanus autem in medio concilii constitutus, flammis irarum undique circumdatus erat, nam: *Stridebant dentibus in eum et dissecabantur cordibus suis.* Sed Christus, *magni consilii Angelus,* verus Filius Dei, descendit per mirabilem apparitionem ad salvandum eum. Tunc Stephanus vere dicere poterat: *Dominus illuminatio mea, lux mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?... Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo.* Siquidem *unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini... ut videam voluptatem Domini et visitem templum eius. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo; in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui; in petra exaltavit me, et nunc exaltavit me super inimicos meos... dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.*

Gloriam autem Dei quam Stephanus hodie vidit, descripta fuit ab Ezechiele prius et postea a Ioanne in *Apocalypsi;* nam gloria Dei est gloria Christi, qui verus est Deus, unigenitus Filius Dei, consubstantialis Patri. Roboratus autem Stephanus visione huius gloriae, constantissime pertulit martyrium; nam haec bravium est salutis aeternae, haec corona iustitiae, ut Paulus ait de iis qui in stadio currunt ad accipiendum bravium et qui in agone contendunt ad accipiendam coronam.

Utinam nos quoque, fratres, mentis oculis iugiter divinam gloriam contemplaremur! Curreremus utique per viam salutis. An non veluti corporeis oculis videmus gloriam coeli? Non dico ornamentum mirabile firmamenti quod praedicat gloriam Dei, sed dico ipsum solem, cuius virtute universa natura consistit, quicquid enim boni et pulcri in nostro hoc mundo gignitur et videtur, a solis virtute procedit. Aufer a mundo solem, quid mundus erit nisi teterrimus carcer? quid boni aut pulcri in universa natura reperietur?

Dico autem: sol quidnam est? Thesaurus lucis et fons perennis inexhausti, indeficientis luminis. Bene, sed unde tanta lux? Quidnam ipse sit sol ignoratur. Hi quidem aiunt quod densior est pars sui orbis. At si ita esset, tota utique coeli substantia lucida esset. Videmus autem quod nec ipsa quidem luna suapte natura lucida est, ut manifeste in eclipsi patet; cum enim per interpositionem terrae solis radio non illustratur, patitur luminis deliquium. Dicunt alii flammam esse ignis maximi, purissimi et lucidissimi. Sed unde hoc scire poterimus?

Mihi quidem videtur quod sol nil aliud sit quam magna quaedam fenestra coeli empyrei, fenestra quaedam paradisi per quam mortales omnes cernere possint infinitam aeternamque Dei gloriam supra firmamentum. Unde licet intelligere quod *omne datum optimum et omne donum perfectum*, etiam in naturalibus, *desursum est descendens a Patre luminum*. Si omne mundi bonum et naturae pulcritudo a sole est et sol non est nisi fenestra coeli gloriae, fenestra paradisi, omne ergo bonum quod in mundo est, a paradiso descendit. Omnia mundi bona sunt veluti reliquiae quae cadunt de mensa Dei in terram per hanc coeli fenestram. Sic igitur nobis quodam modo licet corporeis oculis videre cum Stephano gloriam paradisi, a qua omne bonum. Cur igitur eam non summis votis desideramus? cur non talia tantaque bona concupiscimus ac satagimus ut tandem eis potiri possimus?

IN DIE SANCTI STEPHANI

Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex eis occidetis et crucifigetis et ex eis, etc. Plenum est hodiernum Evangelium hinc quidem divinis gratiis favoribusque, hinc vero mundanis persecutionibus; divinis beneficiis, humanis maleficiis: *Mitto ad vos Prophetas... sapientes et scribas.* Varia sunt dona Dei quibus electos suos exornat. *Occidetis, crucifigetis... flagellabitis; Ierusalem, quae occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt!* Hae sunt mundi persecutiones contra electos Dei. Sic semper mundus odit et persecutus est quos Deus dilexit divinisque favoribus prosecutus est. Sicut enim satanas videns hominem a Deo valde dilectum, ipsius ruinam et interitum machinatus fuit, ita mundus spiritu satanae actus divina semper odio habuit. Sic ab initio iustum sanctumque Abelem legimus divina gratia plenum ab impio Caino, qui civis huius mundi esse voluit et civitatem primus aedificavit, multa passum ac tandem occisum, Sunt iusti sicut nubes illa in qua Dominus inhabitabat, intus quidem instar ignis splendidissimi tota lucida, foris vero

obscura et tenebrosa; sunt veluti cortinae divini tabernaculi ex variis coloribus, sicut virgae Iacob in canalibus positae, ut oves parerent agnos colorum varietate insignitos. Ita plane in servis Dei videmus bona divina et mala mundana, divinos favores, humanas persecutiones.

Ita luce clarius videmus hodie in Beatissimo protomartyre Stephano copiam magnam divinorum charismatum, nam *elegerunt Stephanum* levitam *plenum fide et Spiritu Sancto ; Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo ; Non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* Nam electus fuit vir boni testimonii, plenus sapientia et Spiritu Sancto, et *cum... esset plenus Spiritu Sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei.* Erat potius angelus coelestis, quam homo terrenus, hinc intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli stantis inter illos; homo coelo dignissimus, hinc aperiuntur ei hodie coeli. Et tamen multas passus est ab hominibus persecutiones, satana procul dubio instigante. Nam cum primis per os Iudaeorum satanas ad perdendam fidem Stephani se accinxit, sicut in paradiso ad perdendam hominis innocentiam usus ore serpentis ,nam *surrexerunt... quidam de synagoga quae*, etc., *disputantes cum Stephano.* En veluti exercitus Philisthaeorum contra Samsonem solum et inermem ac nil minus cogitantem.

Sed tamen Samson Divini Spiritus viribus tantum munitus, nihilo laesus ab inimicis, victor remansit; ita plane Stephanus in hoc certamine: *Non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* Hinc se delusum videns, fit ex serpente leo. Stephanus enim prudens ut serpens, sicut virga Moysi serpens facta devoravit serpentes magorum Pharaonis, sic sapientia Stephani superavit sapientiam Iudaeorum et astutias daemonum.

Quem autem superare disputando Iudaei non poterant, a diabolo acti, superare volunt auctoritate. Traducunt ad principum tribunal multis calumniis falsisque accusationibus invidia accusantes, ut vel timore perterritus Christi fidem abnegaret. Sed plenus gratia et fortitudine Stephanus, animo impavido semperque invicto, innocentia et veritate munitus, inimicos confudit. Sed in rabiem acti et infernalibus furiis exagitati, *dissecabantur cordibus et stridebant dentibus in eum*, ita ut tandem lapidibus agerent in eum, et qui animam perdere non potuerant, corpus perdere volunt lapidibusque obruere.

Non tamen sine divina providentia. Nam cum praedestinatus esset ad coronam gloriae, quam nomine praeferebat, victoria eam consecutus est: *Non enim coronabitur nisi* qui *legitime certaverit ;* hinc: *Certa bonum certamen, apprehende vitam aeternam.* Ostenditur hodie nobis Stephanus, tanquam miles fortissimus et valentissimus, armatus armatura Dei, scuto fidei, thorace iustitiae, galea salutis et gladio spiritus, *quod est verbum Dei.* Sic pugnavit, vicit et coronatus est corona gloriae, quae debetur gratiae Spiritus Sancti et caritati, nam erat plenus gratia, plenus fide et Spiritu Sancto.

Corona etiam, quam a u r e o l a m theologi dicunt, et quidem multiplici. Nam sicut Abel iustus fuit sacerdos, virgo et martyr, ita plane Stephanus virgo purissimus sicut Angelus, doctor legis qualem se ostendit in concione habita ad concilium et tandem martyr. Sic multiplici corona donatus fuit. Est veluti aurea corona qua

ornata fuit arca testamenti, prout in *Exodo* legimus. Nam[1] iustus creatus in gloriam Christi est, veluti corona Christi, sicut Paulus conversos a se appellat gaudium suum atque coronam. Appellat se Dominus hodie gallinam: *Sicut gallina congregat pullos suos sub alas*, sic enim diligit suos: *Sicut aquila provocans*, etc. Sicut autem gallina videns milvum aperit alas et sub alis protegit pullos ne rapiantur, ita hodie egisse visus est Dominus; nam ad protegendum Stephanum coelos aperuit ac sic salvum incolumemque Stephani spiritum suscepit. Cum autem scriptum sit: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae*, sic Stephanus bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, accepit coronam iustitiae.

IN DIE SANCTI STEPHANI

Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, etc. Agit Dominus hodie divinum benefactorem et prophetam: benefactor est dum ait: *Mitto ad vos Prophetas et sapientes*, etc., ad publicam utilitatem et salutem nostram; propheta dum ait: *Ex illis occidetis et crucifigetis.* Itemque agit patrem amantissimum: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina*, etc.; agit et severum iudicem: *Ecce relinquetur... domus vestra deserta.*

Specialiter vero de divinis favoribus et de mundanis persecutionibus; sic etiam in Epistola agitur specialiter de divinis favoribus erga Stephanum et de mundanis contra ipsum persecutionibus. In Evangelio Stephani ponitur veluti figura typusque Abel iustus martyr; ille primus martyr Antiqui Testamenti, hic autem Novi; in illo divini favores et humanae persecutiones; divinus favor illum iustificavit, sanctificavit per gratiam suam et fratri praetulit, humana autem persecutio occidit; martyr ille persecutionem passus et mortem propter iustitiam, propter fidem, sicut ait Paraphrasis Chaldaica Ierosolymitana, martyr hodie Stephanus; non solum martyr ille, sed etiam sacerdos et virgo, ita etiam Stephanus; Abel hodie a Christo inter Sanctos relatus fuit, in Sanctorum catalogo inscriptus et canonizatus; ita et Stephanus in coelum ianuis patentibus susceptus, quia propter iustitiam et christianae fidei praedicationem lapidatus occisusque est: *Beati* autem *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Hodie comprobatum experimento videmus divinum hoc Christi promissum.

De Stephano autem in summa in sacra ipsius historia quinque referuntur: ipsius sancta vita coelestisque et angelica conversatio: plenus Spiritu Sancto, plenus fide, plenus gratia, plenus fortitudine, plenus sapientia; ipsius electio atque promotio ad gradum et dignitatem ecclesiastici archidiaconatus: *Elegerunt Stephanum* levitam *plenum fide et Spiritu*, iuxta praescriptum Apostolorum: *Considerate... viros*

1) Ms.: *Enim* adiicitur.

boni testimonii ex vobis septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus; talis fuit Stephanus, plenus gratia et sapientia apud Deum et homines; tertio divina ipsius miraculorum operatio: *Plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo;* quarto ponitur disputatio ipsius de rebus divinis: *Surrexerunt... de synagoga... disputantes cum Stephano*, sed *non poterant resistere sapientiae*, etc.; quinto publica ipsius praedicatio fidei Christi in concilio Iudaeorum.

Sed duo alia addenda sunt: oratio et tandem passio ac beatus transitus ipsius et obdormitio. Passus ab hominibus homo, quo dignus non erat mundus, coronatus et glorificatus a Deo in coelo est.

Fuit Stephanus inter septem diaconos sicut sol inter septem planetas in firmamento; sed septem his radiis divinitus decoratus: radio sanctitatis in vita, singularis dignitatis in electione, divinae potestatis in miraculorum operatione, sapientiae in disputatione, ardentis fidei in praedicatione, magna pietas cum viva perfectaque caritate in oratione: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum;* et *positis... genibus clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis*, etc.; divina tandem fortitudo ipsius in acerba persecutione et passione.

Sic ostenditur mirabilis viri huius sanctitas in vita, sed multo mirabilior in morte; et quod P a u l u s ait: *Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus*, in Stephano videmus, factus enim fuit hodie spectaculum etiam coelo, sanctis Angelis, Christo et Deo, aperto coelo, et quoniam legitime certavit et gloriosam victoriam reportavit de inimicis Christi, abiit ad recipiendam gloriosissimam nominis sui coronam summo cum honore in coelestem Ierusalem gloriosissime a summo rege Christo exceptus.

IN DIE SANCTI IOANNIS APOSTOLI

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, et ait: *Domine, hic autem*, etc. Proponuntur nobis duo singulares et carissimi omniumque dilectissimi Christi discipuli, qui invicem amantissimi erant: Petrus et Ioannes, quos misit Dominus ad parandam coenam, qui simul ascenderunt *in templum ad horam orationis nonam*, simul in concilio Iudaeorum coram summis pontificibus convocati Christi fidem constantissime confessi sunt, simul a collegio apostolico missi in Samariam fuerunt ut eos, qui ibi verbum Domini receperant, Spiritu Sancto replerent. Quare videntur mihi hi duo Apostoli duae illae tubae argenteae sacerdotales, quibus convocandus erat populus ad tabernaculum Domini vel incitandus ad bellum, sicut in *Numeris* legimus; vel duae illae mirabiles columnae in templo Salomonis, in quarum medio positum erat mare aeneum, quarum altera dicebatur *Boaz*, fortis, potens, altera *Iachin*, firma, stabilis. Apostoli dicti sunt columnae, sed hi duo praecipui Apostoli singulares columnae sunt, duo cherubim, in quorum medio erat arca ac propitiatorium divinum, duo Seraphim, in quorum medio visus est Deus Isaiae; Cherubim et Seraphim pleni scientia et caritate Dei sex alis praediti, omni perfectione divinarum virtutum.

Sed specialiter seraph Ioannes, qui apud Ezechielem aquila est ignea, habens quattuor alas et quattuor facies; aquila tota ignea ob caritatis ardorem et plenitudinem Spiritus Sancti, qui in igne datus fuit Apostolis. Erat autem totus igneus Ioannes, quoniam discipulus dilectus: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Sciebat Ioannes quod Christus omnes diligebat discipulos, sicut sol omnes stellas illuminat, sicut Iacob omnes diligebat filios, sicut pontifex omnes gestabat tribus Israel supra pectus in gemmis; sed tamen Ioannes ait singulariter de seipso: *Discipulus... quem diligebat Iesus.* Divinum hunc semper amorem meditabatur Ioannes. Vas erat coelesti hoc manna plenum in sanctuario Domini; erat ipsius anima veluti purissimum speculum concavum soli oppositum, in quo reflexus solis radius ignem accendit: *Discipulus... quem diligebat.* Agnoscebat Ioannes divinum hoc beneficium, quod radix et origo est omnium beneficiorum, ita ac si Christus nonnisi ipsum diligeret, sed ipse unicum veluti obiectum esset divini amoris, sicut etiam Paulus ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me*, ac si pro ipsius tantum salute Christus venisset in mundum et pro ipsius tantum salute mortuus fuisset in cruce.

Beneficia nanque Dei sic universalia sunt ut singulis sint singularia, sicut sol nil minus illuminaret nunc Adam, ac ipsum illuminabat cum solus esset; et si spe-

culum soli apponatur solum vel cum mille aliis, fit in eo solis imago nil maior aut minor si solum sit speculum, quam cum multis aliis; et magnus ignis in magno atrio accensus multos potens calefacere, eundem emittit calorem ad unum solum calefaciendum quam ad calefaciendos multos. Sic Christus.

Hoc igitur intelligens Ioannes, ita satagebat Christum diligere et redamare, ac si Christus ipsum solum summopere dilexisset et pro ipso tantum mortem crucis subiisset, sciens quod nil minus est beneficium multis simul communicatum, quam si uni soli communicaretur, sicut in Communione patet et perceptione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti et sicut Deus ubique totus est nil minor in terra quam in coelo.

Hoc considerabat Ioannes, qui instar aquilae mentis aciem semper in divinum gloriae solem irreverberato intuitu fixam tenebat. Hinc totus erat amor Ioannes, totus caritas, aquila ignea, plena oculis ante et retro. Oculus intellectus et prudentiae symbolum est; hoc idem est ac dicere quod tanta erat Ioannes sapientia ac prudentia praeditus, ac si centum habuisset lucidissimos oculos, sicut Argus ille a poetis fictus in symbolum hominis prudentissimi ac sapientissimi, vel ac si tot habuisset mentales oculos quot coelum stellas.

Itemque plena erat [oculis] haec aquila ante et retro, quoniam loquitur in suo Evangelio tum de praeteritis: de aeterna Verbi generatione, mundi creatione, Filii incarnatione, et de futuris: de iudicio universali, de poenis inferni, de gloria paradisi et huiuscemodi aliis ea certitudine ac veritate ac si oculis propriis ea vidisset. Testis est oculatissimus omnium eorum quae dicit et docet, ac si mille oculati testes ea vidissent. Plenus oculis Ioannes, sed oculis aquilinis acutissimis, perspicacissimis.

Nec tantum innumeros habet aquilinos oculos, sed etiam alas aquilinas, apud Ezechielem quattuor, in *Apocalypsi* vero sex, sicut Seraphim apud Isaiam; sed alae hae plenae erant oculis etiam in interiori parte: *Intus plena sunt oculis.* Et apud Isaiam quidem Seraph duabus alis volabat, quattuor autem caput et pedes tegebat; apud Ezechielem duabus volabat alis aquila et duabus tegebat corpus; in *Apocalypsi* nihil dicitur de corporis integumento. Hoc autem quoniam triplex est status Ecclesiae: sub Veteri Testamento ante Christum, sub Novo Testamento post Christum in hoc saeculo et tandem in coelesti gloria, in statu beatitudinis in paradiso. [1] Cognitio mysteriorum evangelicorum sub Veteri Testamento obscura valde erat alis quattuor operta, [2] nam multa ignorabantur mysteria tum divinitatis tum humanitatis Christi venturi; in Novo autem Testamento manifestiora sunt, sed tamen non omnia novimus, opertum est duabus alis corpus huius aquilae; sed in coelo manifesta erunt omnia, hinc nullum ibi integumentum nihil opertum, revelata tunc erunt omnia.

Quoniam vero alis avium corpora sursum feruntur et in aera elevantur, Ioannes sex habet alas aquilinas tum propter altissimam divinorum mysteriorum contempla-

1) Ms.: *Sapientia Ioannis* adiicitur. 2) Ms.: *Opera.*

tionem: *In principio erat Verbum*, tum propter virtutum omnium ac meritorum magnitudinem et perfectionem. Plenae autem erant etiam intus oculis alae propter mysticam theologiam et reconditam sapientiam, quae sub mysteriis evangelicis latet.

Est etiam aquila regium animal, ab antiquis Iovi dicata, insigne romani imperii, et in Scripturis Sacris potentissimus Chaldaeorum rex *aquila* appellatur *magnarum alarum;* Deus etiam aquilae hieroglyphico designatur. Sic utique Ioannes aquila ob insignem nobilitatem et altissimam dignitatem qua a Deo donatus fuit. Quid nobilius quam filium esse summi Dei? Ioannes autem singularis est fratrer Christi, sicut Beniamin singularis frater Ioseph, ab eo super omnes fratres dilectus ac maioribus muneribus donisque cumulatus. In fratrem singularem Christus accepit Ioannem, cum in cruce pendens dixit Matri: *Mulier, ecce filius tuus*, et Ioanni: *Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam;* nam: *Ipse dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt*, qui potest ex lapidibus facere filios Abrahami.

Sic Dominus in corde Ioannis genuit atque creavit verum amorem ac singularem pietatem optimi filii erga optimam matrem et in pectore Beatissimae Virginis erga Ioannem viscera vere materna amantissimae matris. Sic verbo constituit Ioannem Virginis filium qui verbo creavit omnia, sicut rex dicto facit ex equite ducem et Pontifex ex presbytero Cardinalem, principem Ecclesiae dicto constituit.

Et quidem tunc Ioannes vere a Virgine appellari potuit *Benoni, filius doloris mei*, sed a Christo *Beniamin, filius dexterae*, idest summe nobilitatus. Neque enim maiorem honorem Petro contulit Christus commendans ei Ecclesiam sponsam suam, quam Ioanni commendans ei Matrem suam; nam Maria mulier est sole amicta, supra lunam, supra Ecclesiam constituta Regina Sanctorum omnium et Domina Angelorum, sicut luna regina videtur stellarum in nocte. Vere filius dexterae Ioannes, nam in coelo Maria quidem ad Christi dexteram collocata est, Ioannes autem tanquam singularis Mariae filius post Christum ad dexteram Mariae. Sic aquila est quae altissime volat et in altissimis locis nidum suum ponit, aquila acutissimi visus, nam solus Ioannes Dominum post resurrectionem agnovit in littore maris Galilaeae dicens: *Dominus est.*

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit. Cum Deus suapte natura caritas sit, ignis seraphicus, flamma amoris perpetuo ardens sicut sol in coelo, mirum non est quod diligat seipsum omniaque opera sua; specialiter tamen hominem diligit propter quem condidit omnia: *Sic... Deus dilexit mundum.* Diligit Dominus populos, *omnes sancti in manu illius sunt*, ait Moyses; sanctos tamen et electos suos, quos ab aeterno praedestinavit ad vitam aeternam, specialius diligere dicitur; sic populus Israel inter omnes populos specialiter fuit a Deo dilectus: *Filius meus primogenitus Israel.* Inter omnes autem sanctos Christus, unigenitus filius Dei, *Sanctus Sanctorum, Sol iustitiae*, est maxime dilectus: *Hic est Filius meus dilectus*, ait in Iordane; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, in monte sancto; dilectus Dei Patris, dilectus Virginis Matris, dilectus Ecclesiae, dilectus paradisi, dilectus hominum, dilectus Angelorum: *In quem desiderant Angeli prospicere*, ad quem videndum, contemplandum et adorandum in natali ipsius

de coelo descenderunt omnes Angeli paradisi. Hinc Christus in *Cantico Canticorum* nullo fere alio appellatur nomine nisi *dilecti.*

Sed, o felicem Ioannem, cum ipse quoque hoc insignitus sit nomine: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus,* Deus humanatus, verus, perfectus Deus! Dilectus Domini, iuxta nomen suum totus gratiosus, totus gratia in oculis Domini: *Discipulus... quem diligebat.* Sanctissimus patriarcha Iacob omnes filios suos diligebat, sed specialiter Ioseph et Beniamin, quos ex pulcherrima et dilectissima Rachele suscepit. Sic Deus inter omnes Sanctos, quos tanquam filios diligit, specialissime Christum diligit et Ioannem singularem fratrem Christi, singularem filium Virginis: *Mulier, ecce filius tuus.* Ioseph omnes quidem fratres suos dilexit, sed specialissime Beniamin, singularem fratrem ex utroque parente; sic Christus Ioannem, quem tanquam alterum seipsum constituit dicens Virgini Matri: *Mulier, ecce filius tuus,* et Ioanni: *Ecce mater tua.*

In Scripturis Sanctis tres legimus specialiter dilectos Dei: Iacob, de quo ait: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* David: *Inveni hominem secundum cor meum,* et Salomonem, de quo legimus *2 Regum* 12: *Vocavit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum misitque in manu Nathan prophetae et vocavit nomen eius: amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.* Dicuntur autem hi dilecti ob speciales favores Dei erga ipsos, ut manifestum est in Scripturis Sanctis.

Sic et Ioannes. Quis enumerare posset favores Christi erga ipsum? Ipse discipulus ex primis a Christo vocatis, uno enim die, una hora, ex eodem loco Christus Ioannem una cum Petro, Andrea et Iacobo vocavit; ipse Apostolus singularis, unus ex tribus Christi magis familiaribus; ipse martyr gloriosus sicut tres pueri in fornace; ipse sacerdos, ipse pontifex, episcopus, patriarcha, legatus a latere, princeps Ecclesiae, Evangelista, scriptor et praedicator Evangelii, doctor summus Ecclesiae; ipse virgo purissimus, ipse Christi secretarius et secretus cubicularius, cui Christus omnia pectoris sui arcana revelavit singularissimo modo: *Vos... dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo nota feci vobis;* sed Ioanni specialiter revelavit cordis sui secreta Christus, cum eum in coena supra pectus suum recumbere voluit. Si enim Iacob supra petram, quae Christum praefigurabat, dormiens vidit in somnis secreta coelestia paradisi, quid de Ioanne censendum? Magnum Pauli privilegium quod raptus fuit usque ad tertium coelum, raptus in paradisum et audivit [1] arcana verba, *quae non licet homini loqui;* sed maius Ioannis, cum supra pectus Christi recubuit, nam Christi pectus est paradisus paradisi, ubi vidit Verbum continens omnia verba et divinam ac superhumanam virtutem accepit, ut loqui et manifestare Verbum hoc posset.

Tria singularia privilegia Ioannis habemus in hoc Evangelio: primum est singularis Christi dilectio; alterum divinorum secretorum revelatio: *Recubuit supra pectus* Iesu *et dixit: Domine, quis est qui tradet te?* tertium privilegium immortalitatis: *Sic eum volo manere... Et exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur;* et

1) Ms.: *Vidit,* loco: *Audivit.*

tamen, inquit, *non dixit: Quia non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam.* Moriturus erat Ioannes et tamen immortaliter victurus, sic scilicet perfectus homo, uti tunc erat, in anima et in corpore, quia sicut Christus et Beata Virgo soluturus quidem erat mortis tributum, sed statim veluti ex dulci somno evigilaturus Christi virtute et in corpore et anima in coelum assumptus ascensurus, ut ibi semper esset cum Christo et cum Virgine Matre, sicut sub cruce mansit cum eadem Virgine.

Sed posteriora haec privilegia ex primo dependent, ex amore Dei, qui causa est omnium bonorum. Quoniam sicut de Noe legimus quod, cum esset *iustus atque perfectus, invenit gratiam coram Deo,* et sicut Moysi dixit Deus: *Novi te ex nomine et invenisti gratiam in oculis meis,* ita Ioannes invenit gratiam in oculis Christi, summopere placuit Christo, singularissima caritate dilectus fuit a Christo ac si esset alter Christus, pulcherrima Christi imago, numeris omnibus absoluta, sicut Adam imago Dei, similis Deo.

Sed quam ob causam Ioannes tantopere fuit a Christo dilectus? *Ego diligentes me diligo.* Hinc non iussus Christum sequebatur: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Diligebatur a Christo quia Ioannes erat totus gratia, totus pulcritudo; nam amor filius dicitur Veneris a poetis, idest ex pulcritudine oritur; pulcritudo autem, quae coelestis est Venus, pulcritudo animi in gratia et virtutum splendore consistit; quia semper fuit Ioannes, semper ob virtutem animi Deo gratus ab adolescentia sua: *Bonum est* enim *viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua;* quia fuit semper sicut alter Ioseph pulcher corpore, pulcrior animo, sicut David ab adolescentia sua virtutis studiosus. Non potest autem Christus innocentiam non diligere, qui puritatis est summus amator, hinc per Oseam[1] ait: *Puer Israel et dilexi eum,* idest quia puer purus, a teneris unguiculis *dilexi eum;* sic per Ieremiam capite 31: *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius; idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius:* quia, inquit, filius honorabilis, quia puer delicatus, quia a pueritia est mihi addictus, cultui meo dicatus, sicut de Samuele legimus.

O quam placita est Deo anima viri qui a pueritia divino cultui est addictus! Hoc est quod per Michaeam[2] ait: *Praecoquas ficus desideravit anima mea,* ficus primitivas, valde dulces ac suaves, gustui gratissimas. Hinc primogenita elegit Deus, primitias voluit ex omnibus, primos a nobis exigit annos, ut cum Abele in adolescentia serviamus ei, nam *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Hanc ob causam dicebat Salomon *Ecclesiaste* 11: *Mane semina semen tuum et vespere ne cesset manus tua: mane,* idest in adolescentia. Hinc ait: *Laetare iuvenis in adolescentia tua et in bono sit cor tuum... adolescentia enim et voluptas vana sunt;* quare subiungit: *Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis.* O felices iuvenes, in quorum pectoribus virtus altas radices misit ab ineunte aetate, quales fuerunt Daniel cum tribus sociis, qualis hic noster Ioannes!

1) Ms.: *Isaiam,* loco: *Oseam.* 2) Ms.: *Oseam,* loco *Michaeam.*

Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus. Praedicans Angelus Christi nativitatem dixit: *Evangelizo vobis gaudium magnum: Quia natus est vobis hodie Salvator,* idest vitae aeternae ac perpetuae felicitatis largitor. Ad hoc enim nati sumus, propterea formatus Adam, statim ductus in paradisum fuit et ex eo postea per peccatum pulsus. Sed natus est Salvator: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* Salvator mundi, qui *vult omnes homines salvos fieri,* qui *Salvator est omnium hominum, maxime* vero *fidelium.*

Sed salus finis est ad quem conditi sumus. Qua via, quibus mediis opus est ad finem hunc consequendum? Potest homo errare in mediis. In hoc enim differt homo a brutis, nam illa, cum sint rationis et electionis expertia, errare non possunt circa media ad finem suum consequendum necessaria, una tantum eis proposita via est, ita ut neque ad dexteram neque ad sinistram deflectere possunt ut errent. Homo autem errare potest vel ignorans viam: *Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* aliquando bivium ei aut trivium occurrit et nescit quam tenere debeat; nam *est via,* inquit Sapiens, *quae videtur homini bona, et novissima... eius ducunt ad perditionem.* Hinc Deus, cum eduxisset populum suum ex Aegypto, volens eum in terram promissionis perducere, ne per invium desertum errare possent, Angelum dedit in columna ignis et nubis, qui populum, tanquam ducatum praebens, praecederet, imo inquit *Exodo* 33: *Facies mea praecedet te et requiem dabo tibi;* nam Moyses dixerat: *Si non tu ipse praecedas* nos, *non educas nos de loco isto.* Nullum alium ducem voluit nisi Deum ipsum, non hominem aliquem aut Angelum, nam tum homo errare potest, sicut Adam primus et sapientissimus omnium hominum, sicut et Salomon, tum Angelus, sicut Lucifer princeps Angelorum.

Hanc igitur ob causam venit Christus in mundum, ut dux noster esset, Deus in columna nubis, ut ipsum ducem sequentes, certi simus quod errare in via non possumus. Hinc ait Petro: *Sequere me,* nam *qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae,* dicit Dominus. Christum autem sequi non est nisi ipsum imitari, similem Christo fieri: *Praedestinavit conformes fieri imagini filii sui; Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; Exemplum... dedi vobis; Vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* Exemplar nanque Christus est omnium virtutum, absque ullo penitus errore vel minima nota, quoniam Deus est, *Sol iustitiae,* qui *lux est et tenebrae in eo non sunt ullae. Sequere me,* quia *ego sum via, veritas et vita,* imo currus et auriga, quoniam ducit nos et fulcit in via sicut pastor lassam ovem, unde per Isaiam ait: *Ego feci... ego feram, ego portabo et salvabo.* Seipsum assimilat Deus matri, nam ait: *Audite me, domus Iacob... qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva,* Isaia 46. O infinitam Dei erga nos caritatem!

Sequere me. Dictum fuit a sapientibus: « Sequere Deum »; sed *Deum nemo vidit unquam; Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest, lucem enim habitat inaccessibilem.* Impossibile, inquit, est Deum videre; quomodo ergo sequemur? Sed quod impossibile est uno tempore et uno modo, non est impossibile alio tempore alioque modo. Impossibile est videre solem media nocte, non autem media die. Nemo, nisi oculos habeat aquilinos, in lucidissimam solis sphaeram figere potest oculos; sed si

nubecula tectus sit, videri cum iucunditate potest. Christus Deus est, ortus est *Sol iustitiae*, sed nube tectus iuxta oraculum illud: *Solem nube tegam.* Hinc ait: *Sequere me:* si vis consequi vitam et gloriam sempiternam, sequere me: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.*

Sed per quam viam? Omnis virtus via salutis est, sed omnium excellentissima caritas: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro; Maior... horum est caritas; Imitatores Dei estote sicut filii carissimi et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Estote.* inquit, *imitatores Dei.* Nam propterea Deus factus est homo visibilis, Deus in nube, ut eum sequamur et imitemur. *Apparuit... gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos:* ecce dux, ductor, qui non potest errare; et ecce via: *Ut abnegantes impietatem,* etc. Quis finis? *Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.* Igitur: *Estote imitatores Dei* hominis, qui viam ostendit: *Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum et aures tuae audient vocem post tergum monentis: Haec est via, ambulate in ea et non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram. Haec est via,* ambulate per viam excellentiorem, ambulate in dilectione Christi, *sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis,* sicut Christus dilexit nos plus quam seipsum, quia *tradidit semetipsum pro nobis; Maiorem* autem *caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic nos debemus Christum plus quam nos ipsos diligere, nam ait: Qui diligit aliquid plus quam me, *non est me dignus, et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* Sic ait Petro: *Sequere me,* vitam, passionem et mortem meam imitare.

Sed *conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem,* et ait: *Domine, hic autem quid?* Sed *quid ad te? Tu me sequere. Attende tibi.* Quid tibi de aliis? *Tu me sequere.* O verbum necessarium! *Quid ad te* de aliis! *Tu me sequere.* Multi sunt qui verbum Dei audientes ad alios convertuntur, alios respiciunt, pro aliis dictum putant quicquid dicitur, quasi verbum Dei pila esset in ludo ab altero in alterum tracta. Dico tibi: *Quid ad te? Tu me sequere, attende tibi,* ambula in dilectione. *Petre, amas me? Diligis me plus his?* Ne declines ab hac via, *neque ad dexteran neque ad sinistram.* Dextera pontificia dignitas erat Petro, sinistra adversitas persecutionis quam passurus erat propter fidem Christi. Sic nobis quoque recta ambulandum est, non declinandum a recto tramite virtutis legisque divinae, vel ad dexteram prosperitatis vel ad sinistram adversitatis; vel ad dexteram, ut ob nimiam spem divinae misericordiae peccemus, neque ob nimium timorem divinae iustitiae in desperationis barathrum nos ipsos proiiciamus una cum Caino et Iuda. Via salutis est scala Iacob: in scala neutram in partem declinandum est, quia ex alterutra parte praecipitium imminet. O Beatum Ioannem, qui recta semper per hanc viam incessit! qui totus amor, totus caritas erat! Fornax divini amoris erat Ioannis cor.

IN DIE SANCTI IOANNIS APOSTOLI

Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, etc. Proponitur nobis hodie Christus inter duos discipulos, Petrum et Ioannem, sicut in Divinis Litteris propitiatorium inter duos cherubim, quae se mutuo respiciebant versis vultibus divinumque propitiatorium contemplabantur, et sicut Isaiae visus fuit Deus homo, Christus, inter duos Seraphim. Christus revera divinum est propitiatorium, verus Deus et homo dimittens peccata. Duo autem hi Apostoli duo sunt Cherubim et Seraphim, pleni divina sapientia et caritate, qui omnium maxime Christum et cognoverunt et ardentissime dilexerunt ac se invicem maxime omnium diligebant. Sic Dominus Petrum et Ioannem misit ad parandum pascha, Luca 22; sic in coena Petrus a Ioanne petiit ut interrogaret de proditore; sic in domum Caiphae Ioannes Petrum introduxit; sic post resurrectionem Petrus et Ioannes cucurrerunt ad monumentum; sic post ascensionem Petrus et Ioannes ascenderunt in templum; sic Petrus et Ioannes missi fuerunt ab Apostolis in Samariam oraveruntque pro Samaritanis conversis ad fidem et acceperunt Spiritum Sanctum per impositionem manuum ipsorum. Sic duo hi discipuli gemina caritate quam maxime omnium praediti fuerunt: caritate in Christum, quem ex toto corde dilexerunt, et in seinvicem, erant veluti Ionathas et David: *Conglutinata fuit anima Ionathae ipsi David,* sicut Moyses et Aaron fratres germani secundum carnem. Nam sicut Moyses legislator et Aaron summus sacerdos, sic Ioannes evangelista et Petrus summus pontifex fuit.

Sicut autem Moyses Deo familiarior erat divinisque contemplationibus addictior, ita plane Ioannes dilectissimus Christi discipulus. Sicut enim patriarcha Iacob maxime omnium Ioseph filium dilexit in signumque specialis dilectionis tunicam ei polymitam fecit, ita Christus inter omnes discipulos Ioannem dilexit: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Duos amavit plurimum Iacob: Ioseph et Beniamin, ita Christus Petrum et Ioannem; sed erga Ioseph Iacob maiora ostendit signa dilectionis, ita Christus erga Ioannem, eum enim specialibus privilegiis divinorumque charismatum muneribus insigniter exornavit et locupletavit. Solus Ioannes singulariter dilectus dicitur; de solo dicitur: *Sic eum volo manere;* soli matrem commendavit, nam solus cum Virgine iuxta crucem stetit in signum singularis erga Christum dilectionis. Nam: *Ego diligentes me diligo.* Eos Deus magis diligit a quibus magis diligitur; sic enim ait: *Cum sancto sanctus eris... et cum electo electus eris.*

Singulariter Christus dilexit Apostolos, in cuius signum summus pontifex gestabat in pectore nomina duodecim Patriarcharum sculpta in lapidibus pretiosis. Christus est summus pontifex, Apostoli autem patriarchae Ecclesiae, unde dicti sunt duodecim fundamenta civitatis Ierusalem cum nominibus duodecim Apostolorum; sed singularissime omnium Ioannem dilexit. Amor autem non fertur nisi in bonum. Agnoscens autem Ioannes se dilectum et amatum, redamabat et dili-

gebat. Hinc Petrus iussus Christum sequi, vidit Ioannem sua sponte Christum sequentem. Amor illum trahebat post Christum.

Diligebat Christus Ioannem prae ceteris Apostolis sicut Ioseph prae ceteris fratribus Beniamin, quoniam frater erat ex eadem matre; sic Christus Ioannem, quia a Deo praeordinatus fuerat specialis frater Christi et filius Sanctissimae Virginis. Diligebat eum, quoniam secundum nomen suum, quod g r a t i a interpretatur, totus gratiosus erat, simillimus Christo, qui plenus fuit *gratia apud Deum et homines: Speciosus forma prae filiis hominum.* Diligebat eum, quoniam cum omnes sancti sint imagines Christi: *Conformes fieri imagini Filii sui,* Ioannes erat imago quaedam Christi pulcherrima, totus sanctus et corpore et spiritu, corpore castus, animo mundus. Diligebat eum sicut magister discipulum ceteris ingenio, virtute et morum elegantia praestantem.

Sed praecipue quia videbat eum prae ceteris redamantem, hinc *recubuit in coena supra pectus Iesu* et interrogavit eum: *Domine, quis est qui tradet te?* Mira familiaritas Ioannis cum Christo, hominis cum Deo, sed quae dignitatem Ioannis insigniter declarat. Moyses prohibitus fuit ad Deum accedere, cum ei in flamma rubi apparuit: *Ne appropies... huc; solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est;* postea vero dignatus fuit divino consortio, ita ut cum Deo loqueretur sicut amicus cum amico. Non tamen datum illi fuit ut Deum facie videret; Ioannes vero cum Christo adeo familiariter conversabatur, ut ne filius quidem ita cum patre, ut recumberet supra pectus Iesu. Divinum privilegium, gratiam raram et singularem. Si ferrum ex tactu tantum magnetis attrahit virtutem magnetis mirabilem, ita ut ipsum quoque eadem virtute sit praeditum, qualem virtutem attraxit Ioannes ex hoc Christi contactu? Factus est Christo simillimus.

IN DIE SANCTORUM INNOCENTUM

Surge... accipe puerum... et vade in Aegyptum... futurum est enim, etc. Horrendae crudelitatis summaeque impietatis spectaculum praesentatur nobis in hodierna solemnitate. Herodes enim furiis infernalibus agitatus, tanquam leo vorax et lupus crudelis, gregem invadit innocentum agnorum eosque truculenter occidit et perdit, simile quod Pharao machinatus fuit, ut perderet omnes Hebraeorum infantes. Sed sicut tunc Dei providentia servatus Moyses fuit, qui totius populi Hebraeorum redemptor salvatorque, Aegypti vero domator et Pharaonis ipsius humiliator perditorque futurus erat, ita plane hodie accidit.

En novus Pharao, Herodes, pari crudelitate, sed impietate maior; ille quidem ut securius regnaret horrendum illud facinus machinatus fuit, sed nonnisi homines persecutus; hic autem hac eadem regnandi libidine actus, eandem crudelitatem summa cum impietate coniunctam meditatus est, ut Christum unigenitum Filium Dei, quem expectare ut summopere desideratum, in quem credere tenebatur ob susceptam religionem fidemque. Sed quoniam regnandi causa novam religionem susceperat, antiqua avitaque intrinsecus retenta, nova autem extrinsecus simulata, sive nullius religionis homo, vere atheus: *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus,* audito Christi natali, simulate promittit se adoraturum inventum: *Cum inveneritis, renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum.*

Sed ostendit hodie quid machinatus fuerat: *Mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem.* Sic Pharao novus, sed multo deterior, occidit infantes in odium Christi; ut Christum in Bethlehem recens natum perderet, omnes infantes necatur. Sed sicut tunc divinitus servatus fuit Moyses, ita nunc Christus, qui per Moysen designabatur. Nam vel ipso nomine Moyses Messiam designat: מֹשֶׁה et מָשִׁיחַ; nam licet quattuor sint litterae in nomine Messiae, non sunt tantum radicales, nisi tres, nam littera *iod* addititia est; litterae utriusque nominis primae et mediae eadem sunt; ultima in nomine Moysi aspiratio lenis est, ultima in nomine Messiae similiter aspiratio, sed fortis, quoniam Messias fortior Moyse futurus erat. Prima et ultima littera nominis Moysi continent numerum אדם, idest 45, media vero est veluti hieroglyphicum naturae divinae. Littera enim constat triplici *iod,* Deus Trinitate; tota autem Trinitas in Christo: *In quo inhabitat... plenitudo divinitatis.* Poterat hoc scire Herodes ex vaticinio Michaeae Christum esse Deum et hominem; et tamen contra ipsum etiam Deum tentat insurgere sicut lucifer, cuius spiritu procul dubio agebatur.

Sed *contra Dominum non est sapientia, non est prudentia, non est consilium ; Novit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanae sunt* et *dissipat... consilia principum. Angelus enim Domini apparuit in somnis Ioseph dicens : Surge... accipe puerum... et fuge in Aegyptum... futurum est enim ut Herodes quaerat*, etc. Persequitur Herodes Christum ut minister satanae, inimici capitalis Christi: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et inter semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius.* Ad impediendum mysterium divinae incarnationis, ne cogeretur Christum hominem adorare, satanas procuravit peccatum hominis, ut homo per peccatum in odium Dei incurrens, damnaretur sicut daemon.

Sed cum etiam post peccatum intellexit venturum esse Filium Dei in mundum, humanitate assumpta, sciens quod non poterat esse Filius Dei nisi innocens, purus et sanctus homo, propterea satanas semper innocentiam est persecutus ab initio. Nam videns Abelem innocentem, iustum et sanctum ac propterea Deo gratum, statim in Cain ingressus, illum ad necem usque persecutus fuit ac sic deinceps omnes sanctos.

Sicut autem Deus ab initio semper summus extitit innocentiae amator et fautor, ita satanas summus persecutor et osor. Quaerit per Herodem satanas perdere innocentem Christum, sed Deus per Angelum et Ioseph eum tuetur et servat. Sicut enim per Angelos Deus liberavit sanctum Loth de incendio Pentapolis, per Angelum tres iuvenes de fornace ignis, per Angelum Danielem de lacu leonum, ita hodie per Angelum Christum a cede Innocentium.

Sed si venit Christus in mundum ad redimendum genus humanum sanguine et morte sua, quid est quod fugit mortem hodie? Profecto quia non venit solum ut moreretur, sed ut prius praedicaret Evangelium, plantaret fidem, fundaret Ecclesiam, institueret Sacramenta, operaretur miracula, daret exempla virtutum, in seipso exhiberet formam normamque vivendi ac tandem subiret mortem. Non timor, sed caritas Christum ad fugiendum urget, ut pro nobis multo maiora pateretur multaque in salutem humani generis operaretur.

Voluit Dominus pati persecutiones tribulationesque, quoniam *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ;* sic *oportuit pati Christum,* sed innocentem, hoc enim gloriosum est, non innoxium mala pati, sed innocentem propter Deum pati. Hinc *omnes qui volunt pie vivere in Christo,* etc. In Christi infantia multa legimus laeta, multa etiam tristia; sic enim Deus mira varietate sanctorum vitam texit. Hinc in tabernaculo Domini mira erat varietas colorum in cortinis, in velis, in ipsis vestibus summi sacerdotis. Est sanctorum vita sicut tunica polymita variorum colorum, quam fecit Iacob dilectissimo filio suo Ioseph. Sed *secundum numerum dolorum meorum in corde meo consolationes,* etc.; *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat,* etc.

* * *

IN DIE SANCTI IOSEPH [1]

In margine

Sicut dixit Deus de Adam: *Non est bonum hominem esse solum*, etc., ita ab aeterno cogitavit de Sanctissima Virgine, ideo disposuit eam desponsare viro simili ei in sanctitate: *Cum esset desponsata*, etc.

Si a bonis et fidelibus subditis regis cuiusvis non solum in regno honorantur rex et regina, qui splendent in regno quasi sol et luna in coelo, verum etiam principes, duces, praefecti, etc., maxime vero parentes et consanguinei regis, qui sunt tanquam stellae in coelo, ratio utique expostulat, carissimi, ut in hoc Christi regno non solum Christum et Beatam Virginem, sed omnes etiam Sanctos, maxime vero Beatum hunc Ioseph, qui fuit pater Christi et sponsus Sanctissimae Virginis et a Christomet tanquam pater in honore habitus et a Sanctissima Virgine tanquam sponsus.

Illud discrimen quod reperitur inter Moysen et Christum, synagogam et Ecclesiam, legem et Evangelium, Sanctos Veteris Testamenti ante Christum et Sanctos Novi post Christum, reperiri mihi videtur inter hunc Ioseph Sanctissimae Genitricis Dei sponsum et antiquum illum patriarcham dilectissimum Iacobi patriarchae filium. Facies Moysi resplenduit sicut luna, sed facies Christi sicut sol; lex vetus erat tanquam lumen lunae, nova vero tanquam lux solis. Sic idem discrimen video inter hunc et illum Ioseph. Fuit ille sanctus, iustus, pius, castus,; hic vero eo videtur illo sanctior atque perfectior quo sol luna splendidior. Hinc iste dictus est simpliciter *iustus : Ioseph autem vir eius cum esset iustus ;* non autem ille in Scripturis Divinis tam splendida hac luce iustitiae, idest perfectionis omnisque sanctitatis gaudet. Hoc enim est: *Cum esset iustus*, idest virtutibus omnibus praeditus, cum esset vir sanctus et perfectus.

Fuit ille Ioseph Patriarcharum omnium sanctissimus, maximum autem signum sanctitatis eius fuit nolle consentire dominae suae eius amore flagranti. Quod si magnum fuit miraculum illud trium puerorum in fornace, istud tamen multo maius fuit. Erat enim Ioseph iuvenis, sine uxore, non erat data adhuc divina lex quae adulterium prohiberet; ipse tamen voluit magis pallium in manu feminae relinquere, honorem et libertatem, imo vitam ipsam una cum gratia domini sui perdere, quam Deum offendere. O admirabilis continentia!

1) Fragmentum hoc invenitur in folio avulso. Cf. quae diximus in *Praefatione* VIII voluminis, pag. IX, not. 6.

Verum quo sol est luna splendidior eo castitas huius admirabilior. Hic enim etiam cum propria uxore, iuvene pulcherrima, gratiosissima, perpetuam voluit continentiam servare, cum tamen licite potuisset matrimonii debitum ab ea expetere, nunquam tamen voluit. Et primo quidem virtutis amore, postmodum vero sciens quia eam sibi Deus in sponsam elegerat.

Sed in adversis etiam summopere probata est viri huius sanctitas, cum *antequam convenirent, inventa est in utero habens.* Quis nescit quam potens sit in homine passio zelotypiae? Ioseph autem, cum non esset adhuc conscius coelestis mysterii, fert patienter, non vult eam traducere uti per legem poterat, solum amore virtutis: *Cum esset iustus,* noluit *eam traducere,* sed *voluit occulte dimittere eam.* Non enim lex simpliciter praecipiebat, sed admittebat, uti etiam libellum repudii, et forte etiam cogitabat sciens quod Filius Dei concipiendus erat in Virgine et tempus iam aderat; verum nesciebat et animo prudenter cogitabat passionemque premebat.

Fuit ille patri Iacob filiorum omnium carissimus et dilectissimus, filius primogenitus pulcherrimae Rachelis, non Liae aut ancillarum, ut reliqui, praeter Beniamin fratrem Ioseph; hic vero Sanctorum omnium filiorum Dei ipsi Deo carissimus et dilectissimus, filius non synagogae sed Ecclesiae, non legis sed gratiae, non umbrae sed veritatis et primus Sanctus Novi Testamenti.

Fecit Iacob ipsi Ioseph in signum maximae erga eum dilectionis tunicam sericam diversicolorem, sic Deus huic Ioseph dedit iustitiae habitum, tunican sanctitatis: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus,* iustus iustitia non politica tantum et civili, non purgatoria, sed animi purgati, heroica, exemplari, excellentissima, hinc primus ipse est qui in Scripturis divinis dictus est absolute *iustus.* Nam etsi Noe dictus est *iustus atque perfectus,* non simpliciter sic dictus est, sed *in generationibus suis,* quod comparatione hominum illius temporis iustus erat.

Dicti sunt etiam iusti parentes Ioannis Baptistae, sed iustita legali: *Erant autem,* inquit, *iusti ambo coram Deo, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini,* quae quidem iustitia perfecta non est. Perfecta enim iustitia in perfecta fide consistit, nam *iustus... ex fide vivit;* sed Zacharias non fuit perfectus in fide, non enim credidit Angelo nativitatem Ioannis nuntianti. Simeon etiam senex *iustus* dictus est, sed non perfectus, additum enim est: *Et timoratus.* Iustitia autem perfecta est per amorem et caritatem, non per timorem, nam *perfecta caritas foras mittit timorem;* hic vero simpliciter dictus est *iustus: Ioseph autem vir eius cum esset iustus.*

Nec absque magna ratione sic iustus est appellatus et primo omnium. Iustitia enim ortum habet a praedestinatione: *Quos* enim *praedestinavit, hos et vocavit* et *iustificavit.* Cum autem praedestinati multi sint, ne sit haec multitudo confusa, ordinem inter eos necesse est esse. Sic enim summus sacerdos locum Dei tenens, duodecim lapides pretiosos, in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israel, in pectore supra cor portans, ordinatos quattuor ordinibus portabat illos, in signum ordinis praedestinatorum in Deo. Et quidem Divus Paulus manifeste dicit Christum praedestinatum esse: *Qui praedestinatus est Filius Dei,* esse eum et primum praedestinatorum: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; Quos praescivit, et praedestinavit,* etc.; *In capite libri scriptum est de me.* Sed non est praedesti-

natus Christus quatenus Deus, sed quatenus homo, ergo quatenus Filius Mariae, et sic cum Christo praedestinata est Virgo Maria. Christus est prima creatura praedestinata, Maria Virgo secunda; sed praedestinatus Christus Filius Mariae desponsatae ipsi Ioseph. Ergo una cum Maria sponsa praedestinatus est etiam Ioseph sponsus. Hoc est quod sacrosanctum hodiernum Evangelium dicit: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.*

Videtis has tres personas sic ordinatas? Iesus, Maria, Ioseph. Iesus primum praedestinationis locum tenet, Maria secundum, Ioseph tertium locum procul dubio mihi tenere videtur. Hinc sic dictus est *iustus*, et merito quidem; nam si ea stella est lucidior splendidiorque quae soli vicinior est, fonti omnis lucis, cum Christus sit *Sol iustitiae*, is sanctus est perfectiori sanctitate praeditus, qui Christo propinquior est. Hinc Maria Virgo omnium est Sanctorum hominum et Angelorum sanctissima, quia proxima Christo; at post Mariam Virginem quis Christo propinquior Ioseph? Illa Mater Christi, hic vero pater, si non naturalis, pater tamen legalis, si non generatione, at educatione, cura, affectu et amore. Hinc plane Ioseph iste omnium Sanctorum sanctissimus mihi videtur, sanctior Patriarchis, sanctior Prophetis, sanctior Apostolis, sanctior ceteris Sanctis. Nec obstat quod de Ioanne Baptista Dominus dixerit: *Inter natos mulierum*, etc.; non enim intelligendum est quod Ioannes sit sanctior Christo aut Beata Virgine, sic neque de Beato Ioseph sponso Virginis et patre Christi, nam sponsus et sponsa sunt una caro, Ioseph et Maria erant unum cor, una anima, unus spiritus. Et sicut in primo coniugio Deus creavit Evam Adamo simillimam, sic in hoc secundo Ioseph Beatae Virgini in sanctitate et iustitia simillimum.

Sic ergo uti Ioseph ille fuit patri carissimus, sic iste dilectissimus Deo et, ut verum fatear, si Deus propter Christum sanctificavit omnes Patriarchas, quia ex ipsis nasciturus erat Christus, sanctificavit Prophetas ut vaticinarentur de Christo, sanctificavit Ieremiam in utero, Ioannem Baptistam replevit Spiritu Sancto ut esset praecursor Christi, super omnes Beatam Virginem ut esset mater Christi, cur non et Beatum Ioseph patrem Christi?

Quod si sanctitas consistit in gratia, gratia in caritate, caritas in fide et amore Christi, quis unquam Sanctorum post Beatam Virginem tantopere Christum dilexit?

At vero si vestem illam patriarcha Iacob honoris etiam et dignitatis causa fecit ipsi Ioseph, dico quemnam maiorem honorem, quam maiorem dignitatem potuit Deus Beato huic viro concedere? Fecit eum verum sponsum Mariae Virginis, quae est mundi Domina, Angelorum Regina, Filii Dei, veri Dei verissima mater, ipsum vero Christi ipsius verissimum patrem adoptione, educatione, amore ex toto corde, imo patrem legalem. Erat enim mundo mortuus Ioseph, et Deus, tanquam Iudas ex Thamar genuit Phares, et David ex Bethsabee Salomonem, genuit ex Sanctissima Virgine Christum.

Quod si eo Christus in gloria paradisi super omnes choros Angelorum sedet ad dexteram Patris, quia primus est praedestinatorum et quia in mundo hoc sanctus fuit sanctorum, et Beata Virgo ob id secundum locum tenet in gloria post Christum, quia sic etiam in praedestinatione aeterna et gratia temporali, dicendum plane mihi vide-

tur idem de Beato Ioseph, quod uti tertium locum post Christum tenuit in praedestinatione aeterna et gratia temporali, sic etiam in gloria paradisi.

Non dedisset Deus Beato Iosepho Sanctissimam Virginem in sponsam, nisi iustus sanctusque fuisset. Quis enim bonus pater dilectissimam filiam viro non probo ac honorato secundum gradum statumque suum det unquam in uxorem? Ita, carissimi, non dabit Deus gloriam suam nisi iustis, nisi sanctis, nisi fidelibus suis omni virtute praeditis.

Voluit serenissimus rex Assuerus ut Mardochaeus, qui reginae Esther fuit tanquam pater, in summo honore haberetur illumque summum principem in regno suo constituit, quia regis vitam a proditoribus eunuchis liberaverat; ita omnipotens Rex universi, Deus, vult Sanctum hunc honorari, quia serenissimae Reginae, Beatae Virgini, tanquam pater fuit, nedum sponsus, et quia Christum a morte liberavit fugiens in Aegyptum, cum Herodes volebat Christum occidere.

Sicut Booz non cognovit Ruth quae nocte dormivit cum eo, nec David Abisag, ita nec Beatus Ioseph Sanctissimam Virginem. Sicut enim effecit Deus ne Pharao aut Abimelech tangeret Saram patriarchae Abrahami uxorem, ita ne Beatus Ioseph Sanctissimam Virginem summi Dei sponsam.

Pharao magnus rex Aegypti exaltavit Ioseph summumque eum principem in suo regno constituit, quia frumentum panemque pro hominum totius regni sui salute conservavit; ita Ioseph iste Christum conservavit, qui panis est vivus et dat vitam aeternam mundo.

IN DIE SANCTI FRANCISCI [1]

Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec, etc. Gratias agit Dominus aeterno Patri, Deo Optimo Maximo, infinitae bonitatis et potestatis ob collata electis beneficia, maxime quia revelavit eis mysteria fidei ut cognoscerent Christum, nam nemo *novit Filium nisi Pater et cui voluerit Pater revelare;* quod sit omnipotens sicut Pater: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Cognitio autem haec thesaurus est in agro inventus.

In hoc Evangelio duo singulariter continentur : alterum quod spectat ad fidem, alterum quod ad caritatem et opera. Primum est: *Quia revelasti ;* alterum: *Venite ad me,* etc. Legitur Evangelium hoc in laudem Sancti Francisci, eo quod ex divina revelatione Christum vere cognovit, et ex caritate, sublato ipsius iugo, pro virili imitatus fuit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Habemus in hoc Evangelio sanctitatem vitae ex munere divinae gratiae consistentem in cognitione Christi et imitatione ipsius, et praemium vitae sanctae: *Ego reficiam vos... invenietis requiem,* etc.

Divus Franciscus Christum imitatus fuit, sed crucifixum. In cruce sunt quattuor partes et in ea singulariter quattuor virtutes quam maxime splendescere [cernimus]: humilitatem, obedientiam, patientiam et caritatem. [2] His enim armis pugnavit contra diabolum, contra mundum, contra carnem et contra peccatum. Humilitatem adhibuit ad impugnandam et expugnandam superbiam diaboli, quae fuit initium omnis peccati; fuit autem humilitas Christi maxima, quia *cum in forma Dei esset,* etc... *humiliavit semetipsum factus obediens,* etc. Multa his verbi scomplexus fuit Apostolus si considerentur gradus qui medii sunt inter Deum et hominem crucifixum et mortuum. Sol in horologio retrocessit decem lineis, sunt decem gradus humilitatis Christi: quia humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis, usque ad infernum; quia descendit ad inferos, quia subiecit seipsum similitudini peccati ut liberaretur homo peccator, subiecit potestati satanae ut tentaretur ab eo, ut ipsius opera traderetur: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.*

1) Huius fragmenti authographum non vidimus, sed tantum eiusdem transcriptio, et quidem his ultimis diebus nobis tradita fuit. In calce folii transcripti haec adnotantur: « Il foglietto originale di questa predica autografa di S. Lorenzo era nelle mani del R.mo P. Bernardo d' Andermatt Ministro Generale. La mia trascrizione porta la data del 1897. Il prezioso foglio sarà oggi nella provincia Svizzera, ma dove? »

2) Ms.: *Humilitas, obedientia, patientia et caritas.*

Magna etiam fuit Christi obedientia.

In eodem Evangelio Dominus tria quam maxime requirit: *Venite... tollite... discite.* Quae tria videntur esse apud Deum pariter: *Vocavit... Iustificavit... magnificavit.* Venite per fidem, tollite per opera, discite imitando divinam virtutem, Christi perfectionem.

Confiteor tibi, Pater, gratias tibi ago. Tam magna est copia donorum et gratiarum Dei erga electos Christique fideles: *Omne datum optimum; In omnibus divites facti estis... in omni scientia... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia,* ita ut miraretur David: *Quid est homo,* etc.; alias invitaret omnes creaturas ad laudandum Deum: *Laudate Dominum de coelis,* etc.; *Confitemini Domino quoniam bonus,* etc. At vero cum haec satis non essent, hodie Christus gratias agit: *Confiteor tibi, Pater Domine coeli et terrae,* ubi simul infinitam Dei bonitatem et potestatem commemorat, Deo Optimo Maximo gratias agens.

Delectatus est Dominus magnos facere servos suos, quod proprium principum est; hoc enim egit Pharao cum Ioseph, Nabuchodonosor cum Daniele, Assuerus cum Mardochaeo; ita Deus cum Abraham, Moyse, Daniele.

IN DIE SANCTI FRANCISCI [1]

Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Laudatur in Divinis Litteris quam maxime Moyses de humilitate et mansuetudine, quoniam quamvis apud Deum et homines maximus esset, nihil tamen sibi esse videbatur; sicut enim cum ex consortio divino facies eius maximo splendore fulgeret tanquam luna plena, ipse tamen ignorabat. Sic abscondit Deus Sanctis excellentiam sanctitatis; sanctum sanctorum velo abscondebatur ne videri posset.

In hodierno Evangelio agitur de electione et praedestinatione Sanctorum: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te;* de vocationis mysterio: *Venite ad me omnes qui laboratis,* etc.; de mysterio iustificationis et sanctificationis: *Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia,* etc.; tandem de mysterio glorificationis; *Invenietis requiem animabus vestris.* Haec sunt mysteria de quibus P a u l u s ait: *Nam* Deus *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem praedestinavit, hos et vocavit,* etc.

Beatus Franciscus praedestinatus a Deo fuit, vocatus, iustificatus et tandem glorificatus in coelo. Praedestinatus ut esset Christi singularissimus imitator, homo Christo simillimus, Dei filius et frater Christi; ut esset patriarcha et dux magni exercitus electorum Christi, veluti alter Gedeon, qui perecturus ad proelium Dei iussu paucos elegit, meticulosos dimisit, eosque qui pati sitiebant, secum duxit ad

1) Huius fragmenti authographum non vidimus; tantum eiusdem transcriptio his diebus nobis tradita fuit cum nota: « Autografo di S. Lorenzo ».

proelium cum buccinis et lagenis, in quibus lumina erant abscondita. Sic Franciscus, dux summi Imperatoris, Christi, milites delegit fortes in fide contra diabolum et angelos eius, qui temporalia non sitirent, qui carnem macerarent.

Intellexit Franciscus illud *Psalmi : Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat et humilia respicit in coelo et in terra? Suscitans de terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut sedeat,* etc. Hinc pauperrimus et humillimus supra modum esse voluit, sic constitutus est inter principes, etc.

Gedeon constitutus a Deo princeps militum, imperator exercitus Israel, exclusit ab exercitu suo, iturus in proelium contra Madianitas, omnes formidolosos, omnes sitibundos. Sic Franciscus sequaces voluit fortes spiritu et pauperes spiritu. Hunc signavit Christus, sicut supra principis palatium aut civitatem ponuntur stemmata et gentilitia insignia principis, sicut Pharao in signum dilectionis, et quod Ioseph principem magnum constituebat super universum magnumque regnum Aegypti, regium anulum, regium currum. Et sicut Assuerus volens honorare Mardochaeum induit in regalibus indumentis et voluit regiis honoribus honorari, sicut Ionathas dedit Davidi vestimenta sua eo quod magnum gigantem patris et populi sui inimicum prostrasset, sic Christus cum Francisco egit, quoniam vicit mundum, vicit carnis suae sensum, vicit diabolum. Omnes electi Dei signati sunt signo Crucifixi spiritualiter; Franciscus vero et corporaliter, ut universo mundo manifestum esset ipsum esse electum Dei.

Cum princeps filium habet naturalem sed ignotum, volens mundo manifestare illum esse filium suum. dat illi regia stemmata; sic Deus, imo Christus declarare voluit Franciscum esse singularem fratrem et coheredem suum.

Sicut in metropoli civitate solent pondera et mensurae signo principis signari in signum iustitiae, quod ipsae sint mensurae iusta pondera, sic Deus signavit Franciscum tanquam iustam regulam morum, ut certus sit quod quicunque eum voluerit imitari, errare ac falli minime poterit, si rite eum fuerit imitatus.

IN DIE PENTECOSTES[1]

Apparuit hodie Spiritus Sanctus descenditque super Christifideles in spiritu et vento vehementi et magno et in linguis igneis ad ostendendam primo quidem naturam Spiritus Sancti et postea ipsius necessitatem et iucunditatem, nec non et nobilitatem. Nam Spiritus Sanctus Ecclesiae necessiarius est, utilis, iucundus et honorificus, omnem habet rationem boni, utilis ac necessarii, iucundi et honorabilis.

Primo, inquam, ad ostendendam naturam, virtutem et operationem Spiritus Sancti; nam tria haec in unaquaque re considerantur: esse, posse et operari. Nam ab essentia rei emanat potentia et virtus operatoria; a potentia autem et virtute operatio; a natura ignis caliditas, a caliditate calefactio; a natura solis lux, a luce illuminatio. Spiritus ergo increatus apparet in spiritu creato, sed vehementi et magno, nam *replevit totam domum*. Apparet et in igneis flammis ad linguae instar, ad ostendendum quod Spiritus Sanctus natura est incorporea et immaterialis, quod et Christus ostendit cum post resurrectionem suam discipulis apparens, insufflavit in eos et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*.

Est Spiritus Sanctus natura Deus; ergo spiritus, nam *spiritus est Deus; spiritus* autem *carnem et ossa non habet*, incorporea natura est; hinc et in mundi constitutione substantiae, quo sunt superiores et altiore a mundi centro, eo sunt etiam spiritualiores, etc.; substantia quo spiritualior, eo et potentior, sic aer aqua et ignis aere; eo etiam magnitudine praestantiores sicut in mundi ordine. Nil mirum ergo si in spiritu vehementi et magno Spiritus Sanctus apparuit. Nam Deus est altissimus, etc.

Ignis etiam hieroglyphicum Spiritus Sancti naturam manifestat, nam igni natura spiritualissimus est et maxime incorporeus; est etiam potentissimus, lucidissimus, calidissimus, ipsamet lux et ipsemet calor.

Ad ostendendam necessitatem, nam mundus hic mare magnum est, paradisus portus est, Ecclesia navis. Quis nesciat quod ad pergendam longam navigationem necessarius ventus est navi? Neque enim triremes, etsi ventum in cursu habere dicantur, possunt diu navigare sine secundo vento. Ignis autem, sicut aqua, quis ignorat quam necessarius est? Hinc Spiritus Sanctus promissus est in aqua, sed datus in igne

1) Huius fragmenti authographum non vidimus; tantum eiusdem transcriptio his diebus nobis tradita fuit cum nota: « Autografo di S. Lorenzo ».

et vento, quod facile solvitur in aquam, ad ostendendum quod necessarissimus est vitae spirituali.

Ignis utilis est et iucundus valde in hieme, ventus autem in aestate; sic Spiritus Sanctus semper omni tempore. [1]

1) In fine legitur: « Ego subscriptus testor quod exemplar ultrascriptum bene cum originali existente apud nos Cappuccinos concordat, diligenti comparatione adhibita, etc.

Venetiis die 21 Augusti 1826

F. Victor a Cadubrio
Pred. Cap.nus

Data in Conventu nostro SS. Redemptoris.

FERIA III PENTECOSTES[1]

Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur. Paucis his verbis Christus multa maximaque complexus est divinae theologiae mysteria; complexus enim est finem ultimum, ad quem a Deo ordinatus est homo, et media necessaria et sufficientia ad consequendum hunc finem. Homo conditus est a Deo propter felicitatem; hinc statim formatus, positus fuit in paradiso voluptatis. Propterea animus et cor nostrum non desiderat nisi felicitatem perfectamque consolationem. Hanc esurit, hanc sitit, hanc semper quaerit.

Docet autem natura ipsa tam intenso desiderio quod reperitur perfecta consolatio et felicitas in mundo; nam impossibilium et eorum quae omnino non sunt non est desiderium. Si non esset cibus et potus, nec esset fames et sitis; frustra est potentia quae non habet obiectum. Deus autem nihil facit frustra. Posuit in corde nostro ardens hoc desiderium felicitatis et perfectae consolationis; ergo necesse est ut reperiatur in mundo. Non reperitur autem in terra, nec in praesenti saeculo. Necesse est ergo ut reperiatur in coelo, in saeculo futuro. Desiderat animus noster vitae perpetuitatem, scientiae plenitudinem, perfectam in omnibus consolationem; sunt haec naturalia desideria. Hic ergo ultimus finis est hominis, vita aeterna perfectaque felicitas et beatitudo.

Sed sine mediis non potest haberi finis optatus. *Ego sum ostium*, ego sum unicum medium ad hunc finem consequendum. Idem est autem quod hodie ait: *Ego sum ostium*, etc., et quod heri dixit: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quare hodiernum Evangelium veluti idem est cum hesterno. Ibi dicitur quod Deus diligit mundum, cupiens ne pereat, *sed habeat vitam aeternam;* hic vero agitur de salute et felicitate perpetua. Describit Christus perfectam fidelium animarum felicitatem symbolo ovium. Sit ovis secura a lupis et habeat bona pascua; quid amplius desiderare potest. Haec est autem vera felicitas, potiri optatis omnibus.

Duo promittit fidelibus suis Christus in hodierno Evangelio: vitam ab omnibus periculis securam salvamque et consolationem: *Pascua inveniet* non solum in futuro, sed etiam in praesenti saeculo: *Ut vitam habeant, et abundantius habeant; Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine*, etc.

Hebraei pascebantur manna in deserto; in sanctuario divino una cum tabulis legis erat vas plenum manna: *Pascua inveniet.*

1) Huius fragmenti authographum non vidimus; tantum eiusdem transcriptio his diebus nobis tradita fuit cum nota: « Autografo di S. Lorenzo esistente nel Museo Cappuccino di Assisi ».

INDEX

SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO - ANALYTICUS

PARS PRIMA

DIES SANCTORUM PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM

I. Ostenditur in hodierno Evangelio via salutis, idest fides. — II. Christus vera via est, veritas et vita. — III. Ostenditur etiam fidei actus, opera et praemium. — IV. Praemium fidei pro omnibus aequale non est. — V. Lutherus fidem cum spe et fiducia confundit; — VI. Calvinus autem statuit fidem notitiam esse divinae erga nos benevolentiae. — VII. Errant novatores etiam circa fidei operationem, praemium et finem . . . . Pag. 1-14

DIES INVENTIONIS SANCTAE CRUCIS

I. Comparat seipsum Dominus serpenti a Moyse in deserto exaltato. — II. Tria de hoc serpente indicantur, quae mystice exprimunt imaginem passionis Christi eiusque virtutem ad extinguendum omne peccatum. — III. Merita Christi infiniti valoris sunt, quia Christus Deus et homo est. — IV. Ostenditur in hodierno Evangelio mysterium et magnitudo Christi crucifixi eiusque Crucis. — V. Impie haeretici cultum S. Crucis calumniantur, fuit enim Crux instrumentum salutis nostrae, — VI. vexillum gloriae et triumphi. — VII. Multa mysteria innuit S. Crux; — VIII. ideo S. Crux eiusque imago semper ab Ecclesia maxime venerata fuit. — IX. Viri sancti signo tantum crucis multa operati sunt miracula. — X. Christus salutem confert solis credentibus, at fides non sufficit sine caritate, bonis operibus et Baptismo. Stulte et impie haeretici negant Baptismi necessitatem . . . . Pag. 15-34

DIES NATIVITATIS SANCTI IOANNIS BAPTISTAE

I. S. Ioannes Baptista prius fuit sanctus quam natus. — II. Ioannes magnum miraculum est. — III. Deus mirabilis supramodum ostenditur in Ioannis praedestinatione, vocatione et sanctificatione. — IV. Ex Evangelistis Lucas praecipue describit conceptionem, nativitatem, mirabilem vitam, praedicationem et martyrium Ioannis. — V. S. Ioannes laudatur ab Evangelistis, a Prophetis; — VI. laudatur etiam ab Angelo Gabriele, — VII. a Christo, — VIII. ab ipsomet Deo. — IX. Ioannis nomen triplici ratione ipsi convenit iuxta triplicem eiusdem nominis interpretationem. — X. Vere Angelus fuit Ioannes innocentia, poenitentia, gratia, legatione divina et gloria. Eius virtutes imitari oportet . . . . Pag. 35-64

DIES SANCTORUM PETRI ET PAULI APOSTOLORUM

I. Petrus et Paulus sunt duo Ecclesiae principes gloriosissimi, a Deo magnificati. — II. Petrus a Deo magnificatus fuit revelatione mysteriorum, a Christo dignitatibus et honoribus. — III. Christus Petro contulit plenariam potestatem ligandi et solvendi. — IV. Multiplex est potestas a Christo Petro collata; praecipua vero indulgentias largiendi. — V. Negant haeretici thesaurum Ecclesiae ut indulgentias destruant; — VI. sed thesaurus iste negari nequit. — VII. Haec Petri potestas extenditur etiam ad animas Purgatorii. — VIII. Sic Christus mirabiliter Petrum magnificavit in mundo; similiter etiam et Paulum. — IX. Deus supra modum mirabilis ostenditur in his duobus Apostolis. — X. Petrus per fidem factus est petra fundamentalis Ecclesiae. Peccatorum confessio porta est coeli . . . . Pag. 65-82

Alia homilia

